ACTORUM ERUDITORUM QUÆ LIPSIÆ PUBLICANTUR SUPPLEMENTA.

TOMUS II.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Potentisſimi Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes & JOH. THOM. FRITSCHIUM.

Typis JOHANNIS GEORGI.
A. M. DC. XCVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II. Sect. I.

ORBIS GOTHICVS, id eſt, HISTORICA NARRAtio, omnium fere Gothici nominis populorum origines, ſedes, linguas, regimen, reges, mores, ritus varios, converſionem ad fidem, exhibens &c. Autore Matthæo Prætorio, Præpoſito VVaiheropolitano, Hiſtoriographo ac Secretario S. R. Majeſt. Poloniarum.

Typis Monaſterii Olivenſis, A. 1688. fol.
Conſtat circiter 4. Alphabetis.

QUi gentium ſcrutantur origines, in argumento verſantur multis circumfuſo tenebris, quas vel veterum lectio ſcriptorum, vel doctæ quantumvis conjecturæ, vix ac ne vix quidem ſemper poſſunt diſcutere: atque hinc prolixam merentur veniam, ſi vel materiæ difficultas, vel amor patriæ in transverſum ipſos egerit. Fuit hoc perſpectum optime Cl. Auctori Orbis Gothici, qui in Prolegomenis operi ſuo præfixis, veteres pariter ac recentiores ſcriptores recenſet, eorum lapſus notat, cauſasque Geographiam & Hiſtoriam veterem perplexas reddentes erudite commemorat, ideoque abſtrahi ſe paſſus non fuit ab inſtituto, difficili illo quidem, ſed quod tamen in honorem patriæ ac imperii Sereniſſimi ac Potentiſſimi *Joannis III*, auſpicatiſſimi Poloniarum Monarchæ, ſuſceperat. Totus enim in eo eſt, ut gentem Gothicam, tot olim victoriis inclytam, Sarmatiæ vindicet, & ex idiomate Sarmatico-Pruſſico nomina populis Gothicis tributa derivet. Id quod optimo ſe jure facere

 exiſti-

Digitized by Google

exiſtimat, cum auctores tantum non omnes conſentiant, Gothos ex Septentrione illo, qui vicinus Daciæ, prodiiſſe,olimque ſuccini fuiſſe collectores,ſeu Pruſſiæ incolas. Gothos ergo a Japheto proſatos, & a *Guota*, quod omne id denotat, quod ad rem familiarem ejusque bonum & commodum pertinet, dici aſſerit, eorumque linguam propriam fuiſſe Slavonicam ſeu Sarmaticam in varia abeuntem idiomata. Reliquias quoque hujus nominis in voce *Gudda*, qua Samogitæ,Ruſſi, Lithuani &c. ab his, qui ducalem Pruſſiam non procul Regiomonte incolunt, contemtim adhuc vocantur, ſupereſſe cenſet. Infamiam autem hujus nominis hinc derivat, quod Gothi ethnicæ ſuperſtitionis tenaciſſimi, exoſi redditi fuerint ad Chriſti fidem converſis, notatque eandem fortunam ſubiiſſe etiam Pruſſorum Slavorumque nomina: per Slavos enim, a *Slawa* fama dictos, paſſim nunc mancipia denotari; Pruſſorum autem nomen, a *Pruta* prudentia derivatum, ita eviluiſſe, ut in ipſa Pruſſia ſervi ac infames olim dicerentur Pruſſi, atque ad nullum officii honorisque gradum admitterentur. Quoniam vero Gothos ad Germanos referunt non pauci ſcriptorum antiquorum, eos ita explicat Cl. Auctor, ut Germanos (*Ger-manes* a ſagacitate dictos) fuiſſe concedat, Teutones fuiſſe neget. Gothiam enim veterem eandem fuiſſe dicit cum veteri Germania, a qua Teutonia probe diſtinguenda, cujus arctiores fuerint olim termini quam hodie; quippe cum vetus Germania non ſolum ad Aſiam usque protenſa fuerit, ſed ad illam quoque pertinuerit magna pars Teutoniæ recentioris, in qua ſcilicet olim Slavonica prævaluit lingua, v. g. utraque Pomerania, Marchionatus Brandenburgicus, Provincia Luneburgenſis & Brunſuicenſis, Ducatus Magdeburgenſis, pars Saxoniæ & Miſniæ &c. Hinc ad illorum ſententiam, qui Sueciam Gothorum patriam faciunt, convellendam pergit, putatque incredibile, Gothos, qui ex Aſia primum in Europam conceſſerunt, prætermiſſis fertilioribus & amœnioribus terris, (quales erant Aſiæ propinquæ ad Euxinum Pontum atque Tanaim, ac deinceps in Ruſſia, Polonia, Pruſſia, Livoniaque,) in remotam & aſperiori cœlo horrentem Sueciam migraſſe. Jornandem autem, primipilum eorum, qui pro Suecia pugnant, inprimis aggreditur, migrationes populorum, quas ille commemorat, in fabularum refert numerum, & Hugonis quoque Grotii, Jornandi adſtipulantis,

tis,

Digitized by Google

tis, argumenta confutat, ſuamque ſententiam aliquot rationibus confirmat. Quamvis autem Suecos, olim Suecones dictos, Gothorum parentes fuiſſe neget, Suecones tamen & Suevos (plane diverſos a Suabis, gente Teutonica) ad Gothos pertinuiſſe affirmat, illosque fuiſſe unum populum, ſed in eo diverſum, quod Suecones ad maris Balthici littora, Suevi circa Albim & Hercyniam ſylvam habitarint. Balthicum vero mare nomen ſuum traxiſſe putat a Balthia, quam inſulam veteres commemorant, quamque Sambiam ſeu Samiam Auctor eſſe cenſet: Hercyniam vero ſylvam non modo per totam Teutoniam, ſed & per Poloniæ provincias ad Boryſthenem usque & Tyram protendi aſſerit, dictamque ab *Arſynia*, quod locum agro colendo deſignatum notet. Porro poſtquam de Cimbris, Venedis (qui *Panaite* ſeu Domini dicti putantur) Æſtiis, Scyrris & Hirris, Gotho-Scythisque egit, varias Gothorum ſedes commemorat in Dacia, Pannonia, Mœſia, Hiſpania, Thracia &c. easque nativas non fuiſſe, ſed ex Sarmatia Europæa Gothos eo commigraſſe probare conatur. Sarmatas autem a *Sar* & *mat*, quaſi Dominos potentes dictos conjicit, & per Sarmatiam tractum terræ a Cheruſcis uſque ad Mœotidis & Tanais confinia intelligendum contendens, de populis ejus, nec non inſulis Sarmatiæ adverſis agit. Tandem, utrum Gothi & Getæ unus fuerint populus diſquirit, concluditque Geticum nomen latius olim patuiſſe, atque id Thracibus, Dacis ac cæteris Scythis & barbaris cis & trans Danubium datum, ſucceſſu vero temporis Gothis Romanum imperium debellantibus fuiſſe proprium. Atque hæc quidem in *libro primo* pertractantur. *In ſecundo* agitur de Slavis, Rusſis, Polonia & Maſſovia, Pruſſia & Livonia, Alanis, Hunnis, Baſtarnis & Peucinis: *in tertio* de Vandalis cæterisque hujus nationis populis, de Gepidis, Burgundionibus, Herulis, Longobardis, Rugiis, Marcomannis & Quadis; ita ſcilicet ut populos illos Gotho-Sarmaticos fuiſſe oſtendatur, ipſorum nomina ex Gotho-Sarmatica lingua deriventur, ſedes definiantur, Regesque enumerentur. Quæ quidem omnia huc adferre ad prolixitatem vitandam ſuperſedemus, ſpeciminis loco etymologias quasdam ab Auctore propoſitas allaturi. Ita Rusſiam olim *Roſſejam* vocatam dicit, quaſi gentem diſperſam; Zamogetas dictos quaſi terreſtres Gothos, a *Ziama* terra; Hunnos a *Kun*, quod equum notat; Baſtarnos a *Baszta*, quod propugnaculum eſt; Peucinos quaſi ſacros, a *Peukus*, Gothorum Deo;

Digitized by Google

Vandalos a *Banda*, quæ vox armentum ſignificat; Longobardos a telorum genere, cujus geſtatores adhuc hodie dicantur in Pruſſia *Langbardzei*; Rugios a *Rug* cornu, quod cornigera pecude abundarent; Marcomannos a *margas* & *manes*, quaſi rerum pulchrarum intelligentes; Polonos a *pole*, tanquam campeſtres animas; Bohemos a *Boh* & *muz*, quæ Deum & virum ſignificant, quaſi divinos; Pomeranos quaſi *Paſmari*, ſeu qui mare accolunt; Quados quaſi *quotas*, h. e. ex improviſo lædentes. *Ultimus liber* explicat res ad œconomiam, ſacra, & regimen Gothorum, ſpectantes. Deſcripta ergo hic videas, Gothorum habitationes, habitum corporis externum & internum, menſas & convivia, militiam variaque ſtudia, una cum virtutibus illorum & vitiis. Ut paſſim nota prætereamus, cereviſiæ nomen *Bier* a *biera* ſeu *bierula*, quod frumentum omne denotat derivatur. Gothi in patria conſidentes, multas uxores habuiſſe, in expeditionibus bellicis vero ſingulis ſinguli contenti fuiſſe dicuntur; atque ita veteres ſcriptores, quorum alii monogamos, alii polygamos fuiſſe Gothos referunt, conciliantur. Clamor militaris Gothorum hinc *barritus* dictus putatur, quod totus exercitus *bar bar* perſonabat, quemadmodum hodie Pruſſi in Nadravia, Zalavonia, Zamogitia &c. in uſu habent, in quacunque concertatione *bar bar* clamare; additurque conjectura, ab hac voce Romanos & Græcos, exteros, atque in his Gothos, barbaros adpellaſſe. Dum de ſacris Gothicis agitur, Diique & illorum ſimulacra, divinationes, miniſtri ſacrorum, feſta & funerationes recenſentur; Druidæ (*Druidei* & hodierna dialecto *Draudei*, h. e. qui munus præceptorum obeunt) non ſolis Gallis, ſed Germanis Gothisque communes fuiſſe probantur; oſtenditurque olim quidem corpora defunctorum cremata, ſuccedente vero tempore terræ mandata fuiſſe, ita ut lagena cereviſiæ plena ſimul tumulis imponeretur. Tandem Gothorum Rempublicam mixtam quondam ex Monarchia & Democratia fuiſſe docetur; electio Regum, conventus ac nobilitas Gothorum deſcribuntur; catalogique Regum Gothicorum ad Viſtulam, in Dacia & Thracia, Oſtro-Gothorum in Italia, Viſo-Gothorumque in Gallia & Hiſpania adjiciuntur.

CATA-

Digitized by Google

CATALOGUS AUCTORUM QUI LIBRORUM Catalogos, Indices, Bibliothecas, Virorum litteratorum Elogia, Vitas, aut Orationes funebres, ſcriptis conſignarunt; ab Antonio Teiſſerio uno e viginti ſex Academiæ Regiæ Nemauſenſis adornatus.

Genevæ apud Samuel. de Tournes, 1686 in 4.
Conſtat 3. alph. 6. plag.

EX quo typographorum opera ſcripti bonorum auctorum commentarii ſpargi per orbem cœperunt, multi iſtorum librorum excuſorum inſtituere recenſus, argumentorumque ſingulorum enumerare ſcriptores, privatas publicasque celebriores in elenchos referre bibliothecas, auctores qui eas deſcripſerunt colligere, & qui eruditorum hominum vitas ac elogia poſteris tradiderunt, aliaque ad litterariæ rei & litteratorum notitiam ſpectantia, ſingularibus contextis commentationibus, poſteritati committere ſategerunt. Hos omnes uno conſpectu exhiberi, e commodo eorum, qui amore litterarum hiſtoriæ ducuntur, exiſtimavit futurum induſtrius Nemauſenſis Academicus, nunc religionis cauſa exul, Ant. Teiſſerius, catalogum catalogorum, indicem indicum, bibliothecamque bibliothecarum abſolutisſimam uno hoc volumine non uſque adeo magno exhibens. Idem inſtitutum antehac ſuſceperat Philippus Labbeus, ejusmodi catalogum ſub *Bibliotheca Bibliothecarum* (quam cœptam Bibliothecæ manuſcriptorum anno 1653 ſubjecerat p. 389. & ſeqq.) titulo, anno 1664 emittens in publicum, qui liber dein anno 1672 Rotomagi recuſus auctior prodiit. Verum quando tot intra annos, quibus Teiſſerio Labbeus præluſerat, plurimi librorum indices pro diverſis collectorum inſtitutis, adornati fuerunt, vel juxta gentes ac nationes aut ordines ſcriptorum, vel ſecundum argumenta librorum digeſti, multi etiam doctorum virorum panegyrici editi, ac vitarum hiſtoriæ poſteris ſunt traditæ intra iſtud tempus; omnes hujusmodi librorum & catalogorum auctores uno hoc elencho complexus eſt Teiſſerius, & Labbei Bibliothecam in tantum auxit, ut cum in ea non plures quam octingenti enumera-

Digitized by Google

ti ſint auctores, in hoc Catalogo bis mille & quingenti ſint recenſiti, Vitæ autem & orationes funebres mille ducentorum clarorum hominum numerare liceat: præterea plerorumque doctorum virorum, qui memorati ſunt, patria & ſtudia annotata ſint, quæ Labbeus addere ferme neglexerat: ſublata autem & omiſſa ſint injurioſa dicta, quibus ſubinde a religione ſua alienis ſcriptoribus Jeſuita inſultaverat. Ne vero Labbei liber quicquam haberet, ob quod anteferendus eſſet huic, nec appendices iſtius ſuo abeſſe voluit Auctor: quarum altera *Bibliothecam nummariam* exhibet, a Labbeo concinnatam, (nec ulla ex parte auctam) ſcriptores, qui de antiquis Hebræorum, Græcorum & Romanorum numiſmatibus commentati ſunt, eaque exhibuerunt, eos item, qui de monetis, ponderibus & menſuris libros ediderunt, recenſens p. 433: altera ſupellectilis antiquariæ ſcriptores, & annulorum, ſigillorum, gemmarum, lapidum, ſtatuarum, obeliſcorum, inſcriptionum, rituum ſacrorum profanorumque, ſimiliumq; antiquorum monumentorum collectores enumerat, p. 506. quibus multi potuiſſent addi a Teiſſerio, ſi appendices has æque ac Catalogum ipſum, ſeu Bibliothecarum Bibliothecam, augere voluiſſet. Huic certe ſupplementa dedit, quæ ſuccreverunt, dum excuderetur liber, ſub finem adjecta *appendice*, ad catalogum auctorum, qui librorum catalogos vel doctorum virorum vitas conſcripſerunt: undecim quoque *Indicibus* plane neceſſariis, ac iis, quos Labbeus confecerat octo, longe auctioribus, opus ſuum inſtruxit, planeque abſolutum dedit. Quandoquidem autem catalogi hujusmodi nunquam adeo perfecti poſſunt dari, quin ſubinde nova ſuccreſcat iſtis inſerenda librorum aut catalogorum ſeges, vel vitarum orationumque funebrium indies evulgatarum copia: utile fuerit, ſi librariæ rei ſtudioſi operi huic, quæ in eo poſita non inveniunt, aut quæ nova prodire cernunt, ad iſtud pertinentia, diligenter allinant, hac ratione id ſuppleturi & continuaturi.

TRAITE' DES VAPEVRS, PAR MONSR. Lange, Medecin de la Societé Royale. &c. i. e.

Tractatus de Vaporibus, auctore Dn. Langio, Medico Soc. Reg. &c.

Pariſiis

Pariſiis apud viduam Dionyſ. Nionis A. 1689. in 8. plag. 25.

E corpore vapores omnis generis ſurſum in caput elevari, quos caput rurſus retro dimittat, jam olim Hippocrates aſſeruit L. de glandul. art. V. Illam vero doctrinam, quam religioſo obſequio venerati ſint poſt ipſum medentes, nil attinet jam multis memorare. Rudis enim omnino ſit, & imperitus plane in lectione librorum Medicorum, qui ignoret, quid ipſi ſuperioribus ſeculis auctores ſuperſtruxerint. Verum & illud jam neminem latet, quod recentiorum nonnullis tandem ſuſpectum de vaporibus dogma extiterit, imo pro exploſo habitum ſit. Hinc inter alios Willis cap. 10. de febribus hallucinatos ait veteres eſſe in accuſandis vaporibus, eorumque viis, quod ſcilicet e ventriculo ad caput aſcendant. Nunc autem poſtliminio illam opinionem revocare clariſſimus Auctor præſumit præſenti libello (quem multis elogiis non immerito ornavit Societas Regia) modo tamen prorſus novo & a veteribus alieno; id quod multo clarius patebit, cum XIII, quæ in illo continentur, capita vel per tranſennam perſpexerimus. Capite I. diſquiritur, an vapores vere ſint cauſæ effectuum illis vulgo attributorum? & oſtenditur, neutiquam fumos poſſe diaphragma & baſin cranii penetrare, atque vel cor vel cerebrum invadere; ſubitaneas autem horum viſcerum affectiones, quibus nonnunquam ex parte corporis longe remota impetuntur, non niſi a vaporibus poſſe induci. Incidenter de cute dicitur, quod pori ejus ſinguli glandula parva muniantur, quæ & ſpiritibus exitum præcludat, & ſimul excrementa ad ſuperficiem continuo delata inſtar ſpongiæ imbibat, eaque vel ſudorum forma, vel inſenſibili tranſpiratione foras eliminet. Cap. 2. de vaporibus in genere eorumque cauſis agitur, ubi triplex corporis ſtatus intuitu motus ſuarum partium expenditur, nimirum liquiditatis, effervescentiæ ſeu rarefactionis, & evaporationis. Diſcurſu de ſingulorum natura & modo breviter præmiſſo, concluditur (1.) quod vapores ſemper ſint ejusdem conditionis cum corpore, ex quo exhalant; (2.) quod hic ſermo ſit de evaporatione, quæ a notabili rarefactione provenit; (3.) quod pro diverſa effervescentiæ ratione, a qua nimirum dependet evaporatio, particulæ dimittantur differentis naturæ, e. g. in effervescentia levi ſolæ humidæ & maxime volatiles, in mediocri ſalia eſſentialia tanquam media inter fixa & volatilia, in vio-

in violentiſſima, qualis e pulvere pyrio excitatur, maxime fixa & elaſtica.

Cap. 3. Vapores ſiſtuntur caput affligentes, ſimulque traditur deſcriptio affectus hujus, quod ſit translatio corpuſculorum ſeparatorum per quandam fermentationem internam extra vaſa ſanguinea ortam, mediante qua iſthæc corpuſcula transmiſſa ſint ad partem aliquam a foco diſſitam, unde functiones naturales turbentur & interrumpantur. Singulorum ratione expoſita, de fermentis motuum inordinatorum auctoribus refertur, quod vel contra naturam plane ſint & per abſceſſum vel decubitum humorum ſuperfluorum progenita, vel fermenta corporis propria, ſed exaltata, & a ſua configuratione naturali deflectentia. Fermenta autem, ſalia, acida, & corpora elaſtica pro ſynonymis in præſenti Tractatu habentur, atque in volatilia, fixa, & eſſentialia diſpeſcuntur. Cerebrum ſalium volatilium eſſe receptaculum: lienem fermenta fixa ſuſcipere; & glandulas eſſentialia efformare, ſervare, atque dimittere adſtruitur: ultra hæc tria autem quartum adhuc fermentum ſupereſſe, quod ſeminale poſſit appellari, ſpeciei nimirum propagationi deſtinatum, & probabiliter ex tribus prioribus conflatum. Ex quatuor hiſce fermentis prodire affirmantur differentes vapores, pro diverſitate ſcilicet characteris, quem a cauſis ſuis accipiunt, e. g. vapores excitati a fermentis volatilibus cerebri, unde epilepſia oritur, vel vapores a fermentis glandularum oriundi &c. Qua vero via ab una parte in alteram ferantur, cap. 4. expeditum legitur. Scilicet per membranas non meare poſſe vapores, utut maxime ſubtiles, ex ipſarum textura & motu evincitur: nec per venas aut arterias devehi exinde creditur, quod illi canales ſemper repleti liquoribus ſint, ut adeo tranſitum halitui vel flatui maxime ſubtili & agitato concedere haud valeant. Itaque ad nervos neceſſario recurrendum eſſe aſſeritur, cum impoſſibile videatur alias concipere vias, ac præterea illi tranſitum vaporibus ſatis liberum facilemque aperiant. Id quod vel inde probatur (1.) quia nervi ſint ſoli tubuli, in quibus motus celer & impetuoſus perfici queat, reliquis pro motu lento ac ſucceſſivo liquorum deſtinatis. Jam vero vapores & ſpiritus obtinere motus ſibi omnino ſimiles, cum utrique ſaltem ſint halitus maxime ſubtiles & mobiles. (2.) quia nervi ex accuratiſſima Anatomico-

Digitized by Google

micorum obſervatione careant valvulis, quæ reditum ad cerebrum ſpiritibus interdicant. Itaque pari facilitate contingere poſſe, ut materia quædam ſubtilis agitata ab ipſorum inſertione ad originem tranſeat, atque ſpiritus animales ab ipſorum origine ad inſertionem tendunt. Atque hoc facile quemvis poſſe comprehendere, modo nervorum ſtructuram penitius inſpexerit, videritque membranam fibrillas nerveas ad membra omnia ſparſas ordinarie contegentem in ambitum cujusvis partis extendi, ita ut hæc ejus expanſio juxta extremitatem nervi operti ſimilitudine ſatis exprimat tubulum, cujus ultima portio dilatata ſit in formam infundibuli. Porro facillime concipi, quomodo vapores (ſi fermentatio violenta in toto tractu partis ab illa membrana circumdatæ accidat) emanantes poſſint determinari, ut juxta longitudinem nervi verſus originem pergant. Neque enim illis quicquam repugnaturum eſſe præter ſpiritus, qui ſemper in intervallis iſtarum fibrillarum contineantur. Objectioni deinde, quod ſcilicet nervi ſoli ſpirituum itui tanquam maxime delicatarum & ſubtilium partium totius corporis inſerviant, corpuſcula autem craſſiora, ut vapores, non admittant, fuſius reſpondetur. Hinc neceſſitatis argumenta quoque afferuntur, cur fermentatione quadam alicubi extra vaſa contingente vapores ad cerebrum eleventur. (3.) quia ſympathia partium uno eodemque tempore afflictarum id evincat. Non aliam enim illas communicationem immediatam inter ſe habere, quam beneficio nervorum, & inprimis vagorum, & intercoſtalium, qui ſoli tranſitum permittant vaporibus, de quibus hic ſermo. Jam vero

Cap. 5. ad ſingula ſpecialior fit acceſſus, dum de vaporibus agitur per fermenta volatilia excitatis, ſive de epilepſia, & quidem idiopathica. Hæc vero definitur, quod ſit convulſio univerſalis totius corporis cum abolitione functionum animalium omnium. Cauſa ejus immediata ſtatuitur fermentatio ſubita & violenta, in ſubſtantia cerebri producta, per commiſtionem ſpirituum animalium cum fermentis peregrinis eo delatis ex parte quadam ſubſtantiæ medullari vicina. Illam vero fermentationem extemplo communicari toti generi nervoſo, ibique producere motus violentos & involuntarios. Modus fuſiori deſcriptione traditur, interpoſita ſimul ſpirituum animalium generatione, & flammæ cœleſtis ſeu halitus

tus vitalis conſtitutione. Spumæ autem circa os, quam in epilepticis videre eſt, talis extat ætiologia: Spiritus ad glandulas ſalivales delati ſe commiſcent cum ſaliva in illis contenta,atque cum impetu iterum exeuntes per extremitatem nervorum, rarefaciunt iſtum ſuccum, efformantque ſpumam. Cæterum cauſæ, quæ poſſint acceſſus epilepticos procreare, illæ judicantur, quæ materiam determinant, ut in medullam cerebri ſe effundat, ſuntque vel compreſſio glandularum corticalium cerebri, vel agitatio nimia ſanguinis eo delati. Sic eo conducunt caſus ab alto, aër gelidus, febris, paſſiones animæ, excedens vini potus &c. Omnium tamen frequentiſſima cauſa, & quæ regulam quaſi exhibeat paroxyſmis redituris explicatu quidem putatur difficillima. Conjunctiones ſcilicet & oppoſitiones Lunæ, experientia quotidiana teſte, inſultus epilepticos concitare, nemo negare ſuſtinuerit. Qua vero ratione ſanguinem rarefaciendo & exaltando id efficiant, pluribus docetur. Hinc cauſæ quoque primitivæ memorantur, inter quas eminere dicitur contagium a Parentibus tractum; deinde frequens conſortium cum perſonis caduco laborantibus: in infantibus nimis diuturna retentio meconii: exceſſus in vini potu, & ſuper omnia immoderata ſpiritus vini jejuno ventriculo ingurgitatio. Ratio hæc ſubjicitur; quod nimirum ille ſpiritus abundet phlegmate imprægnato corporibus ignitis, & tartaro aduſto, ac exaltato. Illud autem ſuo ſpiritu uſque ad cerebrum deferri, & in glandulis perſiſtens conſtituere fermentum accerſendæ epilepſiæ aptiſſimum. His poſitis, obviam itur quibusdam objectionibus, atque oſtenditur, neque cranium, neque menynges collectioni fermenti epileptici quicquam contribuere poſſe.

Cap. 6. Vapores conſiderantur ex fermentis glandularum elevati. Duplex autem concurſus in glandulis obſervatur, nimirum fermenti proprii, & lymphæ jugiter tranſeuntis. Quodſi particulæ ipſorum eadem polleant configuratione, ut in ſtatu ſanitatis decet, commixtio dicitur blanda fieri: ſin minus, atque unum horum fermentorum degeneret, unionem non contingere citra efferveſcentiam, unde vapores magis aut minus fortes eleventur, pro fortiori ſcilicet aut languidiore fermentorum congreſſu. Cauſa itaque vaporum glandularium ſtatuitur depravatio fermentorum in glandulis conten-

contentorum, vel eorum, quæ per vaſa lymphatica eo devehuntur. Cauſæ depravationis memorantur variæ, v. g. uſus alimentorum nimis calidorum, acidorum, vigiliarum &c. &c. in ſumma: quæcunque ſanguinem nimis mobilem & ſubtilem reddunt. Fermentatione autem ſeu effervescentia blanda exiſtente, corpuſcula ſive vapores dicuntur expediri maxime volatiles, a quibus quomodo decantatus ille affectus, calor nimirum inteſtinorum vel viſcerum, producatur, ſimulque ventriculi intemperies frigida exurgat, fuſius explicatur. Quodſi violenta magis effervescentia ſit, vapores dicuntur elevari atomis magis ſolidis & fermentativis conſtantes. Hinc qua ratione vertigines, ſibilus aurium, aliæque ſenſuum depravationes, item dolores capitis intolerabiles, mox vomitus, palpitationes cordis &c. imo ex gradu fermentationis adhuc violentiore colicæ paſſiones doloroſæ, quas veteres appellarunt bilioſas ſpurias, item paralyſes membrorum oriantur, diſcurſu traditur prolixiori. De glandulis quoque ventriculi, & cur hæc pars præ reliquis totius corporis copioſiores vapores dimittat, diſſeritur, annexa obiter diarrhœæ & dyſenteriæ ratione, a glandulis inteſtinorum humores vitioſos chylumque corruptum continentibus ſæpe oriundæ.

Cap. 7. Vapores melancholicos exhibet e fermento ſplenico prodeuntes. Hic officium lienis exponitur, quod conſiſtere putatur in receptione partium craſſiorum ſanguinis, h. e. ſalis fixi partibus terreſtribus immerſi, ut ſcilicet illud purificet & remittat in maſſam ſanguineam, cujus nimiam volatilitatem moderari debet, ad conſervandam motus æqualitatem noſtræ machinæ neceſſariam. Modus recipiendi ſal fixum & purificatum fermentum deſcribitur. Objectioni autem, quod hæc diſtributio legibus circulationis ſanguinis repugnet, reſpondetur. Hinc quomodo ſalia diutius in cellulis vel grandioribus poris lienis retenta aceſcant, ut inde ſequatur fermentatio, explicatur, declarata ſimul & fermentationis & corruptionis natura. Porro effectus vaporum melancholicorum enucleantur, cur lien quandoque doleat? qua ratione circa determinatam quandam ideam anima occupata ſit, ut cogitare de re alia non poſſit? unde frequens lienoſis ſuſpirium oriatur? unde metus & triſtitia? unde ructus e ventriculo acidi? cur anima eo tempore perverſum de rebus fere quibusvis judicium ferat? cur hypochondriaci

averſentur conſortium hominum? cur ſe Reges vel corpus vitreum eſſe interdum credant? cur hæc mala diutius quam ab aliis vaporibus exorta durent? quomodo diſſipentur? qua ratione catalepſis, item mania excitentur? ac quod cuivis admirationem injicit, quomodo elegantiſſimo ingenio præditi, & alii ſtultitia abundantiſſimi vix gradibus quibusdam in motu puriſſimarum particularum ſalis melancholici differant? quomodo delirium periodicum, item fatuitas contingat? cur in mania convulſiones non appareant? & cur in iſthoc affectu homines majori robore pollentes deprehendantur? cujus rei hæc ratio redditur, quod ſalia fixa ſpiritus cum impetu, vi ſua elaſtica in nervos intrudant, imo ipſa cum omni ſua rapiditate ingruant. Cauſas primitivas omnium ſymptomatum melancholicorum illa conſtituere dicuntur, quæ materiam craſſam & terreſtrem in ſplene accumulant, ut alimentorum tartareorum & craſſiorum frequens uſus, vita ſedentaria & meditationibus indulgens, mœror, timor, &c. maniæ autem cauſam ſæpiuscule fermentum eſſe hereditarium in liene deliteſcens. Cauſæ excitantes nominantur ſubita timoris vel ſolicitudinis invaſio, febris ardens, colicus dolor vehemens, & obſeſſio Dæmonis. De hac, an & quomodo in melancholicis aſſerenda, diſquiritur, hac ſub finem addita epicriſi: omnia illorum ſymptomata pure dependere a fermentatione quadam melancholica, præter duo ſequentia: (1.) ſi ſcilicet maniacus longiorem diſcurſum habeat abſolvatque lingua ipſi plane incognita, & (2) ſi talia revelet, quæ ipſum certo conſtat latuiſſe.

Cap. 8. de vaporibus tractat per fermenta ſeminalia elevatis, ſeu hyſtericis. Comparatio hic legitur inſtituta ſeminis maſculini cum ſpiritibus nitri volatilibus aëris, qui Solis calore agitati primo recludunt ſeminia ſub terra recondita: & fœminini cum nitro terræ incluſo, quod intrat poros germinis laxatos, eorumque extenſionem promovet, ut ingreſſus ſucco nutritio paretur. Concluditur inde, in viri ſemine tantum volatilia fermenta, eſſentialia aut fixa nulla contineri: in mulierum vero ſemine multum de tribus omnibus latitare. Hinc deſcriptio ſequitur vaſorum utriusque ſexus, & fundamentum oſtenditur commercii, quod cerebrum & membra totius corporis habent cum partibus generationi dicatis. Illud ſcilicet conſiſtere in motu fermentorum ſeminalium verſus cerebrum & reliquos

liquos nervos, qui cum intercoſtali & vago communicent. Inde qua ratione paſſiones amantium exurgant, operoſa expoſitione traditur. Mox deſcenditur ad conſiderationem vaporum hyſtericorum, quorum effectus diverſi adeo & miri cenſentur, ut explicari vix ſine omiſſione quorundam valeant. Siſtuntur vero ætiologiæ viſionum eſtaticarum, ſyncopis, delirii amoroſi, lacrimarum & riſus in nolentibus, incontinentiæ ſermonis inſuperabilis, (quæ ob ingentem quantitatem vaporum hyſtericorum muſculos linguæ implentem contingere docetur) convulſionum in nervis meſenterii, & ventris infimi, unde uteri inſtar globi ſenſus, ſpaſmorum in nervis pulmonum ſeu aſthmatis convulſivi, palpitationum cordis, ſuffocationis, ac tandem ipſius epilepſiæ. Quæſtioni quoque reſpondetur: cur alii vapores eandem ſemitam tenentes paria non producant ſymptomata? ac tandem de maniacis hyſtericis diſſeritur, quæ ſibi perſuadent, ſe Dæmones eſſe; hinc reſponſa reddunt, & ex affluentia verborum voces inarticulatas edendo adſtantibus imponunt, ac ſi linguas ſibi antea incognitas callerent. Omnia vero vaporum hyſtericorum ſeu acidi ſeminalis fixi elaſtici ope peragi, extra dubium putatur, præprimis cum hoc malum tantum puellis melancholicis, quæ eſtaſibus obnoxiæ, ſoleat accidere, non itidem mulieribus conjugatis. Cæterum cauſæ primitivæ perhibentur eſſe illa omnia, quæ fermenta ſeminalia in ſuo centro detinent, i. e. abſtinentia Veneris, obſtructio vaſorum lymphaticorum fermenta, cum inutilia fuerint, in ſanguinem revehentium, vel decubitus humoris cujusdam maligni & corrupti.

Cap. 9. Remedia contra vapores in genere inveſtigat. Ubi duplex inprimis indicatio ſtatuitur: (1.) ut fermentationes impediantur, (2.) ut roborentur partes contra irruptionem corpuſculorum ſeparatorum. *Primo ſcopo* ſatisfieri judicatur purgando fermenta exaltata, & corrigendo, quæ expurgari non potuerunt, imo rarefactionem inhibendo partium fermentantium. Cum vero quatuor inprimis fermenta hactenus fuerint conſiderata, epileptica, glandularia, lienoſa, & ſeminalia ſeu hyſterica, hinc ſingulis ſua ſpecifica aſſignantur purgantia, e. g. pro fermento epileptico agaricus, ſcammonium, turbith, gialapa, antimonium &c. exhibenda vero ſuadentur tempore ab acceſſu longiore. Pro fermento lienoſo ſeu

melancholico, fol. ſennæ, hermodactyli, mechocanna, tartarus ſolubilis emeticus &c. quibus tamen aperitiva ſemper miſcuiſſe expediet, & ſic pro cæteris. Venæſectio etiam haud improbatur, & quidem in brachio dextro vel vena jugulari pro epilepticis, in brachio vero & pede pro reliquis vaporum ſpeciebus celebranda. Cæterum correctionem acidi fermentorum excedentis conſequi licebit vel ſubmergendo illud per remedia aquoſa, vel humida, vel implicando corpuſculis pinguibus & unctuoſis, vel tandem acumina ejus in poros alcali abdendo. Singulorum examine accuratiori præmiſſo, ipſa remedia varia proponuntur. Sic aqueis humectantia, refrigerantia, clyſteres refrigerantes & emollientes, aquæ minerales frigidæ, ſeu acidulæ, ptiſanæ, aqua pura vel miſta, ſir. violar. nymph. &c. balneum tepidum & alia ejusdem virtutis accenſentur. Cautela tamen annectitur, ne frequens & nimius eorum uſus valetudini noceat, hydropem facile accerſiturus. Quod ad pinguia ſeu unctuoſa attinet, cum illa quadruplicis generis ſint, nimirum (1.) ſpiritus ſulphurei & inflammabiles, (2.) mixta oleoſa, (3.) corpora bituminoſa & (4) mucilaginoſa, hæc ſola præ reliquis tribus moderandis fermentationibus aptiſſima habentur, v. g. hordeum, amygdalæ, ſemina papaveris & frigida, eaque nova, unde emulſiones efficaciſſimæ parentur. Ubi ſimul obiter notatur, in colica vehementi oleum amygdalarum, niſi recens expreſſum & ſine igne, antequam depoſuerit particulas mucilaginoſas, propinetur, plus damni quam commodi afferre. Tertium pro corrigendo acido nominatur remedium alcali, cujus tamen natura a Phyſicis hactenus æque confuſe & ruditer expoſita dicitur, atque Peripatetici formas ſuas ſubſtantiales & qualitates explicarunt. Accuratiori itaque deſcriptione ipſius conditio traditur, & fuſiori demonſtratione oſtenditur, alcali fixum neque elaſticum eſſe, neque a ſe ipſo ad fermentationem aptum: aliam vero ideam de alcalibus volatilibus efformandam, quæ ſtatim ſubjicitur, & quæ pro fermentationum diverſitate alcalia in uſum vocanda ſint, edocetur. Hic vero præ Theé, Caffé, myrrha, rhabarbaro, centaurio minori, quæ omnia commendata inveniuntur, præcipua laus tribuitur chinæ de china. Eam ſcilicet absque contradictione omnium potentisſimam eſſe in quibusvis fermentationibus ſedandis, & effectu ſecuro atque celeri in colica vehementi

& fe-

& febribus probatiſſimam. *Secundum ſcopum* verſari in muniendis partibus contra impetum vaporum, & hic reſpiciendum eſſe monetur ad ſpiritus animales, cum hi ſoli a vaporibus, & quidem modo triplici affligantur. Vel enim ſeparari & disjungi, ut in vertigine & mania; vel fermentari cum illis, ut in convulſionibus & epilepſia; vel figi & retardari in motu & irradiatione ſua, ut in ſyncope aliisque malis, ubi functiones animales patiantur. In primo caſu odores amœni, ambulatiunculæ in locis delitioſis, conſpectus perſonarum amatarum, muſica &c. in ſecundo, omnia ſalibus volatilibus abundantia, ut aqua theriacalis, ingredientia cuncta ſpiritus antepileptici Charræ, aqua Reginæ Hungaricæ: in tertio, præter modo memorata aſa fœtida, oleum ambræ, corium & plumæ accenſæ aliaque plura auxilium ſperantur allatura. Præſervatio a vaporibus docetur paranda vel (1) fuga eorum, quæ fermenta facile exaltant, quo pertinent alimenta calida & ſpirituoſa, inprimis acida, exercitia corporis violentiora, commotiones animi, jejunia protracta: vel (2.) abſtinentia cauſarum, quæ humores condenſant pariuntque obſtructiones, ut alimenta craſſiora & onuſta acido fixo, vita ſedentaria, meditationes nimis frequentes, ſolicitudo, &c. vel denique (3.) crebriori uſu remediorum corruptionem humorum arcentium, ut elixirium & cordialium. Inter hæc vero ob ſecuritatem & efficaciam palmam ſine contradictione mereri creditur elixir proprietatis Paracelſi, cujus proinde natura, effectus, & vera præparatio traduntur, adjecto ſimul proceſſu Helmontii, qui idem cum aqua cinamomi ſpirituoſa conficiendum præſcripſit.

Cap. 10. remedia contra epilepſiam proponuntur. Ubi quid durante paroxyſmo, quid extra ipſum fieri expediat, indicatur. Scilicet vigente acceſſu clyſterem acrem & purgantem injici debere, quem ingredi poſſit diagrydium, electuarium benedictum laxativum, tartarus ſolubilis emeticus, vel vinum emeticum ipſum. Ori autem infundenda eſſe aliquot cochlearia aquæ theriacalis, epilepticæ Quercetani. Sternutationes quoque, quantum poſſibile, provocandas cum pulvere ellebori, euphorbii, vel quibusdam benignioribus, ſi ægrotus facile commoveatur. Oleum ſuccini, vel cranii humani, vel ſpiritum ſalis ammoniaci naribus adhibendum. In intervallis vero paroxyſmorum purgationem inſtituendam eſſe, cujus

cujus aliquot præſcriptiones exhibentur, v. g. R. Pil. de agaric. ℈j. trochiſc. alh. gr. IV. ut inde F. una vel plures pilulæ. Infantibus tempore lactationis ℥ ß. Sir. roſar. c. ſenna & agarico; recens natis vero, ad præveniendum caducum, oleum amygdalarum dulcium propinandum eſſe. Cæterum poſt purgationes quovis mane medicamenta conducere antepileptica, alcalia ſcilicet volatilia & ſpecifica, inter quæ maxima vis tribuitur ſirupo antepileptico Domini Aquini, quem Charras propoſuit. Alia quoque nominantur remedia, ut aqua epilept. Langii, hirundinum a Charra correctæ, & quæ præterea Dominus Blegny L. de ſecretis ſpecifica publicavit. Tandem ut mucus e naribus profluat, efficiendum pulveribus in nares attractis ex betonica, lil. convall. irid. rad. ſalvia & lavandula.

Cap. 11. de remediis tractat contra vapores e glandulis oriundos. Commendantur autem, ubi levis tantummodo fermentorum depravatio obſervatur, medicamenta corrigentia & purgantia, quorum aliquot formulæ ſunt ſubnexæ; huc vero duæ ſaltem inferentur. Scilicet pro ſcopo correctionis jubetur recipi ſerum lactis cum cremore tartari clarificatum, in quo diſſolvatur Sir. de pom. ſ. vel de cichor. ſ. ℥j. Hoc omni mane per 8. aut 10. dies ſumatur, unde mirabiliter fermenta depravata peſſumdari dicuntur. Deinde ad emendandum acidum, & obſtructiones reſerandas, R. ocul. ♋ præp. ʒij. pulveris confortantis perlati ʒj. ſalis abſynth. ℈j. tartari martialis ʒiß. confection. de hyac. ʒiij. cum Sir. caryoph. q. ſ. M. ad conſiſtent. opiatæ. Doſis ſingulo mane jejuno ventriculo quantitas nucis avellanæ, ſuperbibendo vitrum decocti radic. aperit. Ad ſedandas vero fermentationes violentas in colica & convulſionibus præter clyſteres pingues & unctuoſos, blandasque purgationes clariſs. auctor nihil æque obſervavit prodeſſe, quam chinam de china, eodem modo atque moris eſt in febribus uſurpatam.

Cap. 12. cura affectuum inſtituitur a vaporibus melancholicis ortorum. Eadem autem cum purgantia tum corrigentia medicamenta hic jubentur adhiberi, ſi obſtructio non adeo fortis nec inveterata ſit, quæ præcedenti capite adducta ſunt. Quodſi vero aciditas & vapores limites ordinariæ melancholiæ tranſcendant, aliæ ipſis medicinæ ſuadentur opponendæ, quæ ſub

ſub forma decocti, pilularum & electuarii adduntur. Præſtantiſſimum tamen vi & celeritate auxilium conſiſtere putatur in apertione venarum hæmorrhoidalium per ſanguiſugas, præmiſſa tam venæ ſectione in brachio, quam ſufficienti purgatione.

Cap. 13. remedia contra vapores hyſtericos exponit, & primo omnium tale: R. elect. de citr. ℥iij. Sir. chalyb. purgant. ℥iß. diſſolv. in vitro ſeri lactis optime clarific. Porro pilulæ fœtidæ cum ſale ammoniaco & artemiſiæ, item pilulæ hyſtericæ Charræ laudantur, nec non ſequens ad corrigendum fermentum hyſtericum & obſtructiones deoppilandas, quod ſex dies omni mane continuari debet: R. troch. de myrrh. ℈ij. diſſolv. in vitro aquæ artemiſ. vel vini albi. Quoad cætera remedia contra cujusque generis vapores excellentia, Lector ad L. de ſecretis Domini Blegny remittitur, monitumque ſub fine additur, doſin præſcriptorum medicamentorum, pro ægrorum conſtitutione, vel augmento vel imminutione eſſe variandam.

LA VIE DU TASSE. h. e.
Vita Taſſi.

Lutetiæ Pariſiorum apud Stephanum Michallet, 1690. in 12.
Conſtat plag. 14.

POſtquam ſuperioribus ſeculis poſt longam barbariem poeſis Italica immortali Bocacii, Dantis & Petrarchæ opera eſfloreſcere cœpit, multi equidem extitere viri & ab eruditionis copia, & ab ingenii amœnitate, & ab orationis ubertate inſtructiſſimi, qui Muſas has patrias mirifice excoluerunt; ſed nemo tamen totius propemodum orbis eruditi conſenſu inventus eſt, qui plus judicii, plus ſolertiæ, plus artis denique & dexteritatis ad ipſum negotium attulerit, quam, cujus hic vita delineatur, ingenioſiſſimus Poëta, TORQUATUS TASSUS; *quo audito*, ut de ipſo Janus Nicius Erythræus in Pinacotheca, nuperrime apud nos recuſa, loquitur, *continuo ingens innumerabilium pene laudum numerus audientium ſe animis infert.* Ille enim fuit, qui operis delineatione, partium ſingularum ſtructura & ordine, verborum denique majeſtate & pondere, tam qui præceſſerunt eum, quam qui poſtea ſecuti ſunt, palmam prope omnib9 præripuit,

puit, & poeſin Italicam in id faſtigium adduxit, in quo ad hoc usque tempus collocatam eandem, nec ſine admiratione, conſpicimus. Quis vero negaret omnium, tantum Virum digniſſimum eſſe, ut omnibus ſeculis oſtendatur, ejusque memoria æternitati velut conſecretur? Et meritus ſane præclariſſime jam olim eſt de amico, quo familiariſſime utebatur, illuſtriſſimus *Jo. Baptiſta Manſus*, Villæ Marchio, ut pote qui Poëtarum Italicorum hunc principem, deſcripta ipſius vita, ab omnium ætatum oblivione feliciter vindicavit. Sed non minus bene de manibus Taſſianis meritus eſt *Auctor* noſter, cum poſt revolutum integrum ferme ſeculum, memoriam Taſſi, vitæ illius recenſione, apud Muſarum elegantiorum cultores recolere inſtituit; unde nec lectoribus noſtris voluptati non erit, tantiſper Viro erudito vitæ Taſſianæ curſum enarranti nobiscum attendere.

TORQVATVS igitur TASSVS ex illuſtri Torregianorum, Bergomum olim & adſita loca imperio complexorum, proſapia ortus, patre uſus eſt *Bernhardo Taſſo*, Viro præter inſignem rerum experientiam agendique peritiam, carminis etiam pangendi gloria celebrem, & matre *Porcia*, ex nobili Roſſiorum gente oriunda, ex quibus *Surrenti* die undecimo Martii, anno ſeculi ſuperioris quadrageſimo quarto, ipſa meridiei hora, naſcebatur. Cum vero paulo poſt a parentibus Neapolin delatus eſſet, mature admodum haud pauca admirandi ingenii documenta edebat; quippe qui vix ſextum ætatis menſem agens, jam non fari tantum & verba diſtincte pronunciare, ſed & ratiocinari & animi ſenſa explicare inciperet. Anno ætatis Taſſi noſtri tertio, *Princeps Salernitanus* ad Carolum Cæſarem deprecandæ inquiſitioni legatione functurus, in Germaniam proficiſcebatur, in cujus comitatum aſſumtus Bernhardus pater filium hunc ſuum hominis cujusdam eruditi, cui *Angeluzzo* nomen erat, curæ committebat, ut teneram ipſius ætatulam morum honeſtate imbueret; ſub cujus diſciplina ita proficiebat, ut mox inſtitutioni Patrum e Societate Jeſu, tum primum Neapoli invaleſcentium, tradi poſſet, idque tanto cum ſucceſſu, ut anno ætatis ſeptimo perfecte Latinas, & plus quam mediocriter literas Græcas calleret, orationes componeret, ac poemata varia, ætatem illam longe ſuperantia conderet. Interim illam legationem tam feliciter obierat Princeps Salernitanus, ut multum quidem ſibi apud populum auctoritatis, ſed tantum

tum etiam odii apud *Petrum Toletanum* Regis vices ſuſtinentem conflaverit; quippe qui nihil non agebat, ut Imperatori cum ſuſpectum redderet, bonisque & honoribus omnibus evolveret. Quam imminentem ſibi tempeſtatem ille perſentiſcens, in Galliam ſe recipiebat, quem Bernhardus Taſſus ſecutus Romam prius filium evocabat, non tantum, ut ulteriorem ibi animi culturam reciperet, ſed & vitæ ſecurus eſſet; quod Princeps ille cum omnibus partes ipſius ſequenti- 1551
bus, & hos inter imprimis Taſſus cum familia ſua, proſcriptus eſſet. Hoc rerum ſtatu Torquatus annum ætatis duodecimum attigerat, & præter Latinam & Græcam linguam, quas perfecte noverat, facultatem Poeticam, Dialecticam, Rhetoricam, ac cumprimis Philoſophiam moralem penitus perceperat. Accidebat vero hoc tempore, ut *Scipio Gonzaga*, Princeps ætate & ſtudiis florentiſſimus, ulteriorum profectuum gratia Patavium abiret. Bernhardus occaſionem hanc arripiens eo ablegabat etiam Torquatum ſuum, ut in contubernio Principis porro ſtudiis invigilaret; quod tanto ardore ab ipſo præſtitum eſt, ut anno ætatis ſeptimo decimo theſes ex Philoſophia, Theologia, Jure & Canonico & Civili promiſcue petitas, cum adſtantium ſummo applauſu tueretur; & quod totam Italiam admiratione implebat, poema de *Rinaldo* ab ipſo compoſitum, anno ætatis ſubſequente publicæ luci exponeret, cujus tamen edendi vix a patre obtinere potuerat permiſſionem, qui filium utilioribus ſtudiis conſecrare malebat. Ille autem fructum laboris ſtatim percepit, cum a magni nominis Prælato *M. Ceſio* Bononiam, ubi Vicelegatum Pontificis agebat, evocaretur; quo poſtquam ſe contuliſſet, expectationi de ſe conceptæ, dici non poteſt, quam ubertim ſatisfecerit, non in minori honore a Viris ſumma dignitate conſpicuis ipſe viciſſim habitus. Sed cum *Scipio Gonzaga* ab *Academia Æthereorum* in Caput electus eſſet, facile hoc petitioni Principis dedit, ut Patavio ſe redderet, imprimis cum Bononiæ varii motus oborti eſſent. Huc igitur cum acceſſiſſet, incredibili ab Academicis gaudio recipiebatur, ad quorum exemplum & ſibi nomen *Pentito* imponebat, veluti pœniteret, quod tempus Muſis olim ſubductum Jurisprudentiæ male donaſſet. In dulciſſimo hoc ſeceſſu primas celeberrimi operis, quod *Hieroſolyma liberata* nomen accepit, lineas duxit, cui poſtea per partes elaborando Ferra- 1565
riæ, quorſum ipſius *Ferrarienſis Ducis* & *Cardinalis Eſtenſis*, Fratrum,

rogatu ſe receperat, magna animi contentione incumbebat, ut nec tamen ſubinde fœtus ingenii alios præſtantiſſimos edere deſiſteret; nam & hoc tempore integrum poematum volumen invulgabat, magna cum approbatione ubique exceptum. Cum poſtmodum
1572 Pontifex maximus *Gregorius XIII* Cardinalem, de quo diximus, Legatum in Galliam mitteret, magnum ipſe legationi ſuæ decus acceſſurum eſſe opinabatur, ſi Taſſus inter cæteros Nobiles ſe ſequeretur. At vero nihil excogitari honoris poteſt, quod Taſſo noſtro in Gallia non fuerit exhibitum, cum præſertim Rex ipſe Carolus IX. ſubditis ſuis in ornandis Viri meritis nihil concederet: nec muneribus ipſum cumulare intermiſiſſet, ſi animus Taſſi philoſophia ſublimiori imbutus Principis liberalitati non interceſſiſſet; quod vel ex illo colloquio intelligitur, quod Rex cum illo aliquando habuit. Cum enim ex illo ſciſcitaretur, quemnam putaret eſſe, cujus fortuna reliquos omnes emineret, expectans uſque dum Taſſus ſua in reſponſione Regem ipſum & feliciſſimum atque potentiſſimum pronunciaret; ille nihil cunctatus, Deum eſſe reſpondebat; & cum Rex, occaſionem expromendæ adverſus ipſum liberalitatis capturus, quærendo inſtaret, qua re autem putaret homines ad felicitatis divinæ ſimilitudinem quam proxime accedere poſſe, an potentia nullis limitibus concluſa, an ex eo quod omnibus benefacere poſſint? Taſſus etiam tum, non alia re quam virtute homines Deo ſimiles poſſe fieri, aſſeverabat. Sed nullo illuſtriori documento apparuit, quanta Regis gratia valeret, quam occaſione hominis ad mortem condemnati. Is poeſi deditus, & in neſcio quid criminis magnam atrocitatem habentis erat lapſus. Cum igitur Taſſus audiviſſet, Regem morti addixiſſe hominem, & in mandatis dediſſe, ut nulla interpoſita mora, ſententia executioni daretur, jurejurando etiam addito, ſe nullius hominis precibus vitam malefici gratificaturum eſſe; Muſis hoc ſe debere arbitrabatur, ut pro vita miſeri, quantum poſſet, conaretur. Itaque vultu erecto & in bonam ſpem compoſito in conſpectum ſe Regis dabat, &, Domine, inquiebat, adſum ſuppliciter petiturus a veſtra Majeſtate, ut ſine ulla venia duci jubeat hominem aliquem infelicem, qui lapſu offenſionis pleniſſimo ſatis oſtendit, quam facile humana imbecillitas omnia Philoſophiæ præcepta ex oculis ponat neglectimque habeat. Ubi Rex novo hoc orandi modo & conſidera-

deratione hac tactus, ſtatim vitam hominis ipſi concedebat. Legatione hac cum Cardinalis defunctus eſſet, Ferrariam regrediebatur Taſſus, ubi per abſentiam ſuam nequicquam Ducis affectum in ſe imminutum eſſe intelligebat; cui benevolentiæ ut reſponderet, ſequenti hyeme *Amintam* ſuum, fabulam paſtoralem, opus in hoc genere exquiſitiſſimum, in ipſo Ducis palatio exhibebat, in quo ſub perſona Tirſis ſemetipſum, ſub nomine *Mopſi* obtrectatorem ſuum, & totam denique aulam ſub variis figuris repræſentabat. Atque tum primum amori ipſum ſuccubuiſſe, enata ſuſpicio eſt. Verum nullus tam perſpicax erat, ut cujus amore ipſe flagraret, conjectura aſſequi poſſet. Cæterum cum hic omnis honoris genere, otio, & quicquid homo eruditus vel votis expetere poteſt, undique circumflueret, *Hieroſolymæ* illi *liberatæ* ſtrenue operabatur, quam anno ætatis trigeſimo nono ad colophonem deductam, non tamen ipſe edebat; quod nihilominus, antequam ſuprema manus ab ipſo acceſſiſſet, ab altero factum eſt. Opus iſtud inſigne per totum ſtatim orbem avide diripiebatur, cum e veſtigio in Latinum, Gallicum, Hiſpanicum, Arabicum & Turcicum idioma converſum eſſet. Sed, quod ex tanto applauſu percipere poterat, gaudium non ſinebat eſſe ſincerum obitus parentis, Bernhardi Taſſi, qui hoc ipſo tempore contingebat. Iſta mors initium erat earum adverſitatum, quibuscum deinceps per totum vitæ tempus conflictandum ipſi fuit. Verſabatur tunc in aula Ducis *Alphonſi* homo nobilitate inſignis, cum quo arctiſſima Taſſo erat neceſſitudo, ut quæcunque ipſe haberet arcana, in ejus ſinum deponeret. Ille vero, cum aliquo in negotio minus apertum erga ſe ſuſpicaretur animum Taſſi, eo convertebat omnes cogitationes, ut in myſterium hoc ſeipſum penetraret; nec multo poſt non omnino nihil reperiſſe ſe putabat, adeo ut hinc inde ea etiam de Taſſo liberius effutiret, quæ ſummum in diſcrimen Taſſum adducere potuiſſent. Cum autem hac de re Taſſus ipſum appellaret, nec ille haberet, quo ſatis ſe excuſaret, Taſſus non verbis tantum eum excipiebat durioribus, ſed demum etiam colaphum ipſi impingebat; qua contumelia iſte accenſus in certamen ſingulare Taſſum provocabat, ipſe autem ad comparendum non ſegnior, hominem hunc nobilem tribus fratribus quamvis ſtipatum vulnere deformabat. Quod cum ad aures Ducis fama pertuliſſet, illi quidem quatuor

tuor fratres ex tota Principis ditione ejiciebantur, Taſſus autem ſuo in domicilio detinebatur, non in modum pœnæ, ſed ne amici vulnerati ſecus quippiam in ipſum machinarentur. Interim Taſſus hæc in ſuam accipiens injuriam, & animo reputans, poſſe Ducis rigorem ex iſta oriri cauſa, quæ contentioni huic præbuerat originem, & præterea in aula ſibi eſſe hoſtem periculoſum & præpotentem, de fuga capeſſenda cogitationes ſuſcipiebat, quam cum adornaret, tum vero bonorum ſibi omnium jacturam adeundam eſſe ſentiebat. Et hoc primum hominis a ſtatu ſanæ mentis deturbati ſpecimen dedit. Ergo poſt anni integri cuſtodiam, Taurinum fuga ſe ſubducebat, ubi per tempus aliquod a nemine cognitus inter homines verſabatur; ſed cum aliqua ejus ibi lucem vidiſſent poemata, facile eum eſſe, qui erat, conjectabant, qui reliqua ejus opera jam antea perlegerant; usque dum P*hilippo Eſtenſi* cognitus, ab ipſo Sabaudiæ Duce ſuam in aulam accerſeretur. Verum licet ab ipſo benigniſſime haberetur, non tamen eam animi ſerenitatem recuperabat, ut non ſuſpicionibus ſubinde infeſtaretur, quaſi Dux Ferrariæ fuga ſua exaſperatus ubique ſe perſequeretur. Unde cum Romæ tantum ſalvum ſe fore ſibi perſuaderet, ſine mora, nullis conſciis, rerumque omnium inops, eo ſe recipiebat; ubi a Cardinale *Albano* & *Mauritio Cataneo* exceptus, & ab omnium ordinum Viris principibus omni cultus genere honoratus præteritorum facile potuiſſet obliviſci. Nihilominus hic quoque cum deſiderium patriam reviſendi, ſororemque Corneliam amplectendi, invadebat. Sed in animum veniebat, vitam olim proſcripti in ambiguo ibidem fore. Ficto ergo aliorſum itinere, & ſumto paſtorum habitu, poſt ſuperatas multas moleſtias, Surrentum demum intrat, & a ſorore poſt longam diſſimulationem agnitus, ingenti a tota familia excipitur gaudio. Quis vero putasſet, Taſſum in loco longe amœniſſimo & ad fovendas Muſas apprime idoneo, interque amplexus ſororis ſuaviſſimæ, ac denique in conſuetudine hominum elegantiſſimorum, quieſcere non potuiſſe? Enim vero ille ignobile atque obſcurum pertæſus otium, Ferrariam rurſus cogitabat. Cum ergo literas ſubmiſſionis pleniſsimas ad Ducem ipſum & ad deprecatores varios, ſed ſine fructu, dediſſet, reſtabat, ut viæ ſe committeret ipſe. Igitur Romam regreditur, & a Legato Ducis domum redeunte demum Ferrariam introducitur. Dux, cui maxima

animi

animi præſentia ſe ſiſtebat Taſſus, de reditu ejus valde gaviſus, exquiſitiſſimæ clementiæ erga ipſum dabat ſignificationes; niſi quod ille, reſtitutionem ſcriptorum ſuorum urgens, quæ cum aufugiſſet, Dux ad ſe receperat, nihil impetrare poterat, quod exiſtimaret Princeps, artibus malevoli, ſub perſona Mopſi olim tantopere exagitati, circumventus, adeo mentem ejus confuſam ac infirmatam eſſe atra bile, ut nec revidendis, quæ ſcripta erant, nec concinnandis novis operibus ſufficeret; quæ ita Taſſus accipiebat, ac ſi ad perpetuam ignaviam damnandus, ac ab illis ſtudiis abſtrahendus penitus eſſet, quorum beneficio ut æternæ famæ decꝰ ſibi circumponeret, tantos labores per omne vitæ tempus ſuſtinuiſſet. Acrius ergo petitis inſtabat, & cum nec preces quicquam, nec minæ precibus additæ efficere valerent, ſecunda vice ex univerſa Principis provincia excedebat, Mantuam petens, & dehinc, Patavium, Venetias & Urbinum perluſtrans; usque dum à *Duce Urbini* perſuaſus, partim & neceſſitate coactus, Ferrariam reverteretur. Sed eandem hic repulſam, quam toties olim tulerat, & eundem inimicum, omnia tunc valentem, inveniebat, qui adeo Principis animum occupaverat, ut ipſe crederet, animi habitum tantopere in Taſſo a melancholia & indefeſſo ſtudio corruptum fuiſſe, ut neceſſarium omnino eſſet, malo huic, antequam progreſſus ulteriores caperet, remedium admoveri; inde ut valetudinario ſanctæ Annæ dicato tam arcte includeretur, ne exire iterum poſſet; in mandatis dabat. Quod quidem remedium augendo potius quam levando animi morbo, quo laborabat Taſſus, comparatum erat. Sed ad ſuperiora iſta mala hoc etiam adjungebatur; quod a celeberrima Italiæ Societate, Florentiæ ſub nomine *della Cruſca* florente, *Hieroſolymam* illam ſuam *liberatam* indignis modis lancinari videret. Cum enim Peregrinus dialogum compoſuiſſet de *poemate epico*, in quo paulo abjectius de Arioſti *Rolando*, magnifice vero de Taſſi illo opere judicaſſet; Academici iſti ſcripto Taſſi alio irritati, librum evulgant, quo & Peregrinum & Taſſum male admodum habent, Hieroſolymam, tantopere ubique decantatam, opus eſſe faſtidio plenum, obſcurum, male cohærens ac ſine proportione & menſura, pronunciantes. Quod cum Taſſus fama acciperet, dici non poteſt, quanto dolore affectus quantas ſuper hac re querelas ediderit, toti Italiæ approbatas, adornata ſimul apologia, in qua objecta ſibi fortiter repellebat,

bat, cui Academici acerbisſimam reſponſionem non minus oppoſuere. Interim morbus Taſi melancholicus nova ſubinde accipiebat incrementa, niſi quod lucida aliquando intervalla haberet,ut nulla tamen ipſi ad recuperandam libertatem ſpes affulgeret. Quod cum ille videret, ad Principes precibus convertebatur, ut pro ſe intercederent. Unde & ad Gregorium XIII, & Rudolphum Imperatorem, & Mantuæ ac Urbini denique Duces querelas deferebat, ſubjunctis obſecrationibus, ut ſuam a Principe obtinerent libertatem; quorum tamen omnium opera fruſtra erat, quamvis & ipſa urbs Bergomum, unde originem Taſſus trahebat, pro ipſo deprecaretur. Usque dum poſt integros tres annos *Dux Mantuæ* ſuis eum precibus obtineret, ſecumque ſuam in aulam abduceret, in qua magno apud omnes in honore erat, niſi quod ipſum male ureret, quod ex omnibus Ducis Ferrarienſis regionibus eſſet eliminatus. Tædium ergo ipſum & hujus loci capiebat, cauſatusque aerem Mantuanum ſanitati ſuæ eſſe noxium, ſeceſſum alium circumſpiciebat, ubi ſui juris eſſe, & quod ſupereſſet vitæ, tranquille poſſet tranſigere. Roma igitur erat,& Nea-
1587. polis, quo animi ipſum libido ferebat. Accepta itaque a Principe abeundi venia Romam proficiſcebatur, & poſtquam ſatis de ſecuritate ipſi cautum eſſet,Neapolin. Ubi in Conventu montis oliveti ſe continebat, & potuiſſet ſane felix hic eſſe, niſi & huc ipſum inveteratum malum ſecutum eſſet, & inſuper actio adverſus *Camillum Caracciolum*, qui palatium ad Taſſum ex parte ſpectans invaſerat, exercuiſſet. Aderat interim occaſio,qua manum ultimam & dialogis & duobus poematum tomis imponeret. Imprimis cum *Manſo*, Villæ Marchione, cujus ſupra mentionem fecimus, frequens erat, cum quo per hæc tempora lepidum ac memorabile de *Spiritu familiari* colloquium habebat, quem fabulari ſecum familiariter Taſſus dicebat, ut non tantum ad quæſtiones a ſe propoſitas promtisſime reſponderet, ſed etiam ex ſe aliquando quædam ſciſcitaretur; quæ opinio ita alte Taſſo infixa ſederat, ut nulla ratione ipſi potuerit eximi; cujus rei alibi in Actis noſtris meminimus. Inceſſerat nunc, pro animi inconſtantia, ipſum cupido Romam digrediendi, quod cum
1589. annum ageret quadrageſimum quintum, ab ipſo factum eſt. Pontifex illo tempore erat maximus *Sixtus V*, a quo magna erga Taſſum proficiſcebantur honoris teſtimonia,profundam ejus in Philoſophia Plato-

Platonica & Ariſtotelica ſcientiam admirante, quem in excolendo Taſſo viri principes ſequi glorioſum eſſe exiſtimabant. Memorabilis vox eſt, quæ ex ipſo aliquando audiebatur, cum in corona magnorum hominum nihil ipſe diceret, & hoc in ſignum inſaniæ ab aliquibus acciperetur. Hic Taſſus, falſi eſtis, inquiebat, Domini, cum inſanus tacere neſciat. Et alio tempore, cum Mediolanenſis quispiam undique, pro moribus illius ſeculi, auro & torquibus circumdatus, conſpecto Taſſo voce magna inclamaſſet: eſtne hic ille Vir magnus, qui mente ſibi non conſtat? certe, iſte inquiebat, ille ego ſum, ſed aſſeverare poſſum, adeo me nondum inſaniiſſe, ut catenis onerari opus habuiſſem. Dum Romæ erat Taſſus, *Ferdinandus* magnus Hetruriæ Dux viros omnes arte & ſcientia eminentes ad ſe Florentiam accerſebat, quibus ut ſe aſſociaret etiam Taſſus, in votis habebat, & eam ad rem ipſius Papæ autoritate utebatur, cui cum Taſſus refragari non poſſet, eo ſe abduci patiebatur. Sed renaſcebatur identidem 1590.
deſiderium redeundi Neapolin. Cum ergo & a Principe de Conca preces accederent, retineri amplius non poterat. Neapolin 1591.
igitur reverſus de novo opere, *Hieroſolyma occupata* ſeu *devicta*, ſerio cogitabat, quod Romæ poſtmodum, quorſum a Cardinali S. *Georgii* evocatus denuo erat, anno ſequente edidit. 1592.
Sed cum Cardinalis *Aldobrandinus* ſibi eum conciliare unice vellet, homo nemini ſervire doctus, relicta Roma Neapolin repetebat. Quod Cardinalis S. Georgii iniquo admodum ferens animo, de reducendo Taſſo ſtrenue laborabat; cumque & Papæ & Senatui Romano perſuaſiſſet, ut in ipſo Capitolio coronam lauream ipſi imponerent, ad eandem accipiendam honorifice Taſſum invitabat; quod ut faceret, licet ipſe a modeſtia ſua non impetraret, amicorum tamen adhortationibus impulſus voluntati demum Cardinalis ſe permiſit, & Ro- 1595.
mam rediit. Hic incredibili Cardinalium, Principum, virorumque eruditorum ſtudio exceptus, in Papæ conſpectum ducitur, qui inter alia hunc ipſi honorem propter tam inſignia merita deberi ajebat. Sed cum pararentur undique, quæ ad feſtivitatem hanc ſolenniorem reddendam requirebantur, ipſe Taſſus morbo corripitur, & delatus in monaſterium S. *Onuphrii*, cum Cardinalem S. Georgii ſcripſiſſet hæredem, vivendi finem facit d. XXIII. April. 1595, ubi & in templo S. Onuphrii ſepultus, & poſt magnifico tumulo, quod hodienum viſitur, condecoratus fuit.

TRAITTE' DE LA SIMONIE, PARTICULIE-rement des voiles dont on la couvre aujourd' huy, par Monſr. le Chanoine Moreau.

hoc eſt:

B. Moreau Canonici ad S. Cruc. Leodienſis tractatus de Simonia, & ſpeciatim de prætextibus, quibus illa velari & excuſari hodie ſolet.

Leodii apud G. H. Streel, 1689. in 8. plag. 40.

DEdicatus eſt hic liber Reverendiſſimo Celſiſſimoq; Dn. *Johanni Ludovico* Epiſcopo & Principi Leodienſi, de quo urbi patriæ gratulatur Autor, quod nunc Paſtorem Principemq; habeat præſentem, cum per tot prædeceſſorum ejus diuturnam abſentiam in ſummas inciderit calamitates. Laudat hunc a ſumma humanitate in admittendis audiendisque civibus; a clementia in moderandis, quantum temporis conditio patiatur, tributis; & quod ex toto ejus regimine appareat, quo ſpiritu ducatur, & quam legitima fuerit ejus ad faſtigium illud electio, quod tamen non niſi renitens & deprecans adſcenderit, gnarus moleſtiarum & illecebrarum ad peccandum, quæ tanto muneri adhærere ſoleant. Tractatus ipſe, præmiſſa Vicarii Generalis & quinque cenſorum approbatione, triginta capitibus abſolvitur. *Cap. I.* oſtenditur origo Simoniæ ultima, in innata humano ingenio & in Eccleſia quoque Chriſtiana adhuc regnante ambitione & avaritia, necquidquam tot legibus & concionibus coërcita, aucta potius ingraveſcentibus hominum vitiis, luxu præſertim, ita ut neminem pudeat etiam Eccleſiæ patrimonium, quod proprie ad pauperes ſpectet, invadere, nec potior cura parentum eſſe ſoleat, quam ut liberos, quibus ſe abundare putant, ex Eccleſiæ opibus alant & ditent, a nulla prenſatione aut corruptione abſtinentes, dum finem ſuum aſſequantur; neque id agant ſolum mediocris fortunæ homines, verum etiam Magnates. Cæterum nomen Simoniæ a *Simone Mago* derivatum eſſe, cum aliis omnibus obſervat, hominemque illum peſſimum Simoni Petro, Eccleſiæ, ut ſtatuit, Principi, in ludibrium Chriſtianiſmi oppoſitum videri autumat. *Cap. II.*

Simo-

Simonia ex *Thoma Aquinate* definitur, quod ſit *determinata voluntas ad emenda vel vendenda ſpiritualia, iisque annexa*; vel *propoſitum adipiſcendi beneficia & dignitates Eccleſiæ, mediis pravis & ab Eccleſia prohibitis.* Dividitur in *mentalem*, quando propoſitum illud in mente concipitur: *conventionalem*, ſi pactum expreſſum vel tacitum de danda re temporali pro ſpirituali initur: *realem*, cum ſolvitur aut præſtatur, quod promiſſum eſt. Omittuntur ſubdiviſiones ſubtiliores; munera vero, quibus corruptelæ fiunt, triplicia indicantur & explicantur, allegatis teſtimoniis veterum, additisque exemplis, quod nempe proficiſcantur vel *a manu*, vel *a lingua*, vel *ab obſequio*; ſive quod ſint *dona, aſſentationes, famulatus.* Cum vero durum videatur, Simoniacos haberi, qui tantum precibus aut commendatione amicorum ad eccleſiaſtica beneficia perveniunt, limitationem quandam ex *Thoma* adſcribit his verbis: *ſi preces pro digno porrigantur, ipſum factum non eſt Simoniacum, quia ſubeſt debita cauſa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, ſpirituale aliquid conferatur: Ita non poteſt eſſe Simonia in intentione, ſi attendatur in dignitatem perſonæ, non in favorem humanum.* Reſtringuntur tamen hæc ad beneficia, quæ non habent adjunctam curam animarum, ſive, ut loqui ſolent, *non curata*; de *curatis* vero ex eodem Thoma ſtatuit, etiam eum, *qui roget, ut obtineat curam animarum, ex ipſa præſumtione indignum reddi.* Addit verba *Antonini, Archiep. Florentini*, ſcribentis: *quantumcunque alias eſſet dignus, eo ipſo quo ſe ingerit, præſumtuoſum & ambitioſum eſſe videri, & per conſequens indignum.* Fatetur tamen Autor, moribus ſeculi nihil illo ambiendi & rogandi modo eſſe frequentius, neque ullis decretis legibusque reprimi potuiſſe. Quod de obſequio dixerat, ex *Thoma* & *Dionyſio Carthuſiano* ita explicat, ut is, qui *Prælato honeſtum aliquod & ad ſpiritualia ordinatum obſequium præſtet, ea devotione beneficio eccleſiaſtico dignus ſit.* Laudat tamen *Caroli Borromæi Archiep. Mediolan.* monitum, ut *Prælati ſalaria ſufficientia famulis ſuis præbeant, nec ſpe beneficiorum Eccleſiæ alant, neque eos unquam ob ſervitia ſibi præſtita, ſed propter virtutem promoveant.* *Cap. III.* de *reſignationibus* agit, cum aliquis beneficio aut munere ſacro ſeſe abdicat, ea conditione, ut id in alium, quem ſive pretio, ſive favore inductus nominat, transferatur. Hunc Simoniæ obtegendæ fucum peſſimo Eccleſiæ ſtatu, ſecu-

lo nempe decimo inventum, tam cito & acriter invaluiſſe ſcribit, ut *Gregorius VII.* magni licet zeli Pontifex, abolere eum penitus non potuerit, ſed eam tantum rationem iniverit, ut pœnitentes & male acquiſita munera ſuo arbitrio deferentes ad eadem denuo admitteret. Quapropter etiam hodie reſignationes illas in favorem alterius expreſſe factas Romæ valere, etſi ab Epiſcopis non recipiantur; jus enim diſpenſandi Pontificibus aſſeri. Interim exemplo ſumme noxio id fieri non dubitat, maxime ab iis qui accepto pretio reſignant, tam proterve, ut objicientibus leges Eccleſiæ & dictum Chriſti: *Gratis accepiſtis, gratis date*; cum ludibrio regerant, *gratis* dudum obiiſſe, nec ſucceſſorem habere. Negat porro, meliori jure niti reſignationes etſi non pretio, pure tamen non factas, verum retenta penſione; quanquam & hunc modum Pontifices, non obſtante Concilio Tridentino, tolerent. Negligi etiam monet ſaluberrimam ejusdem Synodi conſtitutionem Seſs. XXIV. c. 18. qua parochiæ non niſi in concurſu conferri jubentur: *concurſus* autem vocatur, quando qui ſacerdotia petunt, ad certum diem coram Vicario Epiſcopi & examinatoribus ſiſtuntur, & habita exploratione prærogativa datur melioribus. Progreditur hinc Autor ad ſpecialiora, & *Cap. IV.* explicat, quomodo Simonia committatur in receptione virginum ad monaſteria accepta pecunia, cum gratis recipi per leges & canones debeant: laudat Carthuſianos, quod ſe ab hac manifeſta legum violatione puros ſervaverint; innuit tamen, etiam alia cœnobia nunc eſſe, quæ ſocios gratis admittant, ita ut ne convivia quidem exhiberi patiantur. *Cap. V.* de Simonia in ſacrificio Miſſæ commiſſa diſſerit, ejusque accuſat omnes, qui ad lucrum & victum inde quærendum reſpiciant, ſatisque conſtare dicit, non alio reſpectu ſacerdotum numerum in præſentem multitudinem excreviſſe, magno cum contemtu ordinis & Eccleſiæ ſcandalo, de quo decreta ſynodorum & egregiorum autorum loca, illuſtria quoque exempla (quod quidem per totum opus copioſe & erudite facit) allegat. *Cap. VI.* Simoniacam receptionem ad canonicatus aliaque ejusmodi beneficia, & *Cap. VII.* abuſus in admittendis Simoniace pauperibus ad collegia, quæ hoſpitalia dicuntur, item in diſtribuendis eleemoſynis ex fundationibus, nec non accipiendo præmia & ſportulas pro judiciis & inveſtituris ſacris perſequitur, rejicitque exceptionem longæ conſuetudinis, per

quam

quam præcepto Chriſti, *gratis date*, expreſſe contradici, cum gravibus autoribus affirmat; & ex iisdem negat, mulctam pecuniariam a judicibus eccleſiaſticis percipi poſſe, niſi ad pias cauſas impendatur. *Cap.VIII.* novam fraudem revelat, quam vocant *Simoniam confidentiæ*; reſignationem nempe beneficii eccleſiaſtici ea conditione factam, ut reſignanti fructus ejus omnes vel ex parte maneant, aut ipſum beneficium alii ſecreto nominato iterum reſignetur: ita fieri, ut indigniſſimi quique proventibus Eccleſiæ fruantur. Licet vero non neſciat, talia Romæ ferri, ex *Hoſio* tamen & *Baronio* Cardinalibus reſpondet, *Papas non poſſe juſtum facere quod a Deo improbetur*, & locum eo caſu eſſe dicto Chriſti: *nolite ſecundum opera eorum facere.* *Cap.IX.* pœnas Simoniæ ab Eccleſia conſtitutas recenſet, excommunicationem, collationis nullitatem, beneficii privationem, ſive depoſitionem, perceptorum reſtitutionem, inhabilitatem denique ad alia beneficia. Notat etiam proceſſum in crimine hoc ut plurimum ſecreto per leges provide introductum, ut ex præſumtionibus condemnatio fieri poſſit, & ad probandum omnis generis teſtes, etiam viliores & domeſtici admittantur, nulli quoque præſcriptioni locus ſit; quam ob rem etiam diſpenſationes Pontificias minime laudat, & denique verbis S. *Antonii Patavini* Judæ exitium omnibus Simoniacis interminatur, *ut laqueo damnationis æternæ ſuſpenſi medii crepent, niſi reſipuerint & vere pœnituerint.* *Cap.X.* ejusdem culpæ & pœnarum gravium participes eos quoque eſſe ſtatuit, qui ope & conſilio ad crimen Simoniæ concurrant, & pararios atque mangones ſeſe exhibeant, quales in aulis non modo, verum etiam in monaſteriis inveniantur. *Cap.XI.* cauſas explicat, cur tam ſevere in crimen Simoniæ animadvertatur: cum eo enim alia comparata pro nihilo computari poſſe, olim, ut refert, ſenſit Cœleſtinus III. Pontifex: deinde deteſtandum eſſe, quod falſos ſervos Deo obtrudat, omnem ordinem & diſciplinam Eccleſiæ ſubvertat, & veluti fons quidam innumerorum aliorum flagitiorum haberi poſſit. Simoniaci, ait, donis Spiritus S. carent, adeoque mirum non eſt, ſi nec ſobrie nec caſte vivant, nec meliores habeant auditores, cum eos, quos emendare deberent, ſcandalo ſuo ipſi corrumpant. Cum vero prætextus & fuci non deſint, quibus excuſari aut occultari vitium hoc ſoleat, Autor *Cap.XII.* in detegendis & re-

jiciendis illis operam impendit. Nihili dicit eſſe exceptionem, quod in pauperum uſus converti poſſint, quæ pro beneficiis conferendis accipiuntur; mala enim nunquam licite fieri, ut eveniant bona. Sycophantiam etiam eſſe cenſet, quod exigi & dari aliquid dicant non pro re ſpirituali, ſed pro bono temporali illi annexo. Graviter deinde *Cap. XIII.* reprehendit novum recentiorum, quos vocant, *Caſiſtarum* inventum, cauſantium, non exigi ex pacto aut ſtipulatu pretium, ſed honorarium, grata mente oblatum, ad excitandam bonam collatorum voluntatem. Extollit *Antonini* Archiep. Flor. pietatem, qui teſte *Surio* in ejus vita, ne obolum quidem, imo nec floſculum ſibi & ſuis pro collatione beneficii exhiberi permiſerit, & S. Gregorii Papæ dicto applaudit, qui *munuſcula* illa *fraudulenta* vocaverit, & in univerſum rejicienda eſſe monuerit. *Cap. XIV.* probat, gratitudinis prætextum vanum & in fraudem excogitatum eſſe, licet donum poſt confectum penitus negotium conferatur; nihilominus enim pro pretio & corruptione haberi debere. Præterea *Cap. XV.* nullos minus vere gratos eſſe ſcribit, quam qui pro beneficiis acceptis nummos ſolvant; gratos autem ſolummodo eſſe vere pios & probos. Adſcribit S. *Bernardi* verba ex literis ad *Aymericum* Cancellarium (ep. 181.) *hac* (vera nempe benevolentia, qua beneficium compenſaturum ſe eſſe dicebat) *me fateor locupletem; hanc de corde pleno dignam profecto offero remunerationem meo benefactori: hanc devotus immolo ſacrificium laudis factori omnium, pro ſalute mei benefactoris.* Cum tamen non deſint, etiam inter Theologos, qui Simoniam in immenſum licet auctam excuſent, ad eos refutandos *Cap. XVI.* procedit Autor, nominatim reſpondens *Theophilo Raynaudo* Jeſuitæ, & ad Capitula Jur. Canon. quibus alii laxioris diſciplinæ magiſtri abutantur. Opponit illis cenſuram tum a Theologis Lovanienſibus, tum ab ipſo Pontifice *Innocentio XI.* in theſes Caſiſtarum LXV. editam, inter quas, quæ numero eſt quadrageſima quinta, Simoniæ ſatis aperte patrocinabatur. Apparet hinc & ex aliis teſtimoniis, quæ *Cap. XVII.* allegat, imprimis Antonii *Godeau*, Ep. Vincienſis, Autorem illorum ſententiæ accedere, qui Eccleſiaſticæ diſciplinæ relaxationem ſevere redarguunt, & ab adverſariis Janſeniſtarum nomine diffamantur. Miratur *Cap. XVIII.* ſi diſtinctiones & emollitiones recentiorum legitimæ & fundatæ eſſent, cur antiqui Docto-

Doctores iis non ſint uſi, & ex Raynaudo iterum acriter taxat eos, qui novam iſtam doctrinam *felicitati temporum noſtrorum tribuendam eſſe dixerunt, cujus beneficio, quæ veteres absque exitio animæ admitti poſſe deſperabant, jam innoxie patrentur; mutata tantum voluntate.* Sincerius judicium ex ſententia & verbis populi ferri poſſe exiſtimat *Cap. XIX*, qui quacunque tituli & pallii ſubtilitate beneficia eccleſiaſtica impetrentur, *emi & vendi* ea dicat; unde naturale lumen præferendum ſæpe eſſe monet ingenioſis doctrinis, in fraudem juris & legum adinventis. *Cap. XX.* aufert obtentum longæ conſuetudinis, ejusque prætextu peſſimos abuſus introductos eſſe notat, quos tamen Eccleſia merito abrogaverit, v. g. quod olim mortuo quodam ex ſubditis, a miniſtris Domini ex ſupellectili defuncti pretioſiſſimum quodque auferri, aut ſi nihil inveniretur, manus cadaveris abſcindi conſueviſſet, unde nomen *manus mortuæ* (*de main mort*) manſit, quam in diœceſi Leodienſi ab *Alberone* Epiſcopo abolitam eſſe tradit. Nec minus fœdum morem ex *Dionyſio Carthuſiano* refert, quo Archidiaconi Epiſcoporum a presbyteris concubinariis & fornicariis quotannis pœnas pecuniarias exigebant, & ſpurcitiem illam accepto pretio permittebant. Cum vero hodie iſta non amplius tolerentur, non magis tolerari debere contendit Simoniam, ſive pretii & præmii pro beneficiis eccleſiaſticis ſolutionem, diuturno licet uſu invectam; nec quenquam tutum fore probabilitate opinionum, quam laxiores doctores pro excuſando crimine iſto fovent. Timidos quidem & ſcrupuloſos vocari ait, qui in via recta perſiſtant, ſed timorem illum, cum *Tertulliano* fundamentum eſſe dicit ſalutis, & præfert monitum Siracidis Cap. XVIII. 27: *homo ſapiens in omnibus metuit.* *Cap. XXI.* ſophiſma refellit, quaſi non ſit Simonia, ubi non intercedat pactum de pretio aut præmio. Citat Cajetanum & Navarrum, quod Simonia absque verbis, ſolo nutu, aut quacunque alia ſignificatione committatur. *Cap. XXII.* pluribus oſtendit, quam verſutus & callidus ſit ſpiritus Simoniæ, & *Cap. XXIII.* rationem reddit, cur Simonia, licet in dogmata fidei non impingat, hæreſis tamen dicatur. Id non ſolum ideo fieri putat, quod Simon magus, teſte Petro Apoſtolo Act. VIII, 20. juſtum & licitum eſſe exiſtimaverit, *donum Dei pecunia poſſideri*, i. e. emi & vendi poſſe (tam impudentem enim hodie neminem eſſe, qui hoc aperte aſſerere audeat)

deat) ſed quod Simoniaci tam pertinaciter prætextus & fucos exercendo & occultando crimini tueantur: vetus autem dictum eſſe, quod non error, ſed obſtinatio hæreticum faciat. Vehementer igitur veretur, ne hæreſis hæc in Eccleſia ad finem usque mundi duratura ſit, cum etiam proceres Eccleſiæ plurimi ea ſint infecti, maloque exemplo ipſius Eccleſiæ fundamenta ſubruant, applaudentibus etiam Theologis. Nec miratur, cum multoties punita fuerit Simonia (quod ex hiſtoria *Cap. XXIV.* probat) quod hodie nulla edantur animadverſionis exempla, ſed fraudes & ſycophantiæ ſubtiliter indies excogitentur, quibus Simonia excuſetur & approbetur. Interim facile conſtare teſtatur *Cap. XXV*, quod ii, qui pretio munera ſpiritualia acquiſiverint, nihil unquam boni Eccleſiis præſtent. Speciatim deplorat damnum *Cap. XXVI*, quod acceſſum ad munera non habeant niſi divites, & excludantur pauperes, hisque animus ad ſtudia diligenter tractanda & labores pro Eccleſia ſuſcipiendos auferatur; præterea ad Eccleſiæ ornatum nihil fere conferatur, ne ab iis quidem, qui pinguiſſima & contra tot leges plura beneficia ſimul acquiſiverint, & plane ſpernant canones & doctorum monita, quibus clerici urgentur, ut præter victum & amictum ſimplicem nihil ſibi arrogent, ſed niſi ſacrilegii rei eſſe velint, reliqua omnia ad alimenta pauperum & ornandas Eccleſias impendant. Quod vero ſupra dicere cœperat de parentum maligna ſolicitudine, qua filios ad Eccleſiaſtica munera aut in monaſteria quavis ratione promovent, id *Cap. XXVII.* latius proſequitur, carnalesque prorſus intentiones & actiones illorum eſſe demonſtrat. Allegat Pontificum decreta, quibus liberi Simoniace ad ſacra promoti, licet conſcii fraudis non fuerint, deſerere tamen beneficia & monaſteria jubentur, quod & olim factum eſſe exemplis comprobat, & recentiora adducit Cardinalis *Baronii*, & *Vincentii a Paulo*, qui noſtra memoria collegium patrum miſſionis Lutetiæ inſtituit, quorum nullus neceſſariis ſuis ſacerdotia aut locum in ſodalitiis procurare voluit, & dictum *Vincentii* commemorat, quod urgentibus amicis, ut agnato cuidam ſuo de munere eccleſiaſtico proſpiceret, reſponderit, male ſe ut is agricola aut operarius quam hoc modo Presbyter fieret. Cum vero avaritia ſit fons & mater Simoniæ, graviſſime vitii illius turpitudinem *Cap. XXIIX.* præſertim in viris eccleſiaſticis, deſcribit Autor, & deplorat quod nihil proſue-

profuerit, eos a matrimoniis & familiæ cura abſtrahi, cum non minori affectu in nepotes ditandos ferantur, ſecundum vulgatum verſiculum:

Cum factor rerum privaret ſemine Clerum,
ad Satanæ votum ſucceſſit turba nepotum.

Laudat tamen meliora quædam exempla, inprimis Innocentii XI. conatum, quo nepotiſmum abrogare voluit. Sequenti *Cap. XXIX.* ambitionem Cleri (alterum Simoniæ fontem) eadem ſeveritate in cenſuram vocat, itidemque oppoſita virtutis & modeſtiæ exempla celebrat. Tandem *Cap. XXX.* aſſeverat, finem Simoniacorum plerumque funeſtum eſſe, additque preces, ut Deus vitii hujus enormitatem omnibus collatoribus beneficiorum eorumque conſiliariis, ut & parentibus atque liberis cognoſcendam dare, omnesque ab ejus contagione liberare velit.

ROMANVM MVSEVM, SIVE, THESAVRVS eruditæ antiquitatis. Cura, ſtudio & ſumptibus Michaelis Angeli Cauſei de la Chauſſe Pariſienſis.

Romæ, ex typogr. Joh. Jac. Komarek, 1690. in Fol.
Conſtat plagulis 36. & tab. æneis 170.

Quinque omnino ſectionibus abſolvitur opus hoc adſpectu jucundiſſimum.

PRIMA exhibentur *gemmæ*, in duas claſſes diſtributæ. SECT.I. Harum altera repræſentat *capita*, & ſigillatim, (ut e multis notabiliora ſeligamus,) *Minervæ*, (ſive, quæ in gemma elegantiſſimo n. 7. ejus habitu ſiſti creditur, *Aſpaſiæ*,) *Solonis*, *Socratis*, *Platonis*, *Alexandri M.* & *Olympiadis*, *Lyſimachi*, C. *Cœlii* Caldi, Cn. *Pompeji* Magni, n.15.16.17. n. 18.19. M. *Tullii* Ciceronis, A. *Poſtumii* Albini Bruti, Cn. *Domitii* Ahenobarbi, M. Didii Severi *Juliani* Auguſti, & Juliæ *Sabinæ* Hadriani Auguſti conjugis. n. 20.21. n.22.23. Alteram claſſem occupant *figuræ integræ*, ac eas inter *Iſis* multimammia, ſed pectore tenus tantum expreſſa, circumjacentibus quatuor elementorum ſymbolis, ſalamandra, aquila, delphino & leone; *Sol* quadrigas agitans intra Zodiacum; caput *So-* n.24.29. n. 32. n. 34. n. 37.

 lis

n.38. *lis* radiatum, circumfuſis planetarum ſignis, hoc ordine & figura:

✱ ♀ ✱ ♂ ✱ ☾

Porro *Sacerdos Perſicus* primitias frugum Mithræ offerens, in calcedonio apud Jo. Petrum Bellorium adſervato viſendus. His ad-
n.53.54. de vas ex *Achate* Barberinianum, quo *Olympiadis* cum *Jove Hammone* commercium adumbrari, vulgaris opinio eſt, de cujus probabilitate eruditi diſpiciant.

SECT.II. Sectione *SECUNDA* occurrunt *ſigna ænea*; e.c. *Minerva*
n.9. cum capitis tegmine ex ſphinge & quam plurimis pegaſis ſcite com-
n.13.14.15. poſito. *Diana* tricorpor, ſive quod idem eſt, Hecate triformis. (Ita enim ſentit Noſter, licet ejusmodi icon in numis Philippi junioris & Gordiani Pii a Duumviris celeberrimis, Petro Seguino & Ez. Spanhemio, pro unico trium *Furiarum* tergis obverſis ſibi invicem jun-
n.20.21. ctarum ſimulacro habita fuerit.) *Fortuna* Ægyptiaca; *Fortuna* cum
24.25.28.31. clavo & cornucopiæ; *Panthea* duo; *Angerona*; *Hercules* vinoſus;
n.32-35 *Canopus* præcipuis nominum Ægyptiacorum figuris inſignitus;
n.40. *Atys*.

SECT.III. Sectio *TERTIA* complectitur varia ad rem ſacrificialem fa-
n.4. cientia, ac cum primis vas *aqua luſtrali* deſtinatum, ad inſtar fœmi-
n.15.16.17. nei capitis effictum; *ſiſtra*; *pateram* æream cum figuris *Mercurii* &
n.20. Paridis *Alexandri*, ac nominibus eorum hunc in modum depravatis:

MERQVRIOZ. ALIXENTROM;

niſi fortaſſis legendum putes:

ALEXANder TROIAnus;

itemque pateram aliam ejusdem metalli, in qua Jupiter Palladem parere fingitur, adſcriptis characteribus ſagaci Oedipo egentibus.

SECT.IV. *QVARTA* ſectione Cauſeus lucernas veterum æneas ſiſtit, quales majori numero produxit nuper Bellorius, laudatus nobis in Actis eruditorum a.1692. pag.225. Reperias tamen apud Noſtrum
n.7.9.12.14. non unas, quas apud illum fruſtra quæſiveris; e. c. lucernas *Ledæ*,
15. *equi*, *columbæ*, *equitis* figuram præ ſe ferentes.

SECT.V. *VLTIMA* libri pars miſcellaneis referta eſt, *bullis*, puta, *armillis*, *fibulis*, *clavibus*, *annulis*, *ſtylis*, *guttis*, *phialis lacrymatoriis*, *ſignis militaribus* & id genus aliis.

Tab.9. n.2. Notetur etiam ſtrigilis ob epigraphen: ΔΙΟΜΟΩΡΩ. Cauſeus de ea tacuit. Crederes nomen & patriam poſſeſſoris deſigna-


MANVS ÆNEÆ PARS INTERIOR
MANVS ÆNEÆ PARS EXTERIOR
TAB. I. ad Supplem. Tom II Sect. I. pag. 35.

ſignari: ΔΙΟΜήδης ὁ ὨΡΩ´πιος vel ὨΡΩπιύς. Utrumque enim gentile Stephani Byzantini autoritate nititur. Majoris momenti ſunt binæ *manus* æneæ *votivæ*, variis hieroglyphicis exornatæ, (Tab. II. 12. 13. 14.) quarum altera baſi imponitur inſcriptæ, CECROPIVS. V. C. VOTUM. S. id eſt, juxta Cauſeum, *Voti Compos VOTVM Solvit*, quam & *Jac. Philippus Tomaſinus* peculiari tractatu, Laurentii Pignorii Menſæ Iſiacæ Amſtelodami A. 1669 editæ ſubjuncto, illuſtratam exhibuit: altera ex muſeo Belloriano deprompta, votum quoddam pro ſalute prolis ex conjuge ſuſceptæ & morbo forte nuper liberatæ, Serapidi ſeu Æſculapio ſolutum repræſentat, quam in eorum, qui hieroglyphicis capiuntur, gratiam delineatam hic ſiſtimus, quod alibi eam ære expreſſam extare non meminerimus, (TAB. I.) dignaque viſa nobis fuerit, quæ a Benevolo Lectore & cum Tomaſiniana illa, aut ſi poſſeſſorem ſpectes, Barberiniana, & cum tertia quadam, quam *Laur. Pignorius* in Magnæ Deûm Matris Idææ & Attidis Initiis, Menſæ itidem Iſiacæ ſubjectis, pag. 2. depictam & explicatam dedit, ſtudioſe contendatur. In noſtræ vero hujus interiore parte, explicante Cauſeo, tres *digiti* elevati, reliqui contracti oſtenduntur, eo modo, quo veteres ſignificabant verba ſe velle facere ad populum. Indici & medio digito ſubjecta eſt imago *Serapidis*, cui votum pro ſalute pueri ſolvitur. In ima parte *infans*, in amplexu *matris* talari veſtæ obtectæ & in lectulo decumbentis cernitur. Adſtat *ibis*, Iſidi ſive Lunæ ſacra; in medio *ſcarabæus*, Solis ſymbolum conſpicitur: notandæ pueruli generationi. Per menſam ſive *tripodem* Serapidis imagini ſubjectum, & *gladium* in pollice, voventium ſacrificia pro ſalute puerili deſignantur, ut alias Cauſei conjecturas taceamus. In exteriore manus parte primum *rana* in digito medio occurrit, infantem paulatim incipientem progredi notans. *Crocodilus* in media manu repens ſilentium Deæ Iſidi gratum, & quandam in rebus providentiam puero forte ominatur. Puerum tandem amiſſam ſalutem recuperaſſe, *ſerpens* Æſculapii & ſalutis ſymbolum, denotat. Menſe vero Septembri puerulum convaluiſſe, ex *libra* conjicitur, quo tempore dies noctesque æqualiter procedunt. *Teſtudinis* vero, animalis tarde incedentis exemplo, puerum paulatim pedibus uſum innuitur. Votum Serapidi & Iſidi ſolutum denotat *urnula*, in utriusque ſacris adhiberi ſolita.

 Cir-

Circa finem operis p.121. diſſertationem de *Mutini* ſimulacris a ſe adjectam, Autor doctiſſimus teſtis eſt, tum in *præfatione*, tum in rerum *indice*, compertumque habemus, in quibusdam exemplaribus eam reperiri. Sed in noſtro exemplari nihil ejuscemodi comparet; unde dubium eſt, an forte fortuna ex eo aliquid perierit, an ſpurcitie idolorum offenſi Superiores, jam editum opus caſtrandum cenſuerint.

DISSERTATION HISTORIQVE SVR QVELques Monnoyes de Charlemagne, de Louis le Debonnaire, de Lothaire, & de leurs Succeſſeurs, frapées dans Rome &c.

i. e.

Diſſertatio Hiſtorica de aliquibus numiſmatibus Caroli Magni, Ludovici Pii, Lotharii, eorumque Succesſorum auſpicio Romæ cuſis.

Pariſiis apud Joh. Bapt. Coignardum, 1689. 4.
Conſtat plag. 23.

ARmario numiſmatum Regio, cujus cura *Raiſſantio* incumbit, *Verſalias* translato, Diſſertationis Auctor, cum generalem *Numiſmatum Galliæ Hiſtoriam* (quæ etiam Pariſiis A. 1690 edita nuperque in Hollandia recuſa eſt, & a nobis propediem recenſebitur) juſſu Regis conſcriberet, & nummum argenteum *Lotharii*, cum inſcriptione S. PETRUS obvium haberet, Romæ eum ſignatum fuiſſe exinde collegit, quod in aliis ejus temporis nummis, loco urbis, in qua ſignati fuerant, *Sancti* ſolum iſtius, quem Patronum ſibi deſtinaverat, nomen expreſſum obſervaviſſet. Conjecturam confirmavit alius *Ludovici Pii* nummus argenteus, in quo verba, S. PETRUS ROMA, conſpiciebantur. Occaſione deinde itineris cum Ducis *Montauſerii* filio natu minori Comite *Cruſſolio*, ad præcipuas Europæ aulas ſuſcepti, Romæ adhuc alia ejus generis numi-
p. 74. ſmata nactus eſt, præter unum aureum *Grimoaldi* Beneventani Ducis,

cis, Mediolani ipſi oblatum, & depictum. Autoritatem itaque, qua Franciæ Reges Romæ gaviſi fuerint, adſtructurus, ad generalem totius orbis conſenſum provocat, jus *cudendi monetam* in urbe aliqua nulli alii competere, quam ei, qui ſupremo ibidem potiatur imperio; veluti ex eodem principio, & numiſmate *Ludovici Pii* Venetiis cuſo, *Scrutinii libertatis Venetæ* Auctor urbem iſtam Francici juris fuiſſe, evicerit. Diſſertatio ipſa, quæ eorum potiſſimum jugulum petit, qui dictis Principibus omnem in urbem Romam autoritatem abjudicant, niſi quam ex Pontificum conſenſu habuerint, IX. capitibus abſolvitur; in quorum I. donatio *Conſtantini M.* ex eo quoq; ſuppoſititia eſſe arguitur, quod inſcriptio quædam, tempore *Leonis X.* in Vaticano publico conſpectui expoſita, *Pipinum pium primum fuiſſe* commemoret, *qui amplificandæ Eccleſiæ Romanæ viam aperuerit, Exarchatu Ravennate & plurimis aliis oblatis*; quam vero eandem cum illa *inſcriptione* ſortem expertam eſſe credibile ſit, quæ beneficia *Alexandro III.* a Venetis exhibita recenſuerit, *Urbani VIII.* juſſu deinde obliterata. Succeſſores inde *Conſtantini*, & Gothorum Reges Romæ rerum potitos fuiſſe, ex confirmatione & depoſitione Pontificum, aliisque exercitæ ibidem jurisdictionis actibus oſtenditur. Cap. II. idem de Imperatoribus *Conſtantinopolitanis* aſſeritur, refutatis ſimul iis, qui Romanos, poſt renunciatum *Leoni Iconomacho* obſequium, Sedi Papali ſe ſubjeciſſe ſuſtineant. Cap. III. refertur, quomodo *Pipinus* Aiſtolphum Longobardorum Regem, occupato *Exarchatu* Ravennatenſi & Pentapolitano, qui poſt 200 ab inſtitutione ſua annos in *Eutychio* Exarcho XIV. finierat, Romæ quoque imminentem, ad reddendas *Stephano II.* P. provincias iſtas adegerit; *Carolus M.* vero, poſt deletum in Deſiderio Aiſtolphi filio, qui loca a patre tradita Pontifici iterum eripuerat, regnum *Longobardicum*, præter illos, quos Pipinus parens donaverat, adhuc alios Status *Adriano* addixerit. C. IV. *Carolum M.* integro ad minus ante collatam dignitatem Imperialem quinquennio, Romæ Suprematu gaviſum eſſe, docetur, & ex clavibus ſepulchri Petrini & vexillo urbis transmiſſis, juramento fidelitatis non Pontifici, ſed Carolo præſtito, poteſtate jus dicendi, condemnandi, gratiam faciendi, characterem ejus eluceſcere. Exhibetur iconiſmus operis muſivi, quod *Leo III.* in palatio ſuo prope ædem *Joh. Lateran.* adhuc hodie ibi

p. 3.
p. 5.
p. 11.
p. 23.
p. 32.
p. 35. 36.

conſpiciendum, in memoriam miſſi vexilli elaborari curaverit; in
quo *Petrus* apparet tres claves in gremio jacentes habens, & Ponti-
fici, cui adſcriptum, SCSSIMVS D.N. LEO PP, dextra pallium,
ſiniſtra vero vexillum præbens Imperatori, qui verba, D.N.CARV-
LO REGI, adnotata habet; ſub Petri pedibus legitur: BEATE
p.37. PETRE DONA VITAM LEONI PP. ET BICTORIAM CARV-
LO REGI DONA. Subjicitur & figura nummi argentei, qui in
altero latere Virum dextra gladium, & ſiniſtra vexillum tenentem,
p.39. cum literis *CAROL...* in altero latere verba, SCS. PETRUS, legen-
p.51. da ſiſtit. C. V. oſtenditur, qua ratione *Ludovicus Pius* jurisdictionem
ſupremam in Romanos, & ipſos Pontifices in temporalibus, ſibi aſſe-
p. 65. ruerit. Idem Cap. VI. de *Lothario* & *Ludovico II.* confirmatur,
p. 73. & 10. numiſmata a Carolo ejusque ſucceſſoribus cuſa producuntur.
p.77. Eandem reliquis usq; ad *Fridericum I.* Imperatoribus ſuperioritatem
p.91. competiiſſe, C.VII. demonſtratur, & C. VIII. ex Actis controverſiæ
inter *Odonem* Comitem *Sabinenſem*, & *Bernhardum III.* Abbatem
Farfenſem in eodem tractu, circa bona litigioſa agitatæ, quæ cu-
rioſi operis appellatione a Noſtro inſignita Latino & Gallico idio-
mate exhibentur, pluribus evincitur, quid juris dicti Imperatores in
p. 131. Romam habuerint. Circa famoſum illud *Nicolai II.* decretum, quod
electionem Pontificis ſolis Cardinalibus tribuit, obſervat, in quibus
ab eo differat decreto, quod a *Baronio* in medium afferatur, &
quam fruſtra hic ſibi perſuadeat, a ſchiſmaticis Imperatori addictis
p. 135. illud corruptum fuiſſe; ubi ſimul annectitur, qua autoritate *Sena-
tor* Romanus tempore *Martini IV.* & *Benedicti XII.* valuerit, adje-
p. 141. ctis eam in rem diverſis numiſmatibus. Caput IX. *Alemanno*, qui in
rariori de *Lateranenſibus parietinis* Tractatu, aſſertam hactenus ſupe-
rioritatem Regum Galliæ Romæ exercitam oppugnaverit, refellen-
do impenditur, cujus rationes ſingulas deſtruit Noſter, quales ſunt: a
Pontificatu *Gregorii II.* Romanos Pontificibus ſubjectos fuiſſe;
Stephanum III. & *Adrianum I.* ex abſoluta autoritate, citra Sena-
tus Populique Romani ſuffragium, *Pipino* & *Carolo M.* Patriciatus
dignitatem contuliſſe; (ubi ſimul hanc *duplici* modo conſiderat, *prio-
p. 152. ri* ſcilicet merum indigitaſſe titulum, a Carolo M. tamen non uſur-
patum; *poſteriori* ſuperioritatem Romanam una involviſſe, & cum
apice Imperatorio conjunctum fuiſſe;) it. Reges Galliæ Vicarios ſal-
tem

tem fuiſſe Pontificum, in Statibus Eccleſiæ, ſubordinata autoritate, p. 155.
præditos: id quod vero ex ſuperioritate ab ipſis Pontificibus agnita, & diverſis exercitæ jurisdictionis actibus, qui ſubdelegatam autoritatem minime ſapiant, fuſius confutatur, ſubjunctis in fine p. 161.
Diſſertationis variis controverſiarum coram Commiſſariis Cæſarum dijudicatarum documentis, ex Actis Mſſ. Abbatiæ *Farfenſis* depromtis.

ROMAN FORGERIES IN THE COUNCILS &c.

i. e.

Fraudes Romanæ in editione Conciliorum priorum quatuor ſeculorum commiſſæ. Cum appendice Fraudum & Errorum in Annalibus Baronii deprehenſorum: autore Thoma Combero S. Th. D. Canonico Eboracenſi.

Londini apud Rob. Clavell, 1689 in 4. plag. 24.

RECenſuimus in Actis anni 1691. pag. 123. eruditiſſimi hujus Autoris Hiſtoriam Scholaſticam de primitivo & generali Liturgiarum uſu: nunc alium ipſius tractatum Lectori ſiſtimus, *Fraudes Romanas* exponentem. Sequitur in hoc libro Anonymum quendam, qui Londini A. 1688 *Hiſtoricum Examen Autoritatis Conciliorum Generalium*, & anno 1673 *Fraudes Romanas* vulgaverat, non ſolum Generalia Concilia, ut Anonymus ille, verum etiam Nationalia, a Binii, Labbei, Coſſartii, & qui horum anteſignanus eſt, Baronii corruptelis vindicaturus. Methodus, quam ſibi propoſuit, non alia eſt, quam ut notas ab iſtis viris in Concilia conſcriptas preſſe ſequatur, & errores ac contradictiones ibi deprehenſas, breviſſimis corrigat. Fatetur quidem non unius eſſe hominis, omnes detegere, & juxta conſilium Jameſii operæ fore pretium, ſi ex utraque Academia, Oxonienſi puta & Cantabrigienſi, viri eruditi omni apparatu inſtructi, præmiisque incitati, ad tam arduum ſeligerentur opus, & ea quæ genuinæ ſunt antiquitatis a falſis & ſuppoſitis ſecernerent: verum quoniam tam ſalubre conſilium effectus nullus eſt ſecutus, Comberus noſter Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudio-

ſtudioſis communicare voluit hæc, quæ ſibi in lectione Annalium Baronii & Notarum Binianarum, quæ ut plurimum ex Baronio depromptæ, in Labbeana conciliorum editione integræ leguntur, obſervata ſunt.

Orditur autem a Scriptura S. quoniam Conciliorum Editores Petri primatum aſſerturi, referunt, dediſſe Petrum multitudini libertatem eligendi Diaconos, licet de omnibus Apoſtolis id affirmet Lucas Act. VI. 2. Parem huic fraudem eſſe aſſertionem Binii, qua docuit, Apoſtolos quæſtionem de circumciſione definiviſſe, non ex Scriptura, ſed ſuffragiis & ſententia Petri, oſtendit Comberus ex Actor. XV. 16, 17. De Apoſtolorum Canonibus obſervat, defendi quidem illos a Binio Labbeoque, tanquam ab ipſis Apoſtolis eſſent conditi, verum Romanam Eccleſiam adeo non venerari eosdem, ut ſextum de Presbyterorum Epiſcoporumve uxoribus, nonum de communione, decimum ſeptimum de concubinis, & alios non obſervet, ſed praxi ſua rejiciat, adeoque prodat, ſe ab Apoſtolorum præceptis receſſiſſe, nec canones eorum ulterius recipere, quam quatenus ſibi volupe ſit. Pontificum vitas Damaſo inſcriptas *Editores* agnoſcunt non eſſe iſtius autoris, & contradictionibus ſcatere frequentibus: nihilominus, affirmante Combero, Romanenſes inde decerpunt hiſtorias, quæ publice leguntur in Eccleſiis eorum, & ſumma cum veneratione recipiuntur. Decretales Epiſtolas non illorum eſſe, quorum gerunt nomina, variis Comberus probat argumentis, ſimulque oſtendit, quomodo iis utantur *Editores* ad firmanda dogmata ſua. Exemplo ſit Binius, qui ex Pontiani epiſtola Presbyterorum eminentiam probat, & ne incongruum videatur argumentum, Ignatii dicto roborat alicubi ſcribentis, *populum ſubjectum eſſe debere Diaconis.* Quaſi vero (annotat *Comberus*,) homo exul, qualis Pontianus tum fuit, tam magnifica de Clero cogitare potuiſſet, & Biniana Ignatii verborum paraphraſis: *Populus, in quo & Reges ſunt, ne quidem Chriſtianiſſimis exceptis, Diaconis ſubjici debet*; vero queat eſſe ſimilis. In cauſa *Martialis* & *Baſilidis*, obſervat Autor noſter, imprudenter Binium elicere Epiſcopi Romani primatum; cum inde multo rectius eluceat primatus Epiſcopi Carthaginenſis, utpote cujus ſententia viri illi, non obſtante Pontificis Romani abſolutione, damnati fuerunt. Fraudem eſſe Comberus ait,

ait, quod Conciliorum *Editores* plerumque dicant ſub Pontificibus Romanis habita ſeu coacta fuiſſe concilia, quandoquidem unamquamque provinciam ſuas convocaſſe Synodos, ex Euſebii H. E. Libr. V. cap. 23. innoteſcat. Opportune itaque obſervat, infeliciter Africana Concilia Stephano Papæ R. adſcribi, cum in illis ipſis Stephani opinio damnata fuerit: licet enim orthodoxe ſenſit, non rebaptizandos eſſe hæreticos, Africani tamen rejecerunt Stephani ſententiam, nec ea tanquam ab Epiſcopo Oecumenico profecta ſe teneri, crediderunt. Conſtantini mandatum, ut Cæciliani cauſa Romæ cognoſceretur in concilio, Baronius Biniusque ægre conciliare poſſunt cum autoritate ſummi Pontificis, cui ſoli Synodorum convocationem aſſerunt: nam Conſtantinus non ſolum cauſæ illius cognitionem demandavit Melchiadi P. R. verum etiam, poſtquam is Cæcilianum abſolverat, denuo Chreſto Syracuſanorum Epiſcopo ejusdem cauſæ examen commiſit, & ut una cum Arelatenſi Epiſcopo iterum ſententiam ferret, præcepit: teſte Euſebio H. E. l. X. cap. 5. Hic obſervat Comberus, quomodo Autores iſti & ſibi ipſis contradicant, nunc rudem in fide appellando Conſtantinum, quaſi ignoraſſet qua ratione in rebus Eccleſiaſticis procedendum ſit, nunc laudando eundem, quaſi ex lege divina didiciſſet, nihil in Eccleſia fieri debere absque Epiſcopo primo, Romano ſcilicet: & pervertant Conſtantini verba τῷ σεβασμιωτάτῳ νόμῳ; de ſanctiſſima Dei lege interpretantes, quæ tamen adſtipulante Valeſio in verſione, & eum ſequente Labbeo, etiam de Imperatorum edictis accipi poſſunt.

Non lubet addere plura, quoniam dignum cenſemus librum, qui & Latina legatur lingua, & omnibus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſis ſit ad manum, quo vel eo præeunte, diſcant verum a falſo diſcernere. Breviter quidem prima tria ſecula pertractat Autor, at prolixior eſt in quarta centuria, non minus ſagaciter quam ſuccincte indicans, ubi vel errarint, vel fide non ſatis bona egerint, vel denique ſuam ipſorum cauſam prodiderint magni iſti Eccleſiæ Romanæ defenſores.

In Appendice Baroniana, hujus ſolum Cardinalis errores & contradictiones, ex quarta Annalium Centuria collegit Comberus, non autem ſecundum temporum ſeriem, ut in ipſo Tractatu fa-

ctum eſt, ſed ſub diſtinctis titulis breviſſime exhibet. Primum enim oſtendit, ſubinde a Baronio ficta Martyrum acta, fabuloſas Pontificum vitas, nec non pſeudepigraphos & ſequioris ævi ſcriptores, quorum futilitatem aliis in locis diſſimulare non potuit, magno cum applauſu allegari, ſicubi ſanctorum invocationem, crucis, reliquiarum & imaginum venerationem, cœlibatus meritum, aliaque Romanæ eccleſiæ inventa probare videantur. Facit id Baronius, cum ex actis Procopii, nec non ex actis Gregorii Armeniæ Epiſcopi, & Euthymio Monacho adorationem crucis confirmare nititur; cum autoritate concilii II. Nicæni templum, quod Conſtantinus M. ſupra ſepulchrum Chriſti extruxit, picturis, quarum apud Euſebium in templi illius deſcriptione nulla mentio, exornatum aſſerit; cum Conſtantinopolin, quam ab Imperatore Deo conſecratam Euſebius dixerat, Virgini Mariæ dedicatam cum Nicephoro affirmare mavult: ut cætera exempla taceamus. Alterum Baronii artificium hoc eſſe notat Autor, quod verba & ſenſus Autorum fide dignorum corrumpat. Cum enim Auguſtinus gentiles Petrum calumniari ſcribit, Annalium parens de ſuo addit, gentiles id feciſſe, quod viderint, Petri Apoſtoli gloriam Romæ potiſſimum, ubi ſedem ſuam locaverit, mirifice celebrari. Cum Athanaſius probaturus, Patres ante concilium Nicænum voce ὁμοουσίου uſos fuiſſe, ad Dionyſium Alexandrinum & Romanum provocat, Baronius ordine inverſo Romani imprimis Dionyſii autoritate Athanaſium ſententiam ſuam confirmaſſe dicit. Cum Socrates lib. 2. c. 13. refert, Julium Epiſcopum Romanum Euſebii Nicomedienſis literas poſt mortem recepiſſe, Baronius ea verba ſic interpretatur, quod Euſebius, Romanæ eccleſiæ judicium ſubterfugiens, ad divini examinis ſeveritatem venire compulſus fuerit. Cum Athanaſius ait, ſe Romam aſcendiſſe, Eccleſiæ & Epiſcopi adeundi gratia, Baronius infert, hanc fuiſſe majorum nomenclaturam, ut per Eccleſiam & Epiſcopum, Romanam Eccleſiam & ejus Pontificem ſignificarent, illum ſcilicet ex quo, in quo & per quem omnes, qui ſunt Epiſcopi, eſſe intelligantur. Verba Chryſoſtomi: σήμερον ὑμᾶς συνάγοντες Μάρτυρες, Baronius ita vertit, ſeu potius pervertit: Martyres, quos hodie colimus. Verba Epiphanii, dicentis Mariam a nemine adorandam, Baronius ita corrumpit, ut a nemine tanquam Deum adorandam dicat. Alia exempla a Combero allata

allata omittimus, ut cætera Baronianarum fraudum, quas vocat Autor, genera percurrere liceat; inter quæ & illud referendum, quod teſtimonia, quæ opinionibus ſuis & praxi Romanæ eccleſiæ adverſantur, vel ex toto vel ex parte ſupprimat. Nam quæ Optatus Milevitanus l. 2. de communione cum ſeptem Eccleſiis Aſiaticis diſſerit, Baronius omittit, & ea ſolum excerpit, quæ ad exaggerandam Romanæ Eccleſiæ dignitatem faciunt. Quæ Gregorius Nyſſenus & Hieronymus contra religioſas peregrinationes diſſerunt, leviter a Baronio tanguntur, qui dubio procul totos illos tractatus cum omnibus ſuis argumentis Annalibus inſeruiſſet, ſi peregrinationes illas approbaſſent. Legem Imperatoris, qua hæretici declarantur, quicunq; doctrinæ Damaſi Romani & Petri Alexandrini non adhæſuri eſſent, a Sozomeno lib. 7. c. 4. adductam, Baronius ita repetit, ut omiſſo Petri Alexandrini nomine, ſolius Damaſi mentionem faciat. Aliud porro Baronii artificium notat eſſe Comberus, quod licentiam ſibi ſumat fingendi & ſupponendi ea, quæ nullius probati Autoris teſtimonio nituntur, dummodo ex his conjecturis argumenta negotio ſuo inſervientia erui poſſint. Huc refert inter alia, quod Baronius aſſerat, Athanaſium martyres coluiſſe, Conſtantinum pro victoria S. Petro gratias egiſſe &c. Multis præterea exemplis Autor probat, Baronium ſibimet ipſi contradixiſſe, nec ubivis antea dictorum memorem fuiſſe. Obſervat denique, partium ſtudium in Annalibus Baronianis manifeſtum eſſe, quotiescunque Romanæ eccleſiæ cauſa tangitur. Nam ſi vel levis occaſio ipſi naſcatur, depoſita hiſtorici perſona diſputatorem agere. Hinc natas plurimas digreſſiones de primatu Pontificis, de cultu imaginum aliisque Romanæ Eccleſiæ dogmatibus, in quibus adſtruendis adverſarios ſuos haud raro graviſſimis convitiis invadat. Animadvertit tamen & illud in Baronio, quod etſi variis artibus inſtructus ad pugnam hanc acceſſerit, evadere tamen non potuerit, quin ſubinde nonnulla in medium afferre coactus fuerit, quæ cum moderna Eccleſia Romana minus congruunt. Nam e. g. cum infallibilitate Papæ minus convenit, quod Damaſus ab Hieronymo Scripturæ ſenſum requirere opus habuit, aut quod Siricius ab Origeniſtis imponi ſibi paſſus eſt. Neque ad Baronii palatum eſt, quod Nazianzenus Athanaſium orbi terrarum leges præſcripſiſſe refert, & Cæſarienſem eccleſiam pro

eccleſiarum matre agnoſcit, in quam omnis orbis Chriſtianus tanquam circulus ad centrum oculos convertat. Inſtituti noſtri ratio non permittit, ut & cætera exempla proferamus, quibus Comberus probat, doctrinam & diſciplinam quarti ſeculi ab hodiernis Romanæ eccleſiæ placitis plurimum differre.

ספר מנורת המאור *SEPHER MENORATH HAMMAOR.*

i. e.

Candelabrum lucis, ſive doctrina moralis R. Iſaaci Abhuhabh Hiſpani.

Francof. ad Moen. a. 447. C. 1687 in fol.

Conſtat plag. 48.

DE libro hoc, quem jam a. Jud. 230. Chr. 1470. conſcriptum eſſe, *R. David* Ganß in Zemach David teſtatur, multa afferre, ſenio nobis eſt, ex quo jampridem bibliothecarum ſcriptores, (omnium vero fuſiſſime Julius Bartoloccius de Celleno fol. 871. tomi III.) argumentum ejus titulique rationem ediſſeruerunt, tresque operis editiones, Venetas de annis 304 & 355, ac Mantuanam a. 383. publicæ luci donatam, proſtare, R. Schabbethai Strimerus docuit. De pronuntiatione nominis Autoris dubium ſaltem movebimus. Effertur id vulgo *Abbuhabb.* Sunt tamen, quos ex eodem ſanguine ortum traxiſſe opinamur, qui ABOAB nomen ſuum exarare malunt; qualis eſt אליהו אבוהב *Eliau Aboab*, apud quem Amſtelodami a. 1644. imprimi curavit *Menaſſeh Ben Iſrael* commentarium *R. Selomoh Jarbi* in Pentateuchum; unde punctandum eſſet Noſtri nomen רַבִּי יִצְחָק אֲבוּהָב

ספר ארחות צדיקים *SEPHER ORCHOTH ZADDIKIM.*

i. e.

Via Juſtorum; Liber moralis.

Recuſus ibidem, eod. anno, in fol. plag. 11.

CElebris admodum & hic eſt liber, etſi autoris nomen totum literarium orbem fugiat. *Julius* equidem *Bartoloccius* T. I. n. 309. f. 466.

f.469. teſtis eſt, anonymum hunc, modeſtiæ cauſſa, titulo ארמ״ע ſe inſigniviſſe, qua abbreviatura notetur אש רוח מים עפר *ignis*, *aer*, *aqua*, *terra*, ſive homo elementis quatuor conſtans. Nihilominus fide hoc aliena dixit. Nam tituli ejuscemodi veſtigium in editione præſenti non offendas; & induſtrius ille librorum Rabbinicorum helluo indicare heic præter morem neglexit, quanam hujus operis editione uſus ſit. R. *Schabbethai Strimerus* in Siphthé Jeſchenim f. IX. n. 196. de eo certiora edocet, librum nempe prælum Pragenſe ſubiiſſe a. 341. Chr. 1581, citari a Maimonide Cap. IV. Commentarii in Pirké Abhoth, & Germanice divulgatum eſſe Iſnæ a. 302. Chr. 1542. Pertractatur autem in eo c. 1. ſuperbia; c. 2. humilitas; c. 3. pudor; c. 4. impudentia; c. 5. amor; c. 6. odium; c. 7. miſericordia; c. 8. ſævitia; c. 9. gaudium; c. 10. dolor; c. 11. pœnitentia; c. 12. indignatio; c. 13. deſiderium; c. 14. zelus; c. 15. diligentia; c. 16. pigritia; c. 17. liberalitas; c. 18. avaritia; c. 19. reminiſcentia; c. 20. oblivio; c. 21. ſilentium; c. 22. mendacium; c. 23. veritas; c. 24. hypocriſis; c. 25. maledicentia; c. 26. vitæ emendatio; c. 27. lex; c. 28. timor Dei.

COMMENTARY ON THE PROPHECY OF IOEL. id eſt:

Commentarius in Prophetiam Joelis; auctore *Eduardo Pocockio*, SS. Th. D. Canonico Eccleſiæ Chriſti, Regioque Linguæ Hebrææ Profeſſore in Academia Oxonienſi.

Oxonii, in theatro (Scheldoniano), 1691. Fol.
Conſtat alphabethis duobus.

QVæ in commentariis in *Hoſeam*, *Michaam* & *Malachiam* Pocockianis obſervatur methodus, eam etiam deprehendas in hoc, quem paulo ante extrema fata in *Joelem* evulgavit philologus immortali fama digniſſimus. (Conferantur ſodes *Acta Eruditorum* menſis Decembris, a. 1686.) Divinus hic vates faciliori ac longe paucioribus figuris impedito ſtylo utitur, quam *Hoſeas*. Unde anguſtior campus, ingenium in ejus vaticiniis poſt tot Judæo-

rum ac Chriſtianorum interpretes exercendi, *Pocockio* patuiſſe videtur. Quicquid tamen hi opinionum protulere, juſto ordine, magnaque cum perſpicuitate in ſynopſi repræſentat Noſter. Videas enim heic citari non tantum libros impreſſos, ſed & verſionem Arabicam MSCtam, itemque Lexicon *Abulwalid* Grammaticorum Judaicorum antiquiſſimi & R. *Tanchumi* Exegeſin prophetarum, nec non varia Gloſſaria Syro-Arabica, ut taceamus textum Arabicum *Doctoris Perplexorum* Maimonidis, aliosque id genus codices rariſſimos paucisque eruditorum inſpectos. Nolumus tamen diffiteri, pleraque, quæ ex *ἀνεκδότοις* illis afferuntur, ex Schoraſchim *Kimchii*, ut & *Abeneſræ* & *Abarbanelis* commentariis æque bene hauriri poſſe. Ad *Joëlis II. v. 17. p. 81.* laudat Pocockius *Ichnographiam*, (æri etiam inciſam) *templi Hieroſolymitani*, deſumtam ex vetuſtiſſimo codice Arabico commentarii Maimonidis in Maſſecheth Middoth, ac in Ebræa verſione non extantem. Poſt indices *rerum*, *vocum Ebræarum* & *erratorum*, *apologiam* reperias adverſus celeberrimum Virum, *Jobum Ludolphum*. Nimirum in *Gregorii Abul-Pharajii* Hiſtoria Dynaſtiarum a Pocockio edita, p. 116. Arab. de *Samaritanis* dicitur והי מגסמה, ac p. 74. verſionis Latinæ: *Suntque iidem corporeitatis* (*in Deo*) *aſſertores*. Ludolphus mendum heic latere arbitratus, pro מגסמה legendum ſtatuit מכמסה *machmuſato*, quod *quinquepartitum* notat, adeoque referendum ad proxime præcedens אלתוריה *alturato*, (legem,) non ad Samaritanos. Nam, ſi de Samaritanis eſſet ſermo, non fuiſſe uſurum Abulpharajium ſingulari fœminino והי Wahi, *& illa*, ſed plurali והם Wahom, *& illi*. Pocockius viciſſim pro impreſſa lectione urget conſenſum duorum codicum ſuorum & unius Huntingtoniani MSCC. dicitque, fœmininum ſingulare pronomen reſpicere ad פרקה *ſecta*, eoque nos ducere præcedentem vocem אלסאבעה *ſeptima*. Quod ſi ergo novam adornare debuiſſet editionem, nihil mutaturum ſe fuiſſe in Arabico, ſed forſan omiſſurum Latinum illud gloſſema: (*in Deo*), ut ſenſus evaſerit: *Suntque iidem corporeitatis* (non in Deo quidem, ſed in ejus promiſſionibus & comminationibus) *aſſertores*, ſive, interpretantur eas de rebus tantum corporalibus & ad hanc vitam ſpectantibus. Sic, *Schareſta-*

reſtanio & *Abulpheda* teſtibus, quosdam e ſecta *Doſitheanorum* affirmaſſe, quod & præmia & pœnæ divinæ ad hanc tantum vitam reſtringendæ ſint. Tale quid de Samaritanis enunciare voluiſſe *Abulpharajium*.

STEPHANI CHAUVINI LEXICON RATIONALE, ſive Theſaurus Philoſophicus, &c.

Roterodami apud Petrum vander Slaart, A. 1692, fol.
Conſtat alphab 8. cum foliis iconiſmorum 30.

Dictionarium hoc Philoſophicum, quod *Cl. Autor* clavis inſtar ad Philoſophiam cenſet, qua ea, quæ lumine naturali ſciri poſſunt, recludere contendit, familiari Lexicis methodo, juxta alphabeti ſeriem, terminos Philoſophicos, variasque illorum acceptiones, ſecundum veterum recentiorumque placita, exponit: unde non eſt, cur de contentis libri explicatius agamus. Suffecerit ergo B. Lectori indicaſſe, vocabula hic tradi, ex Logica, Prima, Naturali & Morali Philoſophia: ſed ea maxime, quæ argumenta faciunt harum diſciplinarum palmaria, & circa quæ divortia ſunt autorum ſectarumque, in ſcholis Philoſophorum olim hodieque agitata, quorum rationes ab Autore ſtudioſe recenſentur. Inſperſa etiam ſunt Aſtronomica, Optica, Mechanica, Chymica, aliaque quæ vulgo Phyſico-mathematica audiunt, & circa explicanda potiſſima corporum, affectionumque corporearum phænomena occurrunt; quorum intellectioni inſerviunt ſchematiſmi, effectorum naturalium hypotheſes, & rationes, variarumque machinarum, barometrorum puta, thermoſcopiorum, hygrometrorum, tele- & microſcopiorum, ſtructuras exhibentes.

MISCELLANEA ITALICA ERUDITA. Tomus II, III & IV. Collegit Gaudentius Robertus, Carm. Congr.

Parmæ typis H. & F. M. de Roſatis 1691. & 1692. in 4.
Conſtant Alph. 12 & plag. 16.

De inſtituto doctiſſimi Collectoris in Actis Eruditorum A. 1690 pag 585, diximus. Hoc itaque loco indicare ſuffecerit,

rit Tractatus illos, qui tribus hiſce volumin bus anno 1691. & 1692. publicatis continentur. Secundo nempe tomo exhibentur: *Petri Servii* Medici Romani Juveniles Feriæ, quæ continent Antiquitatum Romanarum Miſcellanea; *Ageſilai Mariſcotti Bononienſis* de Perſonis & Larvis, earumque apud veteres uſu & origine Syntagmation; *Fortunii Liceti Januenſis* Miſcellanea Erudita, decerpta ex ejus Quæſitis per epiſtolas a claris viris; *Alexandri Sardi Ferrarienſis* de Moribus & Ritibus Gentium libri III; *Bonaventuræ Caſtilionæi Mediolanenſis* Gallorum Inſubrium antiquæ Sedes; *Æneæ Vici Parmenſis* de Numiſmatibus antiquorum libri II. Tomo tertio continentur: *Petri Leonis Caſellæ* de primis Italiæ Colonis; Ejusdem de Tuſcorum Origine, Colonatu & Republica Florentina; *Pauli Manutii Veneti* Antiquitatum Romanarum liber de Legibus; *Lilii Gregorii Giraldi Ferrarienſis* de Sepulchris & vario ſepeliendi Ritu; *Aldi Manutii* Veneti de Laudibus vitæ ruſticæ, Ode Horatii Epodon. II. explicata; *Caroli Sigonii Mutinenſis* Judicium de Hiſtoricis, qui res Romanas ſcripſerunt, ab urbe condita ad Caroli M. Imperatoris tempora; *Balthaſaris Bonifacii* de Romanæ Hiſtoriæ ſcriptoribus Excerpta; *Adriani Politi* ordo Romanæ Hiſtoriæ legendæ; *Jo. Antonii Venerii* de Oraculis & Divinationibus antiquorum; *Petri Servii* Diſſertatio Philologica de odoribus. In quarto denique exhibentur: *Pauli Manutii Veneti* Antiquitatum Romanarum Liber de Comitiis; *Gaudentii Merulæ Novarienſis* de Gallorum Ciſalpinorum antiquitate ac origine; *Jo. Marii Mattii* Brixiani Libri III, in quibus plurima loca Auctorum Latinorum & Græcorum explicantur, aut corrupta emendantur; *Joſephi Nerii* Peruſini Analecta, in quibus præter ea, quæ ad Jus pertinent, varia tam in ſacra quam in profana Hiſtoria, & quædam in Tacito explicantur, illuſtrantur, emendantur. De ſingulis his operibus dicere prolixum nimis foret, neque inſtituti noſtri.

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II. Sect. II.

LA VERITÉ DE L' HISTOIRE DE JUDITH
par
Dom Bernhard de Montfaucon &c.
i. e.

VERITAS HISTORIÆ JUDITHÆ ADSTRUcta a Bernhardo Montfalconio, Monacho Benedictino Congregationis S. Mauri.

Pariſiis apud Simon. Langronne Anno 1690.
in 12.

Conſtat plagg. 15.

TOtum hoc opus Cl. Autori in tres partes diſtribuere placuit. Primam abſolvit Hiſtorica narratio de geſtis Judithæ ex textu Græco pariter ac Latina interpretatione concinnata, quæ ut accuratius tradi queat, a Dejoce & primis Imperii Medici initiis, usque ad Aſtyagen iſtiusque regni interitum, filum orationis perducitur. In ſecunda parte id, quod plurimum difficultatis habet, adeoque maxime occupatum tenet Autorem noſtrum, tentatur, conciliatio nimirum Hiſtoriæ hujus cum Aſſyriorum & Medorum monumentis. Diſpiciendum itaque ante omnia ſibi putat, unde genuina harum gentium Hiſtoria ſit haurienda. Sane in diverſiſſimas partes hic abire Cteſiam & Herodotum, jam olim poſt Diodorum Siculum a Photio animadverſum fuit, adeo ut fruſtra eſſe ii Autori noſtro videantur, qui hodie conciliare inter ſe invicem duumviros iſtos nituntur. Id potius quærendum ſibi perſua-

det, utri eorum major in iſta Hiſtoria fides ab eruditis debeatur. Et ipſe quidem Herodotum Cteſiæ præponere haud dubitat, cujus fidem non veterum tantum, Ariſtotelis puta, Antigoni Caryſtii, Plutarchi, Luciani, Photii, aliorumve autoritatibus labefactare, ſed ei etiam, longa facta fabularum a Cteſia poſteritati obtruſarum recitatione, & examinatis quæ de Medorum & Aſſyriorum ſpeciatim tradit imperio, plane eripere conatur. Herodoti contra autoritatem tum doctorum virorum elogiis, Athenæi ſcilicet, Dion. Halicarnaſſæi, Ciceronis, & ex recentioribus Joſ. Scaligeri aſſertam cupit: tum etiam inprimis in ea, de qua nunc ſermo eſt, Hiſtoria eam extollit, tam iſto motus argumento, quod minus certa ſcribens eum, quem meruit, popularium applauſum mereri non potuiſſet, uti quibus de rebus Medorum non longo adeo retro tempore geſtis non poterat non quam optime conſtare; quam iſto imprimis, quod optime cum ſacrarum literarum monu-
p. 166. mentis Herodoteis narrationibus conveniat. Confutat proinde, qui jam olim Hiſtorici hujus fidem ſuſpectam reddere voluerunt, Manethonem atque Plutarchum, quem poſteriorem tamen nihil in iis, quæ de
p. 175. Aſſyriorum & Medorum geſtis (de quibus nunc præcipue ſermo eſt) ille tradidit, inveniſſe obſervat, quod aliquam cenſuram mereatur, ſi ſola in Dejocem congeſta convicia, quæ nimia ipſi videntur, excipias. Ex quo ipſo invictum ſibi naſci argumentum Autor exiſtimat, ſaltem in hac Hiſtoria omni fide Herodotum eſſe majorem, utpote in qua acerrimus licet ejus reprehenſor Plutarchus nil dignum litura invenire potuerit. Agit vero etiam contra recentiorum quorundam accuſationem Herodoti ſui cauſam. Scaligero enim, qui eum poſt Diodorum Siculum erroris arguit ob nimium ſpatium, quod inter Medorum contra Aſſyrios rebellionem & Dejocis imperium conſtituit, reſpondet, nunquam tot ſecula quot Scaliger ſibi fingit duabus his Epochis eum interpoſuiſſe, ſeque alibi oſtenſurum promittit, breviſſimum eſſe intervallum, quod ex Herodoti mente inter utramque intercedat. Id quoque figmentum eſſe Scaligeri ait, quaſi Ninivem Cyaxaris tempore captam & devaſtatam Herodotus dixerit; plane aliter enim eum ſentire, ex Libri I. c. 106. & 185. cuilibet patere ſibi perſuaſum habet. Fruſtra vero etiam plane Salianum eſſe putat, qui eo argumento Herodoto fidem ereptum ivit, quod rotundos nobis Ecbatanæ muros deſcri-

pſerit,

pſerit, quos tamen figuram quadratam retuliſſe Scriptura perſuadeat: nec Herodoto enim de rotundis, nec Scripturæ de quadratis Ecbatanæ muris in mentem unquam aliquid veniſſe contendit. Petavium porro reprehendit, qui dicam Hiſtorico noſtro ideo ſcripſit, quod Niniven a Phraorte obſeſſam tradidit: nam hoc quoque apud Herodotum nuſpiam occurrit, qui nihil amplius dicit, quam bellum fuiſſe Phraorti cum iis Aſſyriorum, qui Niniven tenebant, peculiaremve ab illis, quibus Babylon parebat, gentem conſtituebant. Denique miratur Autor noſter, doctiſſimum virum Iſaacum Voſſium litem Hiſtoriæ Parenti ideo intendiſſe, quod Niniven cum Babylone confuderit, & unam ex duabus fecerit urbem: cum tamen, quam accurate eas diſtinguat ab invicem, ex ſolo primi libri c. 178. abunde conſtare queat.

De Cteſia & Herodoto poſtquam mentem ſuam expoſuit, cenſuram ſuam in reliquos Hiſtoriarum ſcriptores exercere pergit, p. 184. qui ſubſequentibus temporibus de Medorum & Aſſyriorum rebus aliquid commentati fuerunt, quos, prout ad Cteſiam ac Herodotum vel accedunt propius, vel ab iis longius recedunt, vituperat aut laudibus exornat. Multum proinde tribuit Alexandro Polyhiſtori, Dionyſio Halicarnaſſæo, Appiano Alexandrino, & aliis, qui Herodoti veſtigia preſſius fuere ſecuti. Caſtori contra, Trogo Pompejo, Vellejo Paterculo, Julio Africano, Euſebio omnibus modis detractum cupit. Quibus omnibus abunde ſe effeciſſe putat, ut Herodotus majorem quam Cteſias autoritatem obtineat, indeque oſtenſo hiſtoriæ Judith cum Herodoti narratione conſenſu, rem omnem ex voto ſe confectam habiturum ſperat.

Rejicit autem ſtatim initio eorum opinionem, qui poſt captivitatem Babylonicam Hiſtoriæ hujus tempus conſtituunt, in qua ex p. 204. veteribus Euſebium & Georgium Syncellum fuiſſe notat, quibus addi potuiſſent Auguſtinus, Africanus, Beda, Cedrenus, & ex recentioribus quam plurimi, quos validiſſimis argumentis Autor noſter poſt alios impugnavit. Porro inter illos, qui ante captivitatem tempus huic Hiſtoriæ aſſignant, eos aggreditur, qui per Arphaxa- p. 211. dum libri Judith, Dejocem intelligi ſibi cum Melch. Cano & Rob. Bellarmino perſuadent, adeoque ad ejus tempora hiſtoriam hanc referunt. Omnia enim, quæ de Arphaxado ibi narrantur, longe melius

lius in Phraortem Herodoteum quadrare, prolixe oſtendit; miraturque adeo, neminem hactenus præter Jacobum Zieglerum, quem poſtea ſecutus ſit Joh. Benedictus Pariſienſis Doctor, id animadvertiſſe: cum tamen præter Herm. Conringium, quem ex Voſſii ad Severum Sulpitium notis in eadem ſententia fuiſſe conſtat, Sebaſtiano Verronio Codomanno, Jo. Micrælio, & Hieronymo Vecchietto idem jamdudum probabile viſum fuerit. Facili autem negotio dubium ſolvit Autor, quod obſtare huic ſententiæ videtur, inde deſumtum, quod Arphaxad Ecbatanam condidiſſe in Hiſtoria Judithæ dicatur, cujus urbis extructæ gloriam tamen ad Dejocem Herodotus manifeſte refert: quod enim Græcus libri Judith textus habet, ἐπῳκοδόμησε ἐπὶ Ἐκβατάνης, non tam extructionem, quam perfectionem & ampliationem Ecbatanæ indicare patet. Ma-
p. 220. gis arduum videtur, quis Nabuchodonoſor in Hiſtoria Judith fuerit, definire. Cum enim Herodotus Hiſtoriam Aſſyriacam, uti promiſerat, non executus fuerit, nec ex aliis quoque monumentis aliquid certi colligere liceat, meris conjecturis hic litandum eſſe Autor agnoſcit. Sententiam tamen ſuam ita fere proponit, ut Aſſaradinum Aſſyriæ Regem apud Ptolemæum, eundem eſſe cum eo, quem Scriptura Aſſarhaddonem vocat, ſupponat. Et illum quidem Babylonem imperio ſuo adjeciſſe inde colligit, quod eum Babyloniorum Regum catalogo non Ptolemæus tantum inſeruerit, ſed & quod II. Paralip. c. 33. Manaſſen Babylonem abduxiſſe, & Esdr. IV. loco populi cum eo abducti Hieroſolymitanum diſtrictum exteris habitandum conceſſiſſe dicatur: unde conſequens eſſe exiſtimat, Saosduchinum filium ejus eſſe Nabuchodonoſorem, de quo nunc loquimur: probaturum enim ſe poſtea ait, tempus hujus Nabuchodonoſoris & expeditionis Holofernis, aliquot annis poſt reditum Manaſſis ex captivitate Babylonica, adeoque in regnum Saosduchini incidere. Nec obeſſe ſententiæ ſuæ putat, quod Nabuchodonoſoris nomen nunquam Ninivæ Regibus, ſed ſolis Babyloniis impoſitum fuerit: ſatisfeciſſe enim huic dubio ſe putat, ſi dixerit, Regem Babylone ſubjugata Babylonicum nomen quoque adſciviſſe, vel etiam placuiſſe autori libri Judith, hunc Judæorum perſecutorem nomine deſignare perſecutoris Judæorum omnium maximi, præcipue cum non abludat Judaicæ nationis conſuetu-

do,

do, quæ omnes orientis Reges, quorum imperium experta fuit, uno indifferenter nomine appellare conſuevit; id quod Ahasveros & Pharaones abunde confirmare exiſtimat. Id interim non ſatis liquere fatetur, an quæ junxerat Aſſaraddon Aſſyriæ & Babylonis regna, conjunctim quoque poſſederit filius Saosduchinus: forte enim accidere potuiſſe, ut ſolo Babylonio regno retento, cujus regibus eum expreſſe Ptolemæus accenſet, regnum Ninivæ ab alio nobis ignoto ſibi eripi paſſus fuerit. Obſcuritatem autem hanc favere ſuæ ſententiæ potius quam obeſſe putat, cum conſtet Reges Aſſyriæ Manaſſi coævos non ſatis notos hodie eſſe, indeque haud mirum, ſi de eo quoque, de quo nunc ſermo eſt, ſatis certa in medium proferri nequeant.

Id porro confirmandum eſſe Autor exiſtimat, quod jam in præcedentibus ſubindicatum fuit, Manaſſe ſc. regnum tenente obſeſſam fuiſſe Bethuliam, quod ipſum tam cum Judithæ ætate, quam cum Phraortis morte, quæ ante Manaſſis regnum contigiſſe non poteſt, & aliis circumſtantiis Hiſtoricis apud Herodotum optime convenire oſtendit. Et ex his omnibus tandem Chronologicam ſupputationem temporum ante captivitatem Babylonicam inſtituit; ſecundum quam anni Herodoti cum annis Scripturæ optime conciliari queant. Epocham aſſumit deſolationem urbis Ninivæ, quam ultimis temporibus Joſiæ anno ejus circiter 24 a Nabopalaſſaro, conjunctis cum Cyaxare viribus, factam fuiſſe, contra eos, qui Nabuchodonoſoro poſt Joſiæ mortem id tribuunt, contendit, indeque deducit contigiſſe p.227. p.233.

Mortem Phraortis	Anno Manaſſis 38.
Obſidionem Bethuliæ	39. qui fuit Judithæ 50.
Initium regni Cyaxaris ob interregnum poſt mortem Phraortis	Anno Manasſis 43.
Primam Ninivæ obſesſionem	45.
Ninivæ deſolationem	Anno Joſiæ 24.
Mortem Judithæ	Anno Joachimi 5. vel 6.

Finem denique ſecundo huic libro Autor imponit, poſtquam ad nonnulla, quæ opponi ſententiæ ſuæ poſſent, breviter reſpondit. V. g. mirum alicui videri poſſe, quod cum Manaſſe regnante res

iſtæ geſtæ fuerint, nulla tamen Manaſsis mentio in iſta Hiſtoria occurrat, ſed ita exponantur omnia, quaſi auſpiciis Joachimi vel Eliacimi Sacerdotis ſummi geſta fuerint. Dubio huic Joſephum occurrere Autor ſibi perſuadet, qui Manaſſem poſt reditum ex captivitate non tam rebus gerendis, quam pœnitentiæ agendæ intentum fuiſſe narrat. Addit Autor aliis forſan urbibus muniendis contra irruentis hoſtis pericula occupatum Manaſſen fuiſſe, adeoque Bethuliæ a Sacerdote ſummo proſpici voluiſſe; Bethuliam inſuper non Tribus Judæ ſed Simeonis urbem fuiſſe, quam proinde Sacerdotem quidem ſummum cum reliquis Judæis, non vero Regem communem agnoviſſe, ex II. Paralip. 30. colligi poſſe exiſtimat. Gravius eſt dubium, quod ex Judith V. 7. moveri ſolet, quem nodum ſecandum potius, quam ſolvendum ducens Bellarminus, ab aliena manu locum iſtum aſſutum putat: ſed mitiori via procedit Autor noſter; verba enim iſta, *ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος*, non totalem illam templi Hieroſolymitani ruinam per Nabuchodonoſorem procuratam illi ſignificant, ſed ſaltem ejus profanationem, qua temporibus Manaſsis, quibus in eo tanquam in *vulgari pavimento* obambularunt, iſtudque diripuerunt impuri ex gentibus homines, dehoneſtatum fuit: nam etſi *εἰς ἔδαφος καταβάλλειν* apud Plutarchum, & *εἰς ἔδαφος καθελεῖν* apud Thucydidem, phraſin Latinam *ſolo æquare* exprimere negandum non ſit, dubitat tamen Autor, *εἰς ἔδαφος γίνεσθαι* uſpiam hoc ſenſu reperiri poſſe. Accedit quod ita Achior in hoc loco ſermonem inſtituit, ut ſæpius Domum Dei *εἰς ἔδαφος γεγονέναι* ex eo colligi queat, cum tamen etiam eo, quo adverſarii hoc dictum volunt, tempore plus una vice devaſtatum templum haud fuerit, tametſi ſæpiſſime direptum & profanatum iſtud fuiſſe conſtet: ut taceamus, quod Judith IV. 3. populus luſtraſſe altare & domum Dei dicatur poſt reditum ex captivitate Babylonica, quod ipſum de reditu ex poſteriori iſta captivitate accipi nequit; tum enim non luſtrandum ſed plane ex cineribus denuo ſuſcitandum templum fuerat. Quin denique in libro Judith inter reliquas Judæorum calamitates nuſpiam memorantur tales Hieroſolymorum ruinæ, quæ lapidem lapidi impoſitum non reliquerint, quales tamen iſtam Nabuchodonoſoris devaſtationem iis intuliſſe abunde omnibus conſtat.

Et

Et ſic denique ad Tertiam partem Autor accedit, in qua non fabulam, aut parabolam, ſed veram hiſtoriam in libro Judith exponi demonſtrare anniſus eſt. Utitur autem, ut hoc evincat, quadruplici argumento. Primo iis, quæ libro præcedenti dicta fuere, innititur, in quo nempe & tempus & aliquas hiſtoriæ circumſtantias abunde a ſe demonſtratas eſſe ſibi perſuadet, proindeque Luthero & Grotio indignatur, qui certum tempus ei aſſignari poſſe negantes, ob hanc præcipue cauſam fabulam eſſe judicarunt. Secundum argumentum inde deſumitur, quod nihil in hac hiſtoria parabolæ occurrat ſimile: nunquam enim in parabolis ſolicite adeo annotari Principum & Regum annos, eorum prælia & victorias, quod collatione quarundam ex iis, quibus Chriſtus uſus eſt, cum Hiſtoria Judithæ prolixe confirmatur. Tertium argumentum ultima hujus libri verba Autori ſuppeditant, in quibus de feſto mentio injicitur, quod in memoriam victoriæ prope Bethuliam depugnatæ quotannis celebraverint Hebræi, quem morem ad ſua usque tempora viguiſſe libri autor affirmat. Putat autem facile hoc argumentum contra H. Grotium vindicari, qui de feſto, quo templi dedicatio a Juda Maccabæo inſtituta recolebatur, iſta accipienda docens, mira contradictione ſibi ipſi illudat, dum alibi ſcriptum eſſe librum Judith ante dedicationem illam aperte fuerit profeſſus. Nec magnum momentum habere exiſtimat, quod Grotius objicit, nullum talis feſti hodie apud Judæos obvium eſſe veſtigium: nam eosdem etiam celebrationem feſti, ob victoriam a Nicanore reportatam a Juda Maccabæo inſtituti, hodie negligere conſtat. Quin in Eccleſia Æthiopica hujus quoque feſti celebrationem adhuc durare, ex Æthiopico Calendario, a Joſ. Scaligero vulgato, nemini non notum eſt. Quartum denique argumentum ex Antiquitatis Eccleſiaſticæ conſenſu circa hujus Hiſtoriæ veritatem conſtruitur, tandemque exceptionibus quibusdam Proteſtantium examinatis, toti operi finis imponitur. Cæterum, quæ de Hiſtoria Aſſyriorum paſſim Autor in hoc libro diſceptavit, uberius eum pertractaturum ſpes eſt in opere, quod de Hiſtoria iſta ſe moliri per literas doctiſſimo Baſnagio ſignificavit.

p. 279. p. 286. p. 296. p. 301.

MOYENS

MOYENS FACILES ET ASSEVREZ POVR CONſerver la ſanté, ſans prendre aucun remede, &c.

i. e.

Modi faciles ac tuti ſanitatem conſervandi, absque omni medicamentorum uſu, per Dn. Domergium.

Pariſiis apud Nicolaum le Gras, 1689. in 8. conſtat plagul. 9.

Oppido multos eſſe ex ægrotantium numero, qui medicamenta omnia faſtidiente oculo contueantur, nauſeabundo ſtomacho recuſent & averſentur, optime norunt, qui medendi provinciæ admoti eandem vigilantius adminiſtrant. Hinc fieri plerumque amat, ut & propera vi morborum invaleſcat malignitas, & curæ diligentiſſimæ operam fruſtra Medici ſuſcipiant. Sed vero iſthuic malo haud difficulter ibitur obviam, modo quæ tradita præſenti libello ſunt, ubivis veritate nitantur. Scilicet quatuor potiſſimum modi edocentur, quibus tam recta valetudine utentes, quam extra ſanitatem projecti, absque omni medicamentorum ope ſeſe valeant conſervare. Et ſecunda quidem jam vice apparata tractatuli editio eſt, quod prioris exemplaria omnino cuncta fuerint diſtracta. Neque vero in ſectiones aut capita diſtributus ille deprehenditur, ſed periodis ſaltem vel rubricis 26. materiam omnem comprehendentibus circumſcribitur. Antequam autem in explicationem ipſam veniatur, de cauſis morborum earumque effectibus nonnulla præmittuntur. Scilicet hoc pro principio adſtruitur, quod cauſa generalis cunctarum ægritudinum ſint aquæ, tum in capite, tum in ſtomacho & pectore productæ, ac pituitæ & aeris ſeu flatuum in abdomine generatorum nomine inſignitæ. Fundamentum iſtius principii deducitur ab experientia Auctoris, quippe quia longo tempore omnes ſuperarit morboſas afflictiones absque ullo medicinæ ſuccurſu. Hinc enatam ſibi perſuaſionem, exiſtimat, quod aquæ & flatus veriſſimæ morborum cauſæ ſalutentur. Qua ratione utriusque in corpore origo contingat, pluribus ediſſeritur.

edisseritur. Scilicet (1.) aquas e vaporibus generari, qui ſub alimentorum in ventriculo coctione aſcendant; non ſecus atque aer calidus in aquam convertitur, ad locum frigidiorem ſi appulerit: ita illos vapores aerea conditione & ignea levitate gaudentes ſurſum ferri, & penetrare in capitis ſummitatem, ubi tanquam in regione frigida, & a centro caloris, corde ſcilicet, remotiore facillime condenſentur. Sic illos acquirere humiditatem, & cum craſſitie ſimul gravitatem aquæ, nunc magis, nunc minus, pro diverſo ſcilicet gradu frigiditatis, quam cerebrum obtineat. (2.) Aerem ſeu flatus pariter formari in ſtomacho & abdomine, mediante calore, qui agat in materias humidas, easque in aerem convertat. Cæterum hæ aquæ continuo a frigore produci aſſeruntur, jugiterque iterum evaporari ac diſſipari vi caloris naturalis & ſpirituum, qui illas conſumant, viisque diverſis expellant, v. g. per nares, per exſcreationem, per alvum, per vomitus, per ſudores, per apoſtemata aut abſceſſus. Sæpe tamen contingere aſſeveratur, quod dictæ aquæ ſeu phlegmata craſſa & corrupta, ſi in capite abundent, effundantur & depluant in carnes, atque in parte quadam debiliore & infirma ſubſiſtentes, inflammationes & dolores pariant. Atque hæc generalis Auctoris noſtri eſt ſententia, quam plerisque affectibus ſuo modo applicare annititur. Sic inde derivat dolorem capitis, odontalgiam, coryzam, podagram, calculum, hydropem, apoplexiam, colicam, febres, ac certo modo a veneno derivatos morbos contagioſos. His ſubnectit obſervationem e penu propriæ experientiæ depromtam, quod nimirum decubitus in lecto uſitatus, ita ut caput elevatum ſit, ſanitati noceat maxime. Scilicet vapores, ſiquidem igneæ ſint naturæ, hoc modo facilius & copioſius aſcendere in caput, unde in aquam ibi condenſati decidant in ſubjectas corporis partes, harumque invaletudines adaugeant, vel de novo efforment. Contrarium vero evenire teſtatur, ſi caput cervicali recumbat vel demiſſiore, vel tamen æquali cum pectore ſitu. Sic enim vapores cum ab aſcenſione, tum ab intimiore ſui conjunctione & defluxu in membra corporis omnino prohiberi.

Ex hactenus dictis infertur, ſanitatis rationem conſiſtere in tranquillitate ſpirituum, functiones naturales absque obſtaculo ob-

eantium: morbos vero procreari, ſi iſthæc tranquillitas turbetur, per aquas & flatus in corpore ab exceſſu alimentorum, & debili eorum coctione, nec non communicatione veneni peregrini, oriundos. Hinc tandem colligitur, quod medicamenta vi ſua & effectu eo debeant collineare, ut e corpore eliminent, quicquid ſpirituum quietem vel tranquillitatem interturbat.

Poſthabitis autem remediis, quæ reparandæ valetudinis ergo ordinarie dicuntur uſurpari, diæta ſcilicet & vomitoriorum imprimis uſu, ad ſuos Auctor quatuor modos deſcendit, quibus promiſſorum in libelli titulo fidem liberare præſumit. Et I. eductionem aquæ e corpore inſtituit cum penna anſerina, in cujus extremitate ad digiti longitudinem plumas relinquit. Illam ſic immittit ori protruditque ad uvulam usque, ac ibi detinet pro lubitu. Sic irritari ait ſpiritus, absque ullo tamen dolore & incommodo, ut idem effectus inſequatur, qui alias a medicamento in ventriculum aſſumto ſoleat provenire. Ita nimirum aquas & phlegmata ex pectore & capite profluere, & magna abundantia continuoque quaſi rivulo ex ore atque naribus decurrere. Sed II. duabus præterea parvis extremitatibus pennarum, iisque deplumatis utitur, eas naribus immittendo; unde ex jugi vellicatione æque fluxum, ſed longe majori copia atque á pulveris ſternutatorii uſu, concitari aſſerit. Atque id quidem ſingulis diebus & quavis hora putat peragi poſſe, quoties nimirum vel corpori vel capiti male ſit. Quæ autem ratio operationis ſit, & quomodo hæc cum pulvere ptarmico conveniat, brevi enucleatione ſubnectitur. III. aerem ſeu flatus e ventriculo & inteſtinis expellendi modus optimus cenſetur, ſi fiant frequentes compreſſiones abdominis cum inſpiratione ſeu attractione aeris. Confirmat autem hactenus dicta omnia Auctor noſter, quod per 17. annos non alia uſus fuerit medicina; ſed his evporiſtis ſanum ſe liberumque præſtiterit a defluxionibus catarrhalibus, a coryza, odontalgia, ab absceſſu, a febribus &c. Et quamvis ea ſit ætate, quæ infirmitates ſoleat poſt ſe trahere, adeo perfecta tamen ſe ſanitate frui prædicat, ut nec venæſectione indigeat, nec dolorem in ulla corporis parte perſentiat, belle & cum appetitu comedat, quietiſſime dormiat, ac gradiri commoda promtitudine valeat. IV. novus ſudorem proliciendi

endi modus absque omni medicamentorum adminiculo talis ſiſtitur, ut ſcilicet eleventur aut plicentur non nihil genua ad acquirendam majorem vim valide, & quantum poſſibile, intendendi vel inflandi ventrem. Quodſi hoc membrorum poſitu, & vel in dorſo vel in alterutro latere quis decumbens ſe bene contectum in lecto contineat, fore promittitur, ut ne horæ quidem ſpatium intercedat, quin totum corpus ad calcem usque ſudore perfluat. Peculiare hic in ſecunda hac editione ſcholium ſubjicitur, quo non tantum ſingula hactenus memorata auxilia dilucidius exponuntur, ſed & eorum prærogativa præ medicamentis adſtruitur. Scilicet hæc non æque atque illa absque prævia corporis præparatione quovis loco ac tempore, ac quacunque hora poſſe adhiberi. Tandem ſequuntur diſcurſus de œconomia naturali ſpirituum in corpore animato, de converſione aeris in aquam, de rore, de nubibus, pluvia, ventis, eorumque effectibus, item de ſcaturiginibus aquarum, & quomodo aquæ iterum in aerem reſolvantur. In his omnibus ſemper annotatur, quicquid forſan ſtabilimento prolatæ hactenus ſententiæ conducere videtur. Finem libelli conſtituit per brevis conſideratio plurium impreſſionum, quas pati elementa queant. Adjicitur ſimul excuſatio ob inconcinnam forte argumenti pertractationem, in quam multi poſſint errores irrepſiſſe, quod Auctor nec Medicum ſe, nec Philoſophum profiteatur.

AN ENQVIRY AFTER HAPPINESS,

i. e.

Diſquiſitio de Felicitate, Volumen I. cui ſubjungitur Volumen II. Humane Life i. e. Vita humana inſcriptum.

Londini apud *Sam. Smitd*, 1.685. & 1690. in 8. Alphab. 1. & plagul. 17.

Anitius Manlius Severinus Boethius, Patritius & Conſul, vir Græce & Latine doctiſſimus, a Theodorico Rege Italiæ in exilium pulſus, de *Conſolatione Philoſophiæ* elegantiſſimum ſcribens libellum, tale apud hiſtoricum quendam meruit Epiphonema: *Poſterorum intererat, calamitoſum eſſe Boethium, ut ad eos tanta ſolatia*

pervenirent. Illud ipſum ad Authorem noſtrum applicare non incongruum fortaſſis erit. Areſcit enim ager, qui continuos Solis patitur radios, nec quas colonus expectat, fruges præbet. Virtutes non ſolum probat, verum & elicit adverſa hominibus fortuna, atque ſtellarum inſtar in tenebris coruſcare facit. Sic magnus *Lipſius* conſtantiam didicit & docuit, cum patria ejus, ipſeque cum ea non uno turbarum ſeditionumque agitaretur vento. Sic alii diu hinc inde jactati, tranquillitatem intra mentis ſuæ pomœria quæſiverunt tandem, aliisque inventam oſtenderunt. Sic Author, quem ſiſtimus, utriusque fortunæ quondam luſus, veram nec unquam amittendam quærens felicitatem, eandem inventam lectoribus ſiſtit hocce tractatu. Docet autem in volumine primo, quæ hominem ad quærendam felicitatem movere debeant; removet deinde, quæ ab inveſtigatione hac deterrere poſſint, oſtenditque nec ſupra vires humanas eſſe, eam acquirere, nec Fato ab ea aſſequenda arceri quenquam, verum tum prima Dei inſtitutione ſeu creatione, tum benigniſſimis ejusdem promiſſionibus, Spiritusque S. auxilio ad illam homines duci, vocari, provehi. Singula eleganti explicat ſtylo, non tamen Philoſophico, ſed Theologico, gravi pariter atque venuſto; gentilium dictis rarius, Scripturæ Sacræ verbis ſæpius uſus. Quanquam enim felicitas hominis, aut minimum
p. 339. univerſalis immediataque felicitatis cauſa ipſi ſit recte ſecundum ſanam rationem veramque philoſophiam vivere; tantum tamen
Præfat. ad libr. de Conſtant. abeſt, ut gratiam divinam ab illa ſecludat, eandemque cum Lipſio cenſuram incurrere velit, ut potius ipſam Spiritus Sancti gratiam ubique ſupponat, cumque precibus ad ſupremum Numen indefeſſis neceſſario requirat. *Sic* enim putat Author, *hominem trans-*
p. 352. *ferri in ſtatum luminis atque cognitionis, pacis atque ſecuritatis, perpetuæ atque rationi congruæ voluptatis. Hoc*, verba ipſius porro ſunt, *intellectui reddit dominium & majeſtatem ſuam, voluntati arbitrium &c.*

In volumine ſecundo diſtincte expſicat, quomodo tum activa, tum contemplativa vita inſtitui debeat, ut quæſita inveniatur felicitas. In illa pertractanda nobilibus & mercatoribus regulas præſcribit, virtutesque præcipuas ipſos decentes proponit. De contemplativa vita, quam non vult eſſe monaſticam, enthuſiaſticam,

ſticam, vel, ut jactant, Seraphicam contemplationem, ſed tempeſtivum receſſum, atque a negotiis mundanis opportunam vacationem, docet; utilem eam eſſe ad tranquillitatem mentis exercendam, præveniendas tentationes, erudiendum ſemetipſum, quomodo quis dextre proximo inſervire poſſit, & denique, ut quis Deo adſueſcat atque ſe intimius ipſi conſecret. Requirit deinde ad hoc vivendi genus (1.) opes non ingentes, tantas tamen, quantæ homini ingenuo ſufficiunt. (2.) humilem pacisque amantem animum. (3.) ingenium docile. Ex regulis, quas hic obſervari vult, alia perſonas reſpicit, dum monet, ut ſenes præ aliis huic ſe dedant vitæ generi, juvenes autem ſe aſſuefaciant illi: alia locum deſcribit: alia, quæ contemplanti agenda ſint, indicat; utpote, quæ cogitationes alendæ, quæ recreationes admittendæ, qui amici aſſumendi, & qui pietatis actus exercendi ſint.

KERCKELYCHE HISTORIE, SOO VAN HET OUDE als Nieuwe Teſtament, &c.

i. e.

Hiſtoria Eccleſiaſtica Veteris & Novi Teſtamenti, a condito mundo usque ad hæc noſtra tempora: auctore Jacobo Leydeckero, Wilhelmoſtadii Jeſu Chriſti Miniſtro.

Dordraci apud Did. Goris, 1691. in 8. Alph. 2. pl. 12.

UT Reformatæ Eccleſiæ addictis, & Belgis inprimis, conſuleret Reverendus Auctor, Clariſſimi in Ultrajectina Academia Theologi *Melchioris Leydeckeri* frater ac quondam diſcipulus, Belgico idiomate præſens Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Compendium adornavit. Neque enim ſeu Pontificiis, ſeu Fanaticis probatum illud iri, præſagitione velut quadam ipſemet in Præfatione agnoſcit: ſperat vero ingratum minime futurum civium ſuorum ſaltem illis, quibus magna volumina & exotico ſermone conſcripta evolvere ac perluſtrare non licet. His enim utique volupe erit, admiranda Eccleſiæ & Veteris & Novi Teſtamenti fata, quæ ab orbis incunabulis ad annum usque 1691 eam exercuerunt, pa-

trio ſermone, nec magno libro enarrata cognoſcere ac cum fructu expendere.

A DISCOVRSE OF NATVRAL AND REVEALD Religion in ſeveral Eſſays. Or, the Light of Nature a Guide to Divine Truth.

i. e.

Diſcurſus de Naturali & Revelata Religione in diverſis Speciminibus. Sive Lumen Naturæ manuducens ad fidem divinam.

Londini apud Joh. Nevvton, 1691, in 8. Alphab. 1.

Libelli hujus argumentum ſi in ſynopſi quadam exhiberi debeat, ad duo præcipue capita omnis tractatio facile reduci poteſt; ad probationem nempe tum Exiſtentiæ DEI, tum Cultus, quem ipſi, ut Enti ſummo, creaturæ debent perfectiſſimum. Atheiſmum enim & profanum religionis contemtum oppugnare, cum Auctoris in hoc tractatu ſcopus præcipuus ſit, præcipuum etiam erat, ut de duobus illis capitibus recte adſtruendis maxime eſſet ſollicitus.

Demonſtraturus autem Auctor Dei exiſtentiam, ipſum quidem Deum partim in ſe, partim reſpectu ad creaturas habito, conſiderat, utrinque probans ζήτημα ſuum. Iſto modo, ſeu in ſe Deum reſpiciens, exiſtentiam ejus & ex naturæ inſpectione, & rationis principiis, & teſtimoniis ſapientum gentilium declarat, c. 1. & 2; ſubjungens c. 3. attributa Dei tum abſoluta, tum relativa. Hoc autem modo, ſeu in reſpectu ad creaturas Deum conſiderans, opera præcipua excutit, & ex illis Dei exiſtentiam itidem demonſtrat. Sunt vero hæc opus creationis & conſervationis, ſeu providentia, cujus conſiderationi a c. 4. usque ad 10. incumbit, ſubjuncta etiam in cap. 11. corollarii loco, tractatione de fato & fortuna. Ex quibus illud imprimis videtur obſervandum, quod Auctor in articuli de Providentia excuſſione Calvini ſententiæ ſuccenſeat, quæ Deum auctorem aut cauſam mali facit, cui ſententiæ tum recenſendæ, tum deſtruendæ octavum & nonum caput impendit.

Ad cultum divinum, tanquam alteram tractationis partem accedens Auctor, monſtrata primum in c. 12. cultus divini neceſſitate, in c. 13. prolixe & docte de variis Gentilium præcipuorum cultibus diſſerit. Cumque falſitas & imbecillitas in omnibus his pelluceat, commode concludit, ex divina tantum revelatione de vero Dei cultu conſtare poſſe. In revelatæ itaque religionis cenſu, primum locum obtinente religione Judaica, monſtrat variis argumentis ipſius divinam veritatem; ſimul vero oſtendit, iſtam non niſi temporariam fuiſſe, cultibus ſuis tanquam typis unice reſpicientem ad Chriſtum & religionem Chriſtianam, cujus unicam etiam veritatem pluribus argumentis adſtruit pariter ac vendicat, a cap. ſcilicet 18. usque ad 26. In quibus Meſſiam veniſſe, & religionem, quæ ipſum colit, veram eſſe, tum prophetiarum veritate, tum vitæ ipſius ac doctrinæ ſanctitate, miraculorum gravitate, & effectuum denique ac ſucceſſuum Evangelii per univerſum mundum modo prorſus mirando abunde probat, diſcusſis etiam exceptionibus, quæ opponi ſolent. His tandem ſubjungit religionem Muhammedanam, non quod in veræ religionis cenſum iſtam referendam eſſe ducat, ſed, ut ipſe c. 26. innuit, ideo huc relatam, quod ſpecioſiſſimis objectionibus Chriſtianam religionem onerare poſſit; his autem ſolide diſcuſſis, Chriſtianæ religioni ſua dignitas eo rectius conſtare queat. Etſi vero ita multum, imo plurimum Chriſtianæ religioni & cognitioni Chriſti Auctor tribuat, ut in concluſione etiam libelli p. 353. ſcribere non dubitarit, in hac aſſerenda potiſſimum commentationem ſuam occupari; temperare tamen ſibi non potuit, quin ſententiæ nonnullis ſuorum familiari, de ſalute Gentilium, qui de Chriſto nihil etiam audiverunt, accederet, in capite ultimo (cum in capite penultimo tractatione de animæ immortalitate viam ſibi ſtraviſſet) iſtam doctrinam non ſolum variis argumentis adſtruens, verum etiam ab objectionibus prolixe eandem vendicans. Cæterum, etiamſi in hoc ſcribendi genere non adeo multa argumenta ſuppetere poſſint, quæ non indefeſſum aliorum ſtudium præripuerit, habet tamen & Auctor aliqua, quæ non paſſim ſunt obvia, & in receptis ita etiam verſatur, ut ſelectum adhibuiſſe negari non poſſit.

LE CANTIQVE DES CANTIQVES DE SALOMON, traduit en François, avec une Paraphraſe ſelon le ſens literal, faite ſur les Verſions du texte Hebreu, du Grec des Septantes & du Latin de la Vulgate; & une autre ſelon le ſens hiſtorique de Jeſus Chriſt & de l'Egliſe. A quoi l'on a joint une Explication ſelon le ſens literal & hiſtorique, & une autre ſelon le ſens ſpirituel. i.e.

Canticum Canticorum Salomonis, in Gallicum idioma translatum cum Paraphraſi ſecundum ſenſum literalem ex Hebraicæ & Græcæ verſionis, nec non Latinæ vulgatæ editionis contextu concinnata, & alia, quæ ſenſum hiſtoricum de Chriſto & Eccleſia ſiſtit. Cui juncta eſt Explicatio ſenſum literalem & hiſtoricum, & alia ſenſum ſpiritualem exprimens.

Pariſiis apud Hilar. Voucault. 1690. in 8vo plag. 33.

CAnticum Canticorum quo ſublimius eſt, & intimiora amoris divini myſteria continet, eo frequentius excitavit nullo non tempore doctiorum interpretum Scripturæ ſtudium, ut theſauros ibi reconditos eruere & Eccleſiæ exponere laborarent; noſtro præcipue ſeculo, in quo tantus commentariorum in librum hunc cumulus apparuit, ut, ſi cum ſuperioribus compares, (quorum tamen nullum, ſi a tertio incipias, interpretibus Cantici caruit) unicum hoc reliqua omnia facile ſuperare poſſit. Integros interpretum, aut ſuperiorum aut noſtri ſeculi, catalogos ex aliis huc transferre, vel quo ſucceſſu ſua quisque egerit, indigitare prolixum nimis eſſet, & ab inſtituti noſtri ratione alienum. Satisque erit in recenſione librorum noſtro tempore prodeuntium occupatis expoſuiſſe, quid in præſenti libello Auctor ejus, in tanto Interpretum, Paraphraſtarum, Commentatorum, Homiletarumque agmine præ cæteris præſtiterit. *Scopum* ipſi haud præfixum eſſe

eſſe, prolixis homiliis aut coacervata controverſiarum diſcusſione Canticum onerare, ſed concinna verſione ac paraphraſi, & exaſciata ſenſus hiſtorici æque ac ſpiritualis expoſitione, genuinum libri hujus ſenſum aperire, ex ipſo libri titulo apparet. Sed quomodo iſtud præſtiterit, ulterius erit exponendum. *Textus* itaque cum fundamentum præbeat reliquæ tractationi, primum etiam Auctori fuit, ut eundem & in authentico & in verſione rite exhiberet. Sed cum Romanæ eccleſiæ hypotheſibus ſit innutritus, non in ipſo Ebræo fonte, ſed *vulgata verſione* eundem ſiſtit, quam etiam *in ſua verſione Gallica* ſequitur. Interim tamen nec fontem plane neglexit, nec reliquas inſigniores verſiones. Nam textui ſtatim a latere jungit *paraphraſin Latine pariter & Gallice conceptam*, in qua collata non ſolum verſione ſeptuaginta interpretum, verum etiam ipſo textu Ebræo conſulto, genuinum ſenſum evolvit, textumque illuſtrat. Atque ut diſtinctius etiam pateret, unde ſingula hauſerit, addit præterea peculiares *remiſſiones*, in quibus non ſolum, quid ex Ebræo, Græco aut Latino textu habeat, inſperſis ciphris, aliis in paraphraſi literali reſpondentibus, indicat; verum etiam addit quandoque *varias lectiones*, tum in textu Ebræo, tum in Syriaco, Chaldaico, Arabico, Græco ac Latino obſervatas; junctis etiam *notis brevioribus*, quæ non tantum ſenſum literalem, ſed etiam hiſtoricum illuſtrant. Atque hic *hiſtoricus ſenſus* cum ad intimiorem textus cognitionem perducat, peculiarem denique *paraphraſin*, Gallice tamen tantum conceptam, ſiſtit, in qua ipſum nervum ſermonis in Cantico loquentium breviter evolvit pariter atque proponit. Omnia autem hæc, quæ jamjam memoravimus, eo modo concinnavit, ut ſingula in una duarum paginarum facie, uno intuitu ſpectare Lector poſſit. Ponit nimirum primo in medio tum *textum Latinum*, tum *verſionem Gallicam*. Huic deinde ab utroque latere *paraphraſin* jungit, & Latino quidem textui Latinam, Gallico autem Gallicam. *Remiſſiones* autem, quas Latine tantum, & *paraphraſin*, quam non niſi Gallice concepit, eo ordine collocat, ut hæc a dextra paginæ parte Gallicæ, iſtæ autem a ſiniſtra Latinæ paraphraſeos latus claudant.

Quandoquidem vero genuinum ſenſum nec indagare accurate, nec cognoſcere facile licet, niſi conſtitutum prius fuerit ſyſtema,

 ad

ad quod omnia,quæ occurrunt,tanquam ad filum ſuum deducantur, Auctor etiam in id maxime allaboravit, ut illud inveniret, & ad illius rationem totius Cantici ordinem diſponeret, & ſenſum ejus explicaret. Opus eo inſignius, quo pauciores interpretum animum ad illud applicare auſi ſunt, plures de eo præſtando deſperarunt. Præſtare tamen illud Auctor anniſus eſt, & præſtitit, ut *novi* inventi *ſyſtematis* gloria ipſi denegari haud poſſit. Etiamſi enim in eo aliqua ſint, quæ aut Lyrani aut Brightmanni ſyſtema referre videntur, facile tamen in præcipuis apparebit adhuc diſcrepantia, ſi quis noſtri Auctoris ſententiam cum ſyſtemate dictorum Interpretum accuratius contulerit. Noſter enim nec a Moſe incipit, nec a ſtatu Eccleſiæ legalis, aut in figuras ad finem Eccleſiæ militantis ſyſtema ſuum cum iſtis extendit, *ſed a mundo condito incipiens, filum non longius protrahit, quam ad converſionem gentium, quæ mox poſt Chriſti in cœlos aſcenſum Eccleſiæ primis ſeculis obtigit.* Qua ratione multum differt a Coccejo, qui prophetiam, quam & ipſe putat in Cantico comprehenſam de œconomia Novi Teſtamenti, in ſeptem periodos diſtinguens, orditur a prædicatione Evangelii inter Judæos & Gentes usque ad deſtructum templum, ac ad finem ipſum mundi perducit. In hoc autem Noſtri *ſyſtemate tres* præcipue ſunt *periodi*, ad quas Auctor omnia reducit. *Prima* comprehendit *vetus, ſecunda novum Teſtamentum: tertia* autem *utriusque conjunctionem.* Atque ad hanc rationem integrum etiam Canticum in tres partes diſpeſcit, ad primam periodum 1. & 2. caput, ad ſecundam quinque ſequentia, & ad tertiam 8. ſeu ultimum caput referens. *In prima periodo* ſeu duobus capitibus prioribus referri exiſtimat Auctor felicitatem Eccleſiæ, quam conſecutura ſit in adventu Meſſiæ in hunc mundum. Atque in hac periodo Eccleſiam ſolum introduci in ecſtaſi aut viſione prophetica, in qua & adventum Chriſti in carnem, vitam ejus, actiones & reditum in cœlos videat & recenſeat. *In ſecunda periodo* Eccleſiam expergefactam, non amplius in ſomnio, ſed jam in N. T. conſtitutam quaſi celebrare Chriſti ſtatum, quem in hoc mundo ſubiit, incarnationem ejus, vitam, paſſionem, mortem atque reſurrectionem, idque a c.3. usque ad 8. In *tertia* autem *periodo*, quam caput ultimum ſiſtit, nihil aliud agi putat Auctor, quam ut repetantur, quæ in priori-

bus

bus dicta fuerant: verum ita, ut referantur nunc ad veteris & novi Teſtamenti conjunctionem. Atque hic putat incipere demum verum Chriſti & Eccleſiæ conjugium, inſtitutionem novæ legis & Eccleſiæ gentium, ac Chriſti aſcenſum in cœlos. Prout omnia hæc partim prolixius in Præf. P. 2. a p. 41. ad 81, partim in Synopſi p. 386. ſeqq. ab ipſo Auctore expoſita videri poſſunt. Ad hoc autem Syſtema firmius ſtabiliendum cum Auctori opus omnino eſſe videretur inſtructione uberiore, multa ipſi præmittenda fuerunt, quæ non ſolum ad ſcopum ſuum propius pertinebant, verum etiam quæ generaliora ſunt atque ab aliis pridem expoſita. Quo factum, ut *Præfatio* eousque etiam excreſceret, ut tertiam prope partem totius libelli adæquet. Imo ne confuſio oriretur, non ſolum præfatio in *tres* diſtinctas *partes*, verum etiam hæ viciſſim in certos *paragraphos* diſpeſcendæ fuerunt. Omnia eo maxime fine, ut ad ipſam tractationem eo facilior via pararetur: uti ipſe hoc nomine prolixitatem excuſat. Nos, ne eadem excuſationis neceſſitate premamur, eadem uberius recenſere ſuperſedemus. Quæ enim ſyſtema ejus novum concernunt, quod in P. 2. exponit, ea jamdum ſupra prolata ſunt. Generalia autem, ab aliis etiam in Cantici illuſtratione præmoneri ſolita, quæ in P. I. & Parallelismum Cantici cum univerſa Scriptura S. quem in 3. P. ſiſtit, ex aliis etiam ſcriptis haurire licet. Cæterum ſi non in omnibus rem acu, ut vocant, tetigerit Auctor, facile ipſum, quod etiam ſperat, libri ſublimitas excuſabit, & quod de hac *Auguſtinus Homil. de Paſt. c. 15.* ſcribit: *Cantica Canticorum ænigmata ſunt, paucis intelligentibus nota ſunt, paucis intelligentibus aperiuntur.*

DE ANTIQVIS MONACHORVM RITIBVS Libri V. Collecti ex variis Ordinariis, Conſuetudinariis Ritualibusque MSS. ex antiquis Monachorum Regulis, ex diverſis SS. Actis, Monaſteriorum Chronicis & Hiſtoriis, aliisque probatis Auctoribus permultis, ſtudio & cura D. Edmundi Martene, Presbyteri & Monachi Congreg. S. Mauri Ord. S. Bened.

Tomus I. & II. in 4to.

Lugduni, ſumptibus Aniſſon, Poſuel & Rigaud. M.DC. LXXXX.

Conſtant alphab. 5. & plag. 9.

ad quod omnia, quæ occurrunt, tanquam ad filum ſuum deducantur; Auctor etiam in id maxime allaboravit, ut illud inveniret, & ad illius rationem totius Cantici ordinem diſponeret, & ſenſum ejus explicaret. Opus eo inſignius, quo pauciores interpretum animum ad illud applicare auſi ſunt, plures de eo præſtando deſperarunt. Præſtare tamen illud Auctor anniſus eſt, & præſtitit, ut *novi inventi ſyſtematis* gloria ipſi denegari haud posſit. Etiamſi enim in eo aliqua ſint, quæ aut Lyrani aut Brightmanni ſyſtema referre videntur, facile tamen in præcipuis apparebit adhuc diſcrepantia, ſi quis noſtri Auctoris ſententiam cum ſyſtemate dictorum Interpretum accuratius contulerit. Noſter enim nec a Moſe incipit, nec a ſtatu Eccleſiæ legalis, aut in figuras ad finem Eccleſiæ militantis ſyſtema ſuum cum iſtis extendit, *ſed a mundo condito incipiens, filum non longius protrahit, quam ad converſionem gentium, quæ mox poſt Chriſti in cœlos aſcenſum Eccleſiæ primis ſeculis obtigit.* Qua ratione multum differt a Coccejo, qui prophetiam, quam & ipſe putat in Cantico comprehenſam de œconomia Novi Teſtamenti, in ſeptem periodos diſtinguens, orditur a prædicatione Evangelii inter Judæos & Gentes usque ad deſtructum templum, ac ad finem ipſum mundi perducit. In hoc autem Noſtri *ſyſtemate tres* præcipue ſunt *periodi*, ad quas Auctor omnia reducit. *Prima* comprehendit *vetus*, *ſecunda novum Teſtamentum*: *tertia* autem *utriusque conjunctionem*. Atque ad hanc rationem integrum etiam Canticum in tres partes diſpeſcit, ad primam periodum 1. & 2. caput, ad ſecundam quinque ſequentia, & ad tertiam 8. ſeu ultimum caput referens. *In prima periodo* ſeu duobus capitibus prioribus referri exiſtimat Auctor felicitatem Eccleſiæ, quam conſecutura ſit in adventu Meſſiæ in hunc mundum. Atque in hac periodo Eccleſiam ſolum introduci in ecſtaſi aut viſione prophetica, in qua & adventum Chriſti in carnem, vitam ejus, actiones & reditum in cœlos videat & recenſeat. *In ſecunda periodo* Eccleſiam expergefactam, non amplius in ſomnio, ſed jam in N. T. conſtitutam quaſi celebrare Chriſti ſtatum, quem in hoc mundo ſubiit, incarnationem ejus, vitam, paſſionem, mortem atque reſurrectionem, idque a c. 3. usque ad 8. In *tertia* autem *periodo*, quam caput ultimum ſiſtit, nihil aliud agi putat Auctor, quam ut repetantur, quæ in priori-

bus

bus dicta fuerant: verum ita, ut referantur nunc ad veteris & novi Teſtamenti conjunctionem. Atque hic putat incipere demum verum Chriſti & Eccleſiæ conjugium, inſtitutionem novæ legis & Eccleſiæ gentium, ac Chriſti aſcenſum in cœlos. Prout omnia hæc partim prolixius in Præf. P. 2. a p. 41. ad 81, partim in Synopſi p. 386. ſeqq. ab ipſo Auctore expoſita videri poſſunt. Ad hoc autem Syſtema firmius ſtabiliendum cum Auctori opus omnino eſſe videretur inſtructione uberiore, multa ipſi præmittenda fuerunt, quæ non ſolum ad ſcopum ſuum propius pertinebant, verum etiam quæ generaliora ſunt atque ab aliis pridem expoſita. Quo factum, ut *Præfatio* eousque etiam excreſceret, ut tertiam prope partem totius libelli adæquet. Imo ne confuſio oriretur, non ſolum præfatio in *tres* diſtinctas *partes*, verum etiam hæ viciſſim in certos *paragraphos* diſpeſcendæ fuerunt. Omnia eo maxime fine, ut ad ipſam tractationem eo facilior via pararetur: uti ipſe hoc nomine prolixitatem excuſat. Nos, ne eadem excuſationis neceſſitate premamur, eadem uberius recenſere ſuperſedemus. Quæ enim ſyſtema ejus novum concernunt, quod in P. 2. exponit, ea jamdum ſupra prolata ſunt. Generalia autem, ab aliis etiam in Cantici illuſtratione præmoneri ſolita, quæ in P. I. & Parallelïſmum Cantici cum univerſa Scriptura S. quem in 3. P. ſiſtit, ex aliis etiam ſcriptis haurire licet. Cæterum ſi non in omnibus rem acu, ut vocant, tetigerit Auctor, facile ipſum, quod etiam ſperat, libri ſublimitas excuſabit, & quod de hac *Auguſtinus Homil. de Paſt. c. 15.* ſcribit: *Cantica Canticorum ænigmata ſunt, paucis intelligentibus nota ſunt, paucis intelligentibus aperiuntur.*

DE ANTIQVIS MONACHORVM RITIBVS LIbri V. Collecti ex variis Ordinariis, Conſuetudinariis Ritualibusque MSS. ex antiquis Monachorum Regulis, ex diverſis SS. Actis, Monaſteriorum Chronicis & Hiſtoriis, aliisque probatis Auctoribus permultis, ſtudio & cura D. Edmundi Martene, Presbyteri & Monachi Congreg. S. Mauri Ord. S. Bened.

Tomus I. & II. in 4to.

Lugduni, ſumptibus Aniſſon, Poſuel & Rigaud. M.DC. LXXXX.

Conſtant alphab. 5. & plag. 9.

NEc ſe otioſum inter ordinis ſui occupatiſſimos Autor iſte, ut ſcriptis aliis, ita & hoc laborioſiſſimo probat, quo monaſticæ vitæ myſteria prodidit. In Præfatione ad Lectorem commendat B. Benedicti effatum: *Nihil operi DEI præponatur.* Quod tanta religione ab antiquis obſervatum ait monachis, ut peregre profecturi, audito ad divinum officium ſigno, ſi nondum pedem e monaſterio extuliſſent, equo deſilierint, pſallentium choro adjungendi: caput novacula radentes, imperfectam tonſuram dimiſerint, ut quantocyus ad opus Dei concurrerent. Profitetur poſtea, ſibi imprimis *Johannem Mabillonium*, ſtudiorum ſuorum adjutorem, ſibique impenſe amicum, cum vidiſſet probaſſetque, quem ſuper regulam S. P. Benedicti ſcripſiſſet commentarium, auctorem fuiſſe, ut huic operi manum & calamum intenderet. Subſidia quoque varia librorum indicat, quibus ex diverſis Italiæ, Germaniæ, Angliæ Galliæque præſertim monaſteriis adjutus, illud confecerit. Nec ignorare vult Lectorem, quod ſcriptum ſibi commodaverit ex locupletiſſima Bibliotheca Colbertina ejuſdem præfectus *Stephanus Baluzius*, quem ſine laude non dimittit. Denique ſi hæc ab ſe collecta probari, quibus velit, intellexerit, ſpondet, ad conſimilem *Rituum Eccleſiaſticorum* editionem operam ſe ac diligentiam ſuam applicaturum.

pag. 1. Libro I. *de Ritibus* agit *quotidianis*, & quidem capite I. docet,
quo ritu veteres monachi nocte ſurrexerint; & inſtitutum inter cæte-
ra refert *S. P. Benedicti*, quem inſignem Monachorum Patriarcham
2. vocat; omnes autem ſuperaſſe ait *Abbatis Ammonii diſcipulos*, quo-
rum, ut teſtatur Palladius, quidam tota nocte inſomnes, ſedenteſq; vel
ſtantes, usque ad primam lucem perſeveraverint in precibus impigre
fundendis. Sed cum illis temporibus non fuerint horologia, expo-
nit ſex modos, quibus ſtatutas ſibi ſurgendi horas nocte dignoſcere po-
3. tuerint. Ac præprimis e Regula Magiſtri tradit, duos quotidie fra-
4. tres vigilare juſſos, ut alios tempore juſto expergefacerent, *Vigil-*
11. *Gallos* nominatos. Cap. II. oſtendit *Ritum, quo veteres monachi no-*
cturnas vigilias celebrarint. In quo id maxime memoratu dignum,
29. quod ſcribit, primis eccleſiæ ſeculis, *cum adhuc in venis fidelium pro*
nobis effuſus CHRISTI ſanguis ferveret, (ſic enim loqui amat;) pſal-
mos ita modico vocis flexu decantatos fuiſſe, ut pronuncianti vicini-
or eſſet pſallens, quam canenti: ſed refrigeſcente poſtmodum chari-
tate,

ſate,ad excitandam Chriſtianorum & fidem & devotionem,cum ſuavi vocis modulatione divina celebrari cœpiſſe officia. Cujus inſtituti cauſam ſive occaſionem non optimam e Nicephori L. IX. Hiſt. c. 16. depromit. Nec modus arcendi ſomnum ab audientibus lectiones, quem aperit, a nobis prætereundus eſt. Tradit enim ex regula Tarnatenſi, opus aliquod in vigiliis manu faciendum fuiſſe, quod mentem non occuparit,aut gravarit auditum, ſed quod ſoporis potuerit repellere torporem; & ex regula S. Pachomii, funiculos in mattarum ſtramina manu celeri præparandos; nec non ex regula S. Aureliani, aut de ſparta, aut de canape, aut aliud hujusmodi manibus operandum, ne ſomnus obreperet. Si vero dominicus aut feſti ſint dies, cui ſomnus venerit, aliis ſedentibus juberi ſtare; ex regula denique S. Macarii, exeundum foras eſſe, ſtatimque redeundum: quod nemini alias liceat, niſi communis neceſſitas compellat. Ex Udalrici vero L. II. Conſuet. Cluniac. c. 8. aliter a Benedictinis factum refert. Unum ſcilicet ex fratribus, accepta inter lectiones lignea laterna chorum perluſtraſſe, & ſi quem dormientem offendiſſet, oppoſita ejus obtutibus laterna, excitaſſe illum, excitatumque eadem accepta chorum eodem ritu luſtrare perrexiſſe. Præterea e Caſſiani L. II. de noct. orat. & vita S. Stephani Abbatis Obazin. notat, tantum a cunctis ſilentium præſtari, ut in tam numeroſa multitudine fratrum, qui conveniant, quam ſolennitatem *ſynaxin* appellent, non ſputum emittatur, non excreatio obſtrepat, non tuſſis interſonet, non oſcitatio ſomnolenta diſſutis malis & hiantibus trahatur, nulli gemitus, nulla ſuſpiria etiam adſtantes impediant, nullus ſubrideat aut loquatur diſciplina poſthabita, aut aliquod negligentiæ vel levitatis ſignum edat; hæc enim omnia ſecundum regulam Magiſtri c. 48. orationibus & pſalmis impedimentum a Diabolo miniſtrari. In fine capitis hujus ſe præterire non poſſe ait antiquam & piam monachorum ſub S. Winvvaloro viventium conſuetudinem, quam referat in ejus vita tertia apud Bollandum Gurdeſtinus his verbis: *Erat id moris Sancto ejusque ſociis illic cohabitantibus, ut expletis omnibus uniuscujusque ſynaxeos horis, Deum orent, ut unus ex iis, quem vellet ipſe Deus, ab iſta miſera vita eximeretur, qui unus pro omnibus Fratribus eſſet apud Deum interpellator in cœlis.* Cap. III. *de Matutinis ſeu de Laudibus agit*; cap. IV. *de Prima*; cap. V. *de Capitulo*, alia monachorum congregatione; ubi e

(margin: pag. 33. — 36. ſ. — 39. — 47. — 54. — 57.)

 Chro-

Chronici Chronicorum fol. 166. commemorat Vſuardum, qui juſſu
Caroli M. compilarit martyrologium, reperiſſe, *ſingulis diebus plus-*
pag. 68. *quam trecenta feſta concurrere*; c. VI. *de Labore manuum quotidiano*,
76. 86. c. VII. *de Lectione*; c. VIII. *de Tertia, Sexta & Nona*; c. IX. *de Refectione*,
in quo de imagine quadam Crucifixi narratur, eam locutam; & ex
L. I. Dial. S. Greg. c. 4. traditur, quod in monaſterio Virginum ſub
88. S. Æquitii diſciplina viventium, quædam Sanctimonialis lactucam,
92. quam ſigno crucis, ut ajunt, benedicere oblita fuerat, mordens a
94. Dæmone correpta fuerit; nec non e libro miraculorum S. Celſi
n. 5. puerum Trevirenſem S. Ancharii monaſterii poculum obli-
93. tum ſignare, a Dæmone correptum. E Caſſiano de monachis quibus-
dam memoratur, quod tanta veſcentibus ſilentii diſciplina ſervetur,
ut cucullis ultra oculorum palpebras dimiſsis, nihil amplius intuean-
95. tur, quam menſam & cibos, attendentes hoc melius lectioni. S. Odo-
nem vero, poſtea Abbatem Cluniac. veniam petiiſſe, quod intentus le-
ctioni micas ex more non comederit; quas cum poſtea, culpam
confitendo, Abbati exhibere vellet, in totidem margaritas mutatas
eum reperiſſe; uti Johannes Monachus referat L. I. vitæ S. Odonis.
96. Cap. X. *de Veſperis* agitur; c. XI. *de Collectione ante Completorium*; c.
106. XII. *de Completorio & diei termino.* Ubi ex Cæſarii libro mirac.
112. S. Erentrudis refert Auctor, in Nunbergenſi S. Erentrudis mona-
ſterio Wiradin Abbatiſſam ipſam fores monaſterii ſui quotidie nocte
claudere & mane reſerare ſolitam; & ex Lotſaldi monachi vita Ab-
121. batis Odilonis, quod Odilonem illum ſæpius pſallentem ſomnus ex-
ceperit, ab ore dormientis autem pſalmus non receſſerit, ut ſi neſciſ-
ſes, vigilare eum putaſſes.

Libro II. pertractat *Ritus per hebdomadam & menſem occur-*
rentes, & primo quidem cap. *de Dominica*, primoque *de Nocturnis ejus*
124. 132. *vigiliis agit*; cap. II. *de Matutinis & Prima diebus Dominicis*; cap. III.
137. 146. *de ſolemni luſtralis aquæ benedictione & Proceſſione Dominica*; c. IV.
198. 203. *de Miſſa, & de Majori primum*; c. V. *de Miſſa matutinali*; c. VI. *de Miſ-*
209. *ſis privatis*; atque hic etiam *de altaribus portatilibus* quædam habet, &
218. 220. *de Miſſis votivis*. C. VII. recenſet nonnullas *veterum monachorum con-*
231. *ſuetudines circa defectus in ipſo ſacrificio accidentes*. C. VIII. *reverenti-*
234. *am* ſiſtit *veterum monachorum circa ſacrificium*, dicitque B. Colum-

banum

banum in vaſis æneis illud offerre ſolitum, quia feratur Dominus & Salvator noſter clavis æneis cruci confixus; ac S. Winoci monachos ſec. etiam X. vaſe vitreo ad hoc uſos. C. IX. verſatur ejus diligen- pag. 235.
tia in explicandis *Exhortationibus ſeu collationibus Monachorum*; c. X. 239.
in Conſuetudinibus feriæ ſecundæ & quintæ; c. XI. in eo, ut *de feria ſex-* 240.
ta & maxime de diſciplina Lectorem ſuum doceat. Hinc ſingularia e- 242.
xempla eorum adducit, qui virgis & flagellis acriter ſe cædi voluerunt; interque hos S. Pardulfi Abbatis, qui quadrageſimis temporibus omni nudato corpore a diſcipulo ſuo fieri hoc præceperit; & alterius cujusdam monachi, qui a diutino languore ſcapulæ liberatus fuerit,
ægra corporis hac parte flagellata. C. XII. pergit ad *Conſuetudines* 245.
Sabbati; c. XIII. ad *ritus per menſem contingentes, & maxime ſan-* 251.
guinis minutionem.

Libro III. res ipſi eſt cum *ritibus per annum contingentibus*:
& c. I. exponit *generales*, c. II. *particulares Adventus conſuetudines*. 266.
C. III. occupatur *Vigilia nativitatis Domini*, & c. IV. ipſa *Domini na-* 275. 282.
tivitate; in quo memorat, quia vices Chriſti Abbas agere credatur, 294.
ut S. Bened. dicat, ad exhibendum humilitatis exemplum, cujus formam in ſalutifera ſua nativitate Dominus ac Redemptor noſter hac die induerit, antiquæ apud ſuos conſuetudinis fuiſſe, ut Abbas ſacro
Nativitatis Domini die coquinæ officium exerceret. C. V. de *ritibus* lo- 295.
quitur *infra octavam Nativitatis contingentibus*. C. VI. *de octava na-* 301.
talis Domini, & aliis conſuetudinibus, quæ ad menſem Januarium per-
tinent. C. VII. *de Purificatione B. Mariæ*; quo cap. *de cereorum* 314. 317. ſ.
conſecratione imprimis prolixus eſt. C. VIII. *de ſeptuageſima*; c. IX. 324. 328.
de capite jejunii, ac in hoc præcipue *de benedictione cinerum*. C. X. 337.
progreditur ad *generales*, & c. XI. ad *ſpeciales Quadrageſimæ conſuetu-* 348.
dines. C. XII. diſſerit *de Dominica in Ramis Palmarum, & tribus* 357.
ſeq. diebus. C. XIII. *de Cœna Domini*; & in hoc ſpeciatim *de benedicti-* 372. 385.
one ignis novi e lapide berillo producendi, deque lotione pedum manu-
umque, quæ in tot pauperibus peragatur, quot fratres fuerint in clau- 396.
ſtro, & in monachis omnibus ab uno, tergente pedes Abbate. E Bollan- 403. 405.
do arguit, S. Bertam, Congregationis vallis umbroſæ Abbatiſſam, diſcipularum ſuarum pedes in Cœna Domini lavaſſe. C. XIV. *de feria* 409.
VI. Paraſceves diſſerit; c. XV. *de Sabbato ſancto*, in quo nonnulla *de* 430.
cereo paſchali occurrunt; c. XVI. *de Reſurrect. Dominica*; c. XVII. *de* 434. 442.
ſepti- 455.

pag. 461. *ſeptimana Reſurrect. Dominica.* C. XVIII. *de tempore paſchali.* C. XIX.
479. *de Rogationibus triduo ante aſcenſionem ſolemnibus.* C. XX. *de Aſcen-*
485. *ſione Domini, cæterisque diebus usque ad Pentecoſten.* C. XXI. *de Vigi-*
489. 501. *lia Pentecoſtes.* C. XXII. *de Pentecoſte, & ejus ſeptimana.* C. XXIII.
509. *de Feſto S. S. Trinit.* C. XXIV. *de Feſto ſacratiſſimo corporis CHRISTI*
515. ab Urbano Papa IV. A. 1262. inſtituto. C. XXVI. *de Dominicis*
425. *poſt octavam Pentecoſtes usque ad Adventum*; & c. XXVII. *de Capi-*
tulis generalibus. Poſtea orditur Tomum ſecundum, in quo reliqui
continentur Libri, &

531. Libro IV. quidem *de Feſtis* agit, proponendo cap. I. *genera-*
568. *les* quasdam *de Feſtis conſuetudines*, monendoque c. II. *de feſtis in*
576. *Adventu*; c. III. *de feſtis ab octava Epiphaniæ, menſibus Januar. & Febr.*
583. 593. *contingentibus.* c. IV. *de feſtis Martii & Aprilis*; c. V. *menſis Maji*;
598. 612. 623. c. VI. *Junii & Julii*; c. VII. *Auguſti*; c. VIII. *Septembris & Octobris*;
635. 640. c. IX. *Novembris & Decembr.* & c. X. referendo *ſingulares quasdam*
aliquorum monachorum conſuetudines, quæ hoc in libro exciderunt.

Libro V. explicat *ritus incertis temporibus contingentes*, & c.
I. quidem receptos *in Electione Abbatis aut Prioris*; c. II. *in Novitiis*
644. 688. *ad habitum recipiendis.* C. III. docet, *quæ Novitiorum tempore proba-*
678. *tionis diſciplina.* C. IV. *quæ Novitiorum benedictio ſeu profeſſio.* C. V.
683. 703. *qualis puerorum oblatio & diſciplina.* Ubi hoc ab eo traditum non
711. omittemus, non loqui unquam alterum ad alterum, niſi petita licen-
tia a Magiſtro, & audientibus omnibus, qui in ſcholis ſint: nec ſurge-
720. re de ſuis ſedilibus, niſi juſſos. C. VI. ſcribenda ei miniſtrat *Cuſtodia*
723. *juvenum*; C. VII. *tonſura & raſura fratrum*; ubi Salmaſii ſententiam
in prolixa & erudita de Cæſarie & Coma epiſtola, negantis antiquos
734. monachos attonſos fuiſſe, refellere nititur; ac ſubjungit quædam *de*
barba monachorum, quam veteres in oriente aluerint, in occidente
raſerint, & inter alia e narratione Martyrii S. S. triginta octo mona-
chorum in Ionia ſub Copronymo Imperatore, refert his barbam
pice illitam exuſtam: nec tamen diſſimulat, quosdam in occidente
735. etiam promiſſam barbam geſtaſſe. C. VIII. argumentum ei laboris
eſt *Ordo ad viſitandos infirmos de vita periclitantes atque ad mortem*
761. 776. *tendentes*; C. IX. *modus adjuvandi infirmi ad mortem.* C. X. *ſepultura*
veterum monachorum, de qua evolvens ordine omnia, ex Vita S. Pa-
814. chomii hoc inſpergit, cujusdam fratris funeri obviam hunc factum
præ-

præcepiſſe defuncti veſtimenta ſplendida, quibus indutus fuerat, auferri, quæ coram omnibus fecerit exuri; & cum de loculis Monachorum ligneis, lapideis, marmoreis, plumbeis dixiſſet, Herkenpertum tradere ait, Carolomanni corpus in locello aureo a germano ſuo cum aliis muneribus ad monaſterium in Caſino remiſſum: nec diffitetur, Angelum de Nuce prodidiſſe, Carolomanni hujus oſſa ſub ara maxima inventa eſſe in urna onychina. C. XI. *de ſepultura Monachorum extra monaſterium morientium & hoſpitum* ſollicitus eſt; C. XII. *de ſepultura Abbatis*; C. XIII. *de ſuffragiis pro defunctis, deque ſocietatibus apud veteres monachos*; C. XIV. *de ſepultura ſecularium in monaſteriis*; C. XV. *de ſuſceptione in iſta Principum aliorumque illuſtrium virorum*; C. XVI. *de variis Monachorum proceſſionibus, maxime reliquiarum extra monaſterium*; C. XVII. *de fratribus in viam directis, ſeu peregre abituris*; C. VIII. *de locutione per ſigna*; cujusmodi pleraque ridicula contra Eraſmum, quem perpetuum Monachorum ſugillatorem vocat, aliosque ejusdem mentis homines, qui etiam hac noſtra ætate illa, tanquam hiſtrionum geſticulationes, reprobaverint atque damnaverint, tuetur. In Capite poſtremo XIX. *varii de diverſis rebus ritus* ab eo repræſentantur, & *adhibendi præprimis a nocturna illuſione pollutis, item tonitrua audientibus*, paucique alii. Sequuntur Indices deinde, primo quidem onomaſticus, voces exoticas aut minus uſitatas explicans, moxque alius rerum, & ſic totum Opus, monachis forte gratius, quam doctioribus extra cœnobia, finem invenit. Sed illi quoque dicta ſibi ſciunt illa Thomæ a Kempis de Imit. Chriſti, L. I. c. 17: habitus & tonſura modicum confert; ſed mutatio morum & integra mortificatio paſſionum, verum faciunt religioſum.

pag. 810. 823. 818. 834. 851. 853. 859. 872. 881.

ÆNEÆ SILVII EPISCOPI SENENSIS, POSTEA PII PAPÆ II, Hiſtoria Rerum FRIDERICI TERTII IMPERATORIS, ex MS. optima nota nunc primum edita, cum ſpecimine Annotationum Jo. Henrici Boecleri in eandem. Acceſſerunt Diplomata & Documenta varia, rebus Friderici III. illuſtrandis: ut & Figuræ, Imagines, Nummi &c.

Argentorati, typis & ſumptibus Joſiæ Stædelii, & Joh. Friderici Spoor. Anno M. DC. LXXXV. fol. Conſtat 12 Alph. & 2. plag.

Dudum Opus hoc molitus eſt celeberrimus *Bœclerus*, Vir ad dignitatem atque gloriam literarum natus, ad quem MS. codex elegante in membranis manu deſcriptus, ab hæredibus Friderici Reichardi Mockelii, Legati Suedici, qui eum a Bernhardo Duce Vinarienſi, cui in Briſaci expugnatione fuerat oblatus, dono acceperat, pervenit. Et ſperabat ille quidem, non parvam ſe apud prudentes harum rerum æſtimatores initurum eſſe gratiam, præcipue ſi præter *Annotationes hiſtoricas*, quibus Silvium illuſtrare conabatur, per annorum quinquaginta trium, quibus Fridericus imperavit, decurſum, *Univerſalem* a ſe contextam *Hiſtoriam* ſubjungeret, & quæ dicta ibi eſſent, variis a Friderico Principibus ac Statibus Imperii conceſſis *diplomatibus* ac *documentis publicis* confirmaret, tum *nummis* inſuper, *figuris* atque *imaginibus* adjectis ulterius dilucidaret. Verum dum Viennenſis ille codicis, ab Auctore ipſo, uti fertur, ſcripti, actorum etiam ac monumentorum aliorum, ad illius temporis ſtatum pertinentium, inſpectionem propiorem a Lambecio promiſſam expectaret, primum omnium Hiſtoriæ contextum, ex codice ſuomet deſcriptum, prelo commiſit, Operis autem integri titulum Catalogo Francofurtenſi A. 1669. inſeri curavit, annotationibus interim ſuis hiſtoricis ſedulo intentus. Cumque mora longior fieret, Diplomata interea atque Documenta Friderici varia, maximam partem antea inedita, typis tradidit; figuras præterea ſigillorum, ut & ſepulchri Imperatorii imagines, ac nummos varios in æs incidi juſſit. Sed cum eorum, quæ Vienna expectabantur, ſpes omnis decollaſſet, diu ab Opere ceſſatum, tandemque Bœclerus ipſe laudatiſſimo Operi eſſet immortuus, ejusdem cura ad *Ulr. Obrechtum* devoluta videbatur. Qui & ſuſcepiſſet id negotii, niſi alia impedimenta ac negotia objecta illud diſturbaſſent. Suaſor tamen interim editoribus extitit, ut Scriptores aliquot, ad Hiſtoriam Germanicam pertinentes rariores, huic Operi conjungerent; quod etiam nunc factum eſſe indicat, cui labor iſte ceſſit, celeberrimus *Kulpiſius*, qui præter ea, quæ jam enarravimus, plura de totius inſtituto Operis luculenter eſt præfatus.

Pri-

Primum ergo in hac collectione locum tenet *Æneæ Silvii Hiſtoria Friderici III. Imperatoris*, cui *Specimen Annotationum Bœclerianarum* XXVI. capitibus diſtinctum, ſtatim eſt ſubjectum. Juſſerat hic Imperator laudatiſſimus (quem *Tertium* conſtanter vocat *Silvius*, cujusque nomen in diplomatis, actisque etiam ac monumentis publicis ſic appellari ſolet; ut eorum malit in hoc Opere auctoritatem ſequi *Bœclerus*, quam cum aliis ἀκρίβεστερον iſta meditantibus, *Quartum* eum aut *Quintum* nominare) Æneam Senenſem tum Epiſcopum, ac Legatum ſummi Pontificis, & Conſiliarium Cæſaris interiorem, bellum iſtud, quo ſe reducem ex Italia, poſt ſuſceptam Romæ coronam, & matrimonium cum Leonora Luſitana initum, Auſtriaci, juncto cum Bohemis, Hungaris, Moravis fœdere, A. 1452. adorti erant, ſcribere. Ipſe ut mandato Imperatoris morem gereret, non bellum hoc tantum, ſed *integram Friderici Hiſtoriam, & quæ per totam Europam memoratu digna in id tempus congruerent*, hoc opere complecti inſtituit. Cur autem longius non ſit progresſus, quam ad motus Hungaricos, ſecretiorem forte cauſam idem Bœclerus ſuſpicatur, notatque inſuper, principium hujus Operis non repeti vel a nativitate Friderici, vel ab exordio imperii, ſed a coronatione Italica & matrimonio quæſito, quæ in annum demum imperii undecimum incidunt. Nec minus illud etiam ex *Lambecii* quadam ad ſe *Epiſtola*, quam integram exhibet, obſervat, Æneam Opus hoc *Hiſtoriam Rebellionis Auſtriacorum contra Imperatorem Fridericum III.* voluiſſe inſcribere, ne vero odium eorum atque arma in ſe converteret, ſententiam mutaſſe; *Cuſpinianum* denique ſub *Auſtriæ* etiam titulo aliquoties citaſſe. pag. 121. 122. 123.

Præmittit *Silvius* Hiſtoriæ ſuæ prolixam ſatis Auſtriæ deſcriptionem, & Viennæ imprimis, tanquam ejus capitis, cujus nomen, ſitum, Academiam & rerum omnium ubertatem, virtutes etiam ac vitia, aliquot paginis accurate perſequitur. Quas in *Hiſtoria Auſtrali* Teutonico ſermone conſcripta, de primis Auſtriæ incolis, quaſi Gentiles ii primum Abrahami temporibus, mox Judæi, ac demum Chriſtiani fuiſſent, opiniones falſas ac ineptas foverat Anonymus, ſummo ſtudio refellit, ut mirum adeo ſit, *Cuſpiniano* aliquando, referente ſic *Bœclero*, fabulam pro vera habitam. Ottonem Epiſcopum Friſingenſem, patre Leopoldo Marchione Auſtriæ natum, inſigni ornat elogio, dum eum, licet fratris nepotisque, qui Romanorum Pontificum ho- pag. 3. 124. 10.

ſtes fuere, geſta memoriæ traderet, ita tamen hiſtoriæ legem ſervaſſe
pag. 10. ait, ut neq; cognatio veritati, nec cognationi veritas officeret. Perſequitur deinde litem illam, inter Henricum Marchionem Auſtriæ, & Henricum Bajoariæ Ducem, Lotharii ex filia nepotem, de regione dividenda natam, quam Fridericus Imp. his conditionibus diremit, ut Henricus Saxo Bajoariam, e qua pater ejus propter rebellionem pulſus a Conrado Rege fuerat, reciperet; Henrico vero Marchioni terra omnis, quæ intra Enum atque Anaſum fluvios tum erat, a Bajoaria dirempta atque Auſtriæ adjuncta, perpetuo jure poſſidenda traderetur; ne vero major alter altero ex litigatoribus videretur, ipſe Auſtriæ provinciam ad Ducatus eminentiam eveheret, terramque iſtam magnis ac ſingularibus privilegiis, quæ ibidem longo ordine enumerat, honeſtaret. Ac dederat jam ante quidem Henricus IV. Imp. Arneſto Auſtriæ Marchgravio literas, in quibus *Julii Cæſaris*, *Claudii*que *Neronis* privilegia referebantur; at iis tamen omnem fidem abro-
126. ſ. gat *Æneas* noſter, cumque eo etiam *Bæclerus*, niſi quod hic Fridericum III. Imp. A. 1442. in confirmatione privilegiorum Auſtriacorum, diſertis verbis Jul. Cæſaris & Neronis literas, quarum nullam prorſus mentionem Fridericos atque ceteros poſt Henricum IV. Imperatores feciſſe ſcripſerat Æneas, nominaſſe aſſerat, ipſiusque commenti propagationem non malignitati, ſed rudioribus potius ſeculis imputandam credat. His ita expoſitis amplam de Fridericis hiſtori-
13. am intexuit, tum quod Suevicus Auſtriacusque ſanguis in Friderico I. fuerit conjunctus, tum quod Latini Scriptores eorum originem attingere non ſoleant. Nempe Fridericus Antiquus Baro ſive Comes Hohenſtauffenſis filios reliquerat *Fridericum* & *Conradum*, quorum ille fortiter rem geſſit contra hoſtes avunculi ſui, Imp. Henrici IV. quem *tertium* Æneas vocat, Lotharium ſcilicet Imperatorem, & Henricum Bajoariæ Ducem, affinem ſuum; hic autem poſt Lotharium Imperator factus, cum expeditionem Aſianam ſatis parum
17. proſperis ſuſcepiſſet, ab ea redux non ſine opinione accepti veneni diem obiit. Ex his fratribus Fridericus itidem reliquerat Fridericum filium *Luſcum* alioquin appellatum, ex quo denique *Fridericus* ille *Barbaroſſa*, qui Conrado in imperio ſucceſſit, natus. Cujus dum electionem atque geſta memorat Æneas, ſimul famoſiſſimæ illius factionis *Guelforum* ac *Gibellinorum* nomina ac origines explicat, co-

que

que Fridericum conſilio potiſſimum electum indicat, ut Guelforum Gibellinorumque ſanguine prognatus pacem aliquando Germaniæ daret. Quanquam eo ille rem perducere haud potuit, quin ſæpius hæ lites recruduerint, & novas turbas toti poſtmodum Germaniæ Italiæque concitarint. Friderico hoc obſcura & ignobili morte in fluvio, quem Cydnum fuiſſe noſter conjicit, dum aqua corpus ablueret, extincto, filius *Henricus VI.* Imperator deſignatus, ſuaſu Cœleſtini Pontificis uxorem duxit *Conſtantiam* Rogerii Siciliæ Regis filiam, ex qua præter ſpem omnium (erat quippe jam natu grandior, quam ut parere poſſe videretur) *Fridericum* filium ſuſtulit. Sed non ita multo poſt, dum Meſſanæ expeditioni navat operam, morbo correptus moriens magnis auſis curſum abſtulit. Inde nova diſcordiarum ſemina, cum alii ex Electoribus Ottonem Saxoniæ Ducem, Henrici fratrem, alii Philippum legerent. Utrique ſua aderant auxilia. Et *Otto* quidem ab Innocentio III. Pontifice Aquisgrani coronatus, ceterum *a Philippo*, cui nec ipſi tamen imperium fuit diuturnum, brevi poſt oppreſſus. Hinc ad *Ottonem* iterum imperium pervenit, qui cum ab eodem Innocentio juramenti violati poſtulatus, dejectusque fuiſſet, *Fridericus* denique II. Henrici VI. filius, poſt decem veluti annorum interregnum, felicioribus auſpiciis Imperator fuit deſignatus. Multum vero ille a Pontificibus exagitatus (nam paullo durius de illo Æneam judicaſſe, ſatis probat *Bœclerus*) demum vel Panormi obiit, vel a Manfredo, ex concubina filio, fuit ſuffocatus. Jamque Electores, vivo adhuc Friderico, *Henricum* Thuringiæ Landgravium Alemannorum Romanorumque Regem creaverant, hocque mortuo, *Guilielmo* Comiti Hollandiæ, neglectis Friderici poſteris, imperium tradiderant. Interea *Conradus*, Friderici ex Jole prima conjuge filius, paternam in Germania hæreditatem ſibi vendicabat, ſed parvo interjecto tempore, incertum an Manfredi ſcelere, *Conradino* Henrici fratris, aut, quod contra Silvium *Bœclerus* probat, proprio filio teſtamento hærede relicto, e vita diſcedebat. Magnas interim *Manfredus* turbas dabat in Italia, præcipue cum Guilielmus Imperator in prælio adverſus Friſones occubuiſſet, donec tandem ipſe quoque a Carolo Andegavenſi, Regis Franciæ conſobrino, infauſto victus prælio periret, Siciliæque regnum una cum vita amitteret. Equidem id *Conradinus*,

pag. 27. 28. · 141. · 32. · 33. · 142. · 34. 35.

tanquam juſtus hæres, modis omnibus recuperare nitebatur, ſed in-
pag. 37. 38. feliciter cum Carolo congreſſus, captus, &, nefandum dictu! car-
nificis manu, publico in loco, inſpectante omni plebis multitudi-
ne, crudeliter eſt obtruncatus.

His ita prolixe ſatis enarratis, nunc e diverticulo in viam redit Sil-
vius, & poſt jubilæi, a Nicolao V. celebrati, inque eo Bernardini Se-
42. 43. nenſis inter Sanctos factæ relationis recenſum, tum & inſignem Joh.
Capiſtrani collaudationem, de *Friderici III.* cum *Leonora* Eduardi fi-
lia, Alphonſi Regis Arragoniæ ſorore natu majori, inito conjugio,
profectioneque ejus in Italiam ad obtinendam ibi a Pontifice coro-
nam agit. Itineri poſt Bohemorum tumeſcentes animos repreſſos
accingebatur Imperator, & jam in eo totus erat, ut ſponſam, quæ ibi-
dem præſto adfutura credebatur, amplecteretur, cum ſubito ab *Ul-*
44. *rico* quodam *Eizingero*, Alberti ante Fridericum Cæſaris conſiliario
redituumque cameræ præfecto, homine factioſo atque potenti, at-
que ob non præſtitam caſtri alicujus, quod de *Lapide timoris* appel-
labant, venditionem tum irarum pleno, novæ machinationes ſunt
inventæ, quæ miſere turbarunt Auſtriam, & omnium, quæ contige-
runt poſtea, malorum radix atque origo fuerunt. Timebant Itali
adventum Cæſaris in Italiam, & gravem ſibi hunc futurum, haud ob-
46. ſcure ominabantur. Jamque eo rem perduxerant, ut Nicolaus Pon-
tifex, ſibi ſuisque metuens, itineris dilationem Friderico per Legatos
47. ſuaderet; quam tamen poſtea ſententiam, ab Ænea certiora literis e-
doctus, mutavit. Fridericus ergo, qui jurejurando ſibi Viennenſes
obnoxios, Auſtralesque omnes obligatos fidelitate norat, haud arbi-
tratus rebellioni poſſe locum patere, intrepide pergebat. At Ei-
48. 49. zingerus, abſente Cæſare, commodum adeſſe tempus ratus, quo co-
nata perficeret, ſocios adſciſcere, conventus inſtituere, & de abjici-
endo Cæſaris regimine, cum plerisque Auſtriæ nobilibus conſultare.
Cauſam prætentebat, *Ladislaum* puerum, Hungariæ Regem, cujus
tutela Friderico erat demandata, contra teſtamentum Alberti regno
avito excludi, cui Auſtriæ poſſeſſio jure optimo competeret. Nec
deerant, qui Cæſari ſuaderent, ut omiſſo tantisper itinere Romano,
Viennam repeteret, & tuta omnia poſt ſe relinqueret; qui vero ſati-
59. us exiſtimabat perdere tutelam Ladislai, quam cœpta tanto apparatu,
& fortaſſe vix unquam reſumenda relinquere. Interim conventum
Viennæ

Viennæ agunt conjurati, Ladislaum in libertatem vindicandum, Fri- pag. 51.
dericum Auſtria excludendum decernunt. Imprimis Ciliæ Comi- 55.
tes, quorum ſcelera aperte deſcribuntur, his ſe adjungebant, & clan-
deſtinis machinationibus animos eorum, qui Cæſareas adhuc tue-
bantur partes, abalienabant, imo fœderi, quod cum Cæſare olim 67.
inierant, prorſus renunciabant, cum Imperator Italiam cum Ladis-
lao intrans ingenti gaudio ſummaque reverentia undique exciperetur.
Qua occaſione Silvius præcipuarum Italiæ urbium, Bono- 61. 64.
niæ, Senarum ac Florentiæ, ut & navigationis periculoſiſſimæ a Cæ- 65.
ſarea ſponſa ſuſceptæ, juramenti denique, a Friderico Præſuli Roma- 69.
no Senis præſtiti, hiſtoriam interſerit. Sentiebant autem conjurati,
Imperatorem, ubi Pontifice coram loqui foret datum, opem ejus
haud dubie imploraturum, indeque antevertere ipſum, miſſis legatis,
qui de ſuis actionibus Pontificem redderent certiorem, ſtudebant, 71.
qui tamen, antequam, quo deſtinarant, perveniſſent, intercepti, lite-
ris amiſſis, ſatis habuerunt, ſi ſalvi eſſe poſſent. Cæſar, excepta Senis 75.
Leonora, intrepidus Romam pergebat. Quam cum intraſſet, Pon- 77.
tificis exoſculatus pedes, pompa ingenti, nec minori comitate exce-
ptus biduum ibi ſubſtitit, eodem, quo Nicolaus quondam, die co-
ronam accepturus. Sed & interim de motibus Auſtralium perfidi-
aque ad Pontificem detulit, & Longobardici inſuper regni inſignia, 78.
invitis licet atque multum reclamantibus Legatis Mediolanenſibus,
obtinuit. Inſperſit hic nonnulla Æneas noſter de *Coronis Imperato-* 79.
ris, quarum nullum omnino certum numerum, tres autem illas vul-
go triplicis metalli creditas, omnes eſſe aureas, compertum ſe habe-
re ſcribit. Nec Romanorum Regem aliquem, ſed Teutonicorum 80.
potius dicendum, ipſumque Carolum M. qui primus Germanorum
ſuſcepit imperium Romanorum, non Regem, ſed Imperatorem Au-
guſtum vocatum, aſſerit. Tum prolixis verbis ritus inaugurationis
ſolenniores, Cæſariſque poſtea Neapolin profectionem, quamque 81.
laute ibi ab Alphonſo Rege, Leonoræ avunculo, una cum Imperatri- 84.
ce exceptus, matrimoniumque more patrio conſummatum fuerit, 85.
enarrat. Fuerant interea, dum Cæſar abeſſet, qui Ladislao Regi,
Romæ apud Pontificem relicto, fugam celerem perſuaſerant, quæ
tamen mox detecta provida Nicolai cura impediebatur. Atque ita
Ro- 86.

pag. 90. Romam Fridericus rediens, & jam diſceſſum meditans petebat, uti communem expeditionem militarem adverſus infideles Pontifex indiceret. Quam cum curæ ſibi fore, reſpondiſſet Nicolaus, & reliquos Chriſtianæ Principes Religionis conſulendos primum dictitaſſet, placide dimiſſus Roma abiit.

91. Ceterum non ut in Italia, ita in Germania quoque res tranquillæ Cæſari fuere. Namque Auſtrales, duce *Ulrico* Ciliæ Comite, cum Moravis atque Hungaris amicitiam fecerant, jamque juncto fœ-
92. dere Legatos miſerant, qui Ladislaum denuo depoſcerent, aut ſi nollet reddere, bellum indicerent. Neque hoc ſatis. Ladislaum ipſum aliquoties in ſuas pertrahere partes, ſecumque abducere irrito ſucceſſu conabantur; niſi quod illud jam perſuaſerant, ut literis Legatisque ad Pontificem miſſis Auſtrales reſacrari, ſeque in regnum peteret reſtitui.
98.99. Quæ tamen legatio, nequicquam mutato Pontifice, & ipſa fruſtra fuit. Reverſo autem in Germaniam Friderico, primus omnium *Joh. Neipergius* Conſiliarius, quem unum Cæſar ex Rectoribus in Auſtria reliquerat, occurrit, resque turbulentas non niſi gladio compeſci poſſe confir-
100. mat, ſuadetq; uti interdicat Auſtralibus, ne argentum a conjuratis ipſis
102. imperatum ſolvant. Quo conſilio probato, Imperator ad *Novam Civitatem* pergit quam celerrime, equitum quatuor millia, peditumque non parvum numerum conducit, *Georgium*, Bohemiæ Guber-
103. natorem, in partes trahit, priorque in armis exercitum, quam Auſtrales, habet. In eo tamen viſus eſt peccaſſe Æneæ, quod per diverſa milites caſtella diſtribuerit, neque ſtatim hoſti obviam proceſſerit, cum uno ictu potuiſſet omnes ejus opes proſternere. Interim Ei-
107. zingerus *Ort* caſtellum in Auſtria munitiſſimum, vi captum, diripit incenditque. Idem Cæſareani faciunt, aliis quibusdam ultra Danu-
110. bium munitionibus fortiter expugnatis. At vero, ubi *Henricus de*
112. *Roſis* ex Bohemia cum peditibus octingentis, equitibus ducentis Au-
113. ſtralibus veniſſet ſubſidio, hi jam recto itinere Novam Civitatem petentes, eam ancipiti eventu oppugnabant. Aliquoties induciæ petitæ; Cæſar ipſe ad colloquium egreſſus; de conditionibus non convenerunt. Neque videbatur inter eos concordia ſanciri poſſe, niſi La-
116. dislaus Auſtralibus concederetur. Dubius ergo animi Fridericus, ac licet in propinquo jam adeſſet *Georgius Poggiebracius*, auxilium

laturus

ſaturus Cæſari, pacem bello præferens, puerum dimittit, qui incredibili totius populi lætitia Viennam mox deductus, inque regio collocatus ſolio. Friderico nihil eorum, quæ promiſſa fuerant, præſtitum. pag. 118.

Atque hic ad motus denique Hungaricos pervenit Silvius, ita tamen, ut in recenſendis iis, uti ſupra dictum, pene ſub initia conſiſtat, totumque Opus inſperato abrumpat. Huic autem addita comparent *Diplomata* & *Documenta varia*, *Figuræ* itidem, *Nummique* ac *Imagines*, quæ rebus Friderici III. illuſtrandis inſervire, & ſtylum inſuper curiæ iſtis temporibus uſitatum edocere queant.

Hæc jam dicta inſequuntur *Poëtæ anonymi Annales de Geſtis Caroli Magni*: Ejusdem *Vita* a *Monacho*, uti videtur, *Cœnobii Egolismenſis S. Eparchii* ex Annalibus illis plebejo & ruſticano ſermone compoſitis, quos & Reghino Abbas Prumienſis ad A. DCCCXIV. ſecutum ſe ait, nonnullis interpolatis, quibusdam etiam additis, deſcripta: *Thegani Choreviſcopi Trevirenſis* Opus de *Geſtis Ludovici Pii Imperatoris*: *Nithardi*, Angilberti filii, Karoli M. Imp. ex Bertha filia nepotis, *de Diſſenſionibus Filiorum Ludovici Pii* ad annum usque DCCCXLIII. libri quatuor: *Ludovici* Germaniæ Regis, Pii filii, *Diploma* Ratoldo Argentoratenſi Epiſcopo datum: *Formulæ fœderis Ludovici Germaniæ, & Caroli Galliæ Regum*, Pii filiorum, quod apud Argentoratum A. C. DCCCXLII percuſſum eſt; utriusque linguæ monumentum, ex Archetypis reſtitutum & παραλλήλως notis expoſitum, ſtudio *Marquardi Freheri*: *Erckenbaldi* Epiſcopi Argentinenſis ſub Ottone M. *de Anteceſſoribus ſuis in Epiſcopatu Carmen*, ex Codice Biblioth. Auguſtanæ: *Alberti* Abbatis *Stadenſis Chronicon* a condito orbe usque ad A. C. 1256, cum appendice Genealogica: *Martini Poloni Chronicon* Romanorum Pontificum & Imperatorum: & *Andreæ* Presbyteri Ratisbonenſis *Chronica de Principibus Terræ Bavarorum*, cum notis *Marq. Freheri*. Ut adeo, quod in titulo habetur, *vicem voluminis Rerum Germanicarum novi præſtare hoc Opus poſſit*. Denique agmen claudunt *Indices* duo: alter *Diplomatum* Friderici III. variorumque Documentorum eo pertinentium; alter *Rerum & Verborum* ampliſſimus, qui cupidi Lectoris deſiderium non poterunt non explere.

L. JOH.

JOH. HENRICI HEIDEGGERI

ציון אצל עצם גוג

Tumulus Tridentini Concilii, juxta ejusdem Anatomen, ſeu Sceleton antehac exhibitum, noviter erectus.

Tiguri, apud Davidem Geſnerum A. 1690. in 4.
Conſtat 14. alphab. & 4. plagulis.

CUm D. Auguſtino Reding, Abbati Einſidlenſi, adverſus Joh. Henrici Heideggeri Anatomen Hiſtorico-Theologicam, ſecundo ſupra ſeptuageſimum hujus ſeculi anno in dias luminis auras emiſſam, calamum ſtringere, atque exactis duodecim annis quinque grandia volumina typis divulgare, viſum fuerit; ſuarum partium eſſe judicavit celeberrimus Heideggerus, ſcriptum ſuum contra eruditiſſimi Antagoniſtæ inſultus defendere. Quamvis autem D. Reding in ſuis libris tum hiſtoriam Concilii Tridentini, tum dogmata ab eodem definita, adverſus ea, quæ utrorumque integritatem & veritatem oppetierant, vindicare aggreſſus ſit; placuit tamen Heideggero, tantum ea, quæ pro horum veritate in medium adducta ſunt, ex profeſſo diſcutere, judicanti neceſſum eſſe, ut quicquid de hiſtoria ejusq; fide & integritate fiat, religio ſaltim, dogmatum veritate conſtans, tuta in arce collocetur, nec defore Herculem alium ætate & ingenii vigore florentiorem ac præſidiis monumentorum inſtructiorem, qui Pallavicinum, ex cujus hiſtoria omnia ſua fere hauſerit Redingius, ſit refutaturus. In eo itaque omnis ejus labor fuit occupatus, ut quæ pro fidei Tridentinæ articulis propugnandis, prolixe admodum in medium attulit Antagoniſta, in pauca verba coarctaret, atque dilucidius proponeret, & nervoſe inſimul ac ſolide diſcuteret. Cumque Anatomes ipſius exemplaria pridem diſtracta fuerint, eam grandiori paulo charactere denuo repræſentare, & novas acceſſiones minoribus litteris exprimere conſultum duxit, ac præter præfationem Anatomæ Concilii Tridentini antehac præmiſſam, novam benevoli lectoris oculis exhibere voluit. In qua Anatomes Hiſtorico-Theologicæ Concilii Tridentini expoſitis fatis, inſtitutum ſuum novum pandit; de tumulando Gogo Prophetiam eidem accommodat; Papatus

patus Tridentini arcana reſerat; denique Sfortiæ Pallavicini tum Hiſtoriam Concilii Tridentini, tum pſeudopoliticam religionem, quam putat, depingit. Opus ipſum in duos tomos diſpeſcitur, & quidem prior ſeſſiones XVI. Concilii priores, Pontificibus Paulo III. & Julio III. celebratos; poſterior autem ſeſſiones IX. Concilii poſteriores, Pontifice Pio IV. habitas, exhibet. Uterque autem octuplici indice, quem Cl. Viri Friderici Utzingeri, Collegii Alumnorum Palæoparthenii Ephori, induſtriæ acceptum refert Heideggerus, non ſine ingenti lectoris commodo exornatur. Ad Anatomes ſuæ calcem, Jacobi Auguſti Thuani Hiſtoriam Concilii Tridentini, in Operum Thuani editione prima áliisque ſequentibus plane omiſſam, in Aurelianenſi autem extrema & potiſſima parte mancam mutilamque; nunc vero ex MS. plenius & accuratius erutam adjecit clariſſimus Heideggerus, ut tum inſtituto ſuo rectius ſerviret, tum bene quoque mereretur de iis, qui Operum Thuani hanc adeo præclaram mantiſſam jure deſiderant.

JOANNIS TRITHEMII ANNALIUM HIRSAUgienſium Tomi II. Complectentes Hiſtoriam Franciæ & Germaniæ, Geſta Imperatorum, Regum, Principum, Epiſcoporum, Abbatum, & illuſtrium Virorum. Nunc primum e Manuſcriptis Bibliothecæ Monaſterii S. Galli editi.

Typis ejusdem Monaſterii S. Galli, Anno 1690. in fol. Conſtant Alphabetis 14. & plag. 13.

JOannes Trithemius, Ordinis Divi Benedicti, ac Spanheimenſis primum Monaſterii, dein Herbipolenſis ad D. Jacobi Abbas, natus in pago Trittenheim prope Moſellam, Kal. Februarii, A. C. 1462, & d. 13. Decembris A. 1516. (tametſi quidam annum 1519. heic nominent,) defunctus, vel e ſolo Scriptorum Eccleſiaſticorum, quem edidit, Catalogo clarum ſatis inter Eruditos nomen obtinuit. Sed præter hunc ſcripta quoq; alia autorem eum agnoſcunt, quorum catalogus ejus quidem Polygraphiæ præfixus eſt, ſed is ab aliena manu; fidemque adeo majorem ille meretur, qui ab ipſomet ſub calcem hujus, quod jam recenſemus, Operis annectitur. In eo ſiqui-

dem non ſolum libri ejus de illuſtribus Viris Ordinis Benedictini, Spanheimenſe item Chronicon, Steganographia, & Epiſtolæ, ſed plura etiam minoris ponderis Opuſcula comparent, quæ partim jam in plerorumque manibus verſantur, partim adhuc inedita, aut certe non ubivis obvia, deliteſcunt. Cæterum non defuere, qui, quod Autor hic partam eruditione ſua gloriam illicitis Magiæ ſtudiis multum obfuſcaverit, probare anniſi ſunt. At ipſe tamen, in peculiari adverſus Carolum Bovillum vindicatione, intentati hujus criminis ſuſpicionem omnem abs ſe amovit; quemadmodum & Tomo II. hujus Operis p. 288. ab eo ſe alieniſſimum profitetur: quam rem nos aliis examinandam merito committimus.

Annales vero præſentes reliquis ipſius ſcriptis palmam omnino dubiam reddere videntur; quandoquidem in eos aliquot annorum induſtriam plane ſingularem impendit, nec ulli pepercit operæ, quo exactam pro ſuo inſtituto Hiſtoriam literis conſignaret. Et vice quidem duplici eundem ſcribendi laborem adortus eſt, dum primum ab A. C. 838. usque ad A. 1370. narrationis filum pertexuit, ac deinde priores ſchedas denuo excutiens, non parum eas undique adauxit, quin & integri pæne ſesquiſeculi hiſtoriam ſuperaddidit, colophonem in A. 1513. toti Operi imponens. Illa autem imperfecta compoſitio in lucem quondam prodiit, Marquardo Frehero accurante, qui eam in Bibliotheca Palatina repertam, A. 1601. typis Wechelianis Francofurti curavit imprimi. Nec applauſu certe caruit apud Viros quoscunque doctiſſimos, qui ejus autoritate admodum frequenter uſi ſunt, tantoque magis exoptarunt, ut totum Opus aliquando compareret, quod vel quadruplo auctius futurum ſibi pollicebantur. Latuit hoc per tempus bene longum intra ſolos cœnobii Hirſaugiani parietes, exortisque belli turbis, mox (ut præfatio ab Editoribus præmiſſa docet,) ad Weingartenſe monaſterium, mox ad Sangallenſes in Helvetia, tandemque ad Blumeneggenſe caſtrum translatum fuit, ac certiſſimam ruinam, abſumente ibi cuncta incendio, tunc ſubiiſſet, ni monaſterii S. Galli incolæ, cum apud eos adhuc detineretur, provide id deſcripſiſſent; e quorum etiam apographo nunc demum id cum Eruditis aliis communicatum eſt.

Initium ab ipſa Monaſterii Hirſaugienſis fundatione capitur, quam per Erlafridum quendam, Comitem Calbenſem, ejusque filium,

filium Nottungum, Vercellenſis Eccleſiæ Epiſcopum, anno Chriſti octingenteſimo cœptam aſſerit. Et occaſione quidem reliquiarum Aurelii Armeni, Rhedicianorum olim Præſulis, quas ab ArchiEpiſcopo Mediolanenſi acceperat Nottungus, & ideo in patriam ſecum asportaverat, ut, quo in loco eædem condendæ eſſent, ibi monaſterium ſimul exſtrueretur. Nec difficulter petitis ejus pater annuit, præſertim, cum ab eo opes haud mediocres hunc in finem reciperet, octennioque præterlapſo tota monaſterii ſtructura fuit conſummata, & accerſiti mox e cœnobio Fuldenſi cum Abbate uno Monachi quindecim, poſt factam a Moguntino Præſule, Otgario, dedicationem, monaſticæ ibidem converſationi auſpicia dederunt. Quæ ſingula poſtquam enarravit Trithemius, & memorati jam Aureli i vitam atque obitum recenſuit, ad ipſos iſtius monaſterii Abbates ſe confert, moresque ac res geſtas ſingulorum, prout ſibi invicem ſucceſſere, commemorat, a primo eorum, Lutberto, usque ad quadrageſimum ſecundum, Johannem Haſmannum, progrediens. Quoniam autem Erlafridum fundatorem ſemel conſtituit, non poteſt, quin ad A. 1039. delatus, eorum ſententiam operoſe refutet, qui demum ab Henrico III. Imperatore monaſterii initia derivant, & idcirco, quæ Godofredus Viterbienſis una cum aliis eundem ſecutis hanc in rem notavit, Tom. I. p. 175. ſq. per aliquot argumenta intervertit, originem ejus multo antiquiorem vindicans. Equidem ab anno poſt fundationem centeſimo ſexageſimo tertio, per quatuor & ſexaginta ſuccedentes, deſolatum iſtud jacuit, ſed facta tandem per Adelbertum, Comitem Calbenſem, reſtauratione, cum privilegiis ab Henrico IV. Imp. collatis, & per Gregorium VII. Pontificem confirmatis, novas etiam vires floremque conſtantiſſimum recepit, adeo, ut pluribus ſubinde monaſteriis, quæ longo ordine Trithemius Tom. I. p. 1267. & ſeqq. recenſet, primos e monachis ſuis incolas transmiſerit.

Neque tamen intra anguſtos unius monaſterii cancellos ita ſe concludi calamus Autoris noſtri paſſus eſt, quin paulo evagaretur liberius, & quæ per iſtud temporis ſpatium, ſeculorum fere ſeptem decurſum complectens, paſſim alibi contigere, pari ſtudio memoriæ poſteritatis commendaret. Præcipue autem Germaniæ noſtræ Hiſtoriam proſequitur, ad exteras nationes haud facile, niſi aliqua ne-

ceſſitate compulſus, excurrens, eo, quod & ipſæ noſtra in ſuis ſcriptis parum allegare ſoleant. Inde plurima in hoc Opere invenias, quæ ad Regum, Imperatorumque Romano-Germanicorum facta pernoſcenda egregie conducunt, quibus tamen ſucceſſiones & geſta Pontificum ubivis immiſcet, ſeque his contra illos non raro æquiorem præſtat, utpote qui Tomo II. p. 236. confitetur publice, *ſe cum Romana ſentire ſacroſancta Eccleſia, & autoritatem ſummi Pontificis velle pro viribus defenſare.* Orditur autem ab obitu Ludovici I. Imp. & in Maximiliani I. Hiſtoria definit, quemadmodum e Pontificibus Gregorium IV. primo, & Leonem X. ultimo loco nominat. Et minus forſan fuerit dividiæ, nonnulla, quæ modo aſſertis fidem concilient, notabilia B. L. judicio paucis exhibere. Tom. I. p. 61. agit de Henrico, Duce quondam Saxoniæ laudatiſſimo, quem Conradus I. Imperator ſucceſſorem ipſe ſibi poſtulavit, ille vero ex modeſtia ſingulari unctionem & diadema aſſumere noluit, victoriis tamen haud paucis & aliis præclare laudabiliterque geſtis immortale nomen eſt promeritus. In ejus filii & ſucceſſoris, Ottonis I. Hiſtoria notabilis videtur (p. 73. 74.) inter Archi-Epiſcopum Trevirenſem & Colonienſem exorta ſuper illius coronatione concertatio, quam interveniens Hildebertus, Moguntinorum Archiepiſcopus, diremit; unde eo in loco ſolennes hujus actus ceremoniæ ſimul delineantur. Idem Imperator, ut multiplicia & horrenda Papæ Johannis XII. ſcelera compeſceret, Romam profectus eſſe ſcribitur, (p. 104.) multaque præterea commemorantur, e quibus iſtud jus, quod olim Imperatoribus in Pontifices competiit, ſatis abundeque poteſt colligi. Henricus II. uxorem ſuam Cunigundam, Siffridi Comitis Palatini Rheni filiam, ſororis potius loco habuiſſe, & per totum conjugii tempus virginitatem coluiſſe, (p. 147.) tandemque numero Sanctorum poſt mortem illatus (p. 164. 418.) perhibetur. Econtra in Henricum ejus nominis IV. Imperatorem Autor admodum iniquus eſt, juſtiſſimasque Majeſtatis Cæſareæ vindicias adverſus Gregorii VII. machinationes (p. 233. ſequ.) mire traducit. Similiter in Fridericum I. invehitur, quod injurioſas iſtas imagines, quibus Pontifices affectatum in Cæſares imperium palam expreſſerant, removeri jusſerit, (p. 434.) exortæque hinc diſſenſionis cauſas pueriles nuncupat. In Conrado III. Guelforum & Gibellinorum originem, (p. 409.)

(p. 409.) ſicuti & (p. 602. 604.) ſuſceptas eorum A. 1259. decertationes attingit. Rudolphi Habspurgici lepidum reſponſum, cur Romæ coronam Imperatoriam petere noluerit, Tom. II. p. 56. refert. Henricum VII. hoſtia venenata a monacho quodam fuiſſe interfectum p. 130. negat atque pernegat, & narrationem iſtam fabuloſam eſſe, multis modis probare ſatagit. De bello inter Ludovicum Bavarum & Fridericum Auſtriacum, quorum ille a quinque Electoribus Imperator creatus fuerat, hic vero duorum reliquorum ſuffragia obtinuerat, p. 138. agit, & p. 202. articulos, ob quos Ludovicus iſte excommunicatus fuerit, recenſet. Wenceslaum a dignitate & adminiſtratione Imperii depoſitum, factique illius rationes ſiſtit p. 308. ſq. Bellum, quo Maximilianus I. Philippum Comitem Palatinum, ejusque filium Rupertum, proſecutus eſt, prolixe imprimis deſcribit p. 604. ſequ. Tacemus, quæ de Carolo M. non in Gallia ſed Germania nato, (T. II. p. 243.) de ejus item ſtudio, quo linguam Germanicam in certas regulas redegit, (T. I. p. 29.) de Auſtria ab Imperatore Friderico II. ſubjecta, (p. 567.) memorat, ac brevitatis ergo plura etiam alia prætermittimus, quæ a jucunditate non minus, quam utilitate ſe commendant, paſſimque inſperſa deprehenduntur. In quadam ad Nicolaum Baſelium Epiſtola, quæ Tomo II. præfixa legitur, ſolicite retractat, quod in ſuis annalibus Reges, quos Germaniæ dicere debuiſſet, Romanos nonnunquam appellaverit; quod item, adverſus uſum Curiæ Romanæ, Norimbergam, Francofurtum ac Ulmam, civitates nuncuparit, cum, quod ibi ſedes Epiſcopalis non habeatur, oppida potius audire deberent; monetque urbes & civitates Germaniæ liberas, non Imperiales, ſed Regales fore nuncupandas.

Præterea nec reliquos Germaniæ Principes ac Duces pede plane ſicco tranſilit, ſed eorum pariter res geſtas ſubinde deſcribit, Genealogias quoque & alia, quæ ad eos ſpectant, ſicubi ſe occaſio obtulerit, immiſcet. Ita de Philippo, Ludovici Pii Electoris quondam filio, Comite Palatino Rheni ac Duce Bavariæ, relictisque ejus liberis T. II. p. 481. quin & de Comitum Palatinorum Genealogia altius repetita, paſſim diſſerit, ac eandem p. 393. a Ruperto Imp. ad ſua usque tempora deducit. Geſta Friderici Palatini, quæ ſigillatim, notis etiam ex hoc Opere adjectis, Marq. Freherus Heidelbergæ anno 1602. vulgavit, memorabilibus anni 1449. & ſubſequen-

ſequentium immixta ſunt. Similem in modum & Bavarica Genealogia, Ducatusque illius non ſemel ſuſcepta diviſio ; Joachimi, Marchionis Brandenburgenſis, quem multis nominibus Autor celebrat; Alberti, Ducis Auſtriæ; Comitum quorundam Wurtenbergicorum, aliorumque, qui ſecula iſta imperando attigerunt, hiſtoria & progenies fuſe ſatis deſcripta legitur. Minus etiam ſilentio involvenda reputamus, quæ antiquitatum aliarum memoriam nobis refricant, qualia ſunt, quæ de Archiepiſcopo Moguntino annotat, qui ſeculo adhuc decimo nec Romam pro ſua confirmatione mittere, nec, ut poſtea invaluit conſuetudo, florenorum millia viginti quatuor ideo expendere coactus eſt. Narrationi de Hattone a muribus devorato, autoritatem nec tribuere nec denegare ſe poſſe affirmat, Tom. I. p. 117. Quæ autem de origine & extinctione Ordinis Templariorum T. II. p. 107. nec minus de liga ruſticorum ſotularia, Germanice *Bundſchueb*, p. 589. referuntur, prolixiora ſunt, quam ut a nobis in præſens pro dignitate queant recenſeri. Id ſaltem addimus, quod inventæ Typographiæ gloriam Germanis ſuis vindicet, primosque artifices, Jo. Fauſtum, & Guttenbergium, cives Moguntinos, ſub A. 1450. conſtituat.

Et quamvis, ut antea jam dictum eſt, exterorum haud frequentem adeo mentionem injecerit, nihilominus tamen & heic aliqua notatu non indigna occurrunt. Francorum præcipue veterum origines & adventum in Germaniam, Hunibaldum autorem ſecutus, ſcrutatur, Regumque iſtius gentis ſucceſſiones T. II. p. 22. prolixius enarrat. Initia regni Tartarorum, quorum primus Rex Cinguis, & quidam ejus ſucceſſores enumerantur, T. I. p. 503. regnique Turcarum primordia T. II. p. 175. licet deprehendere. Gallorum etiam quandoque meminit, narrationem alicubi inſpergens de Joanna puella, Carolo VII. Galliæ Regi adverſus Anglos & Burgundiones pugnanti ſubſidium ferente, ſed poſtmodum ab hoſtibus capta & interemta, T. II. p. 731. 781. Factam inſuper a Ludovico XI. Sanctionis pragmaticæ, quam integram ſimul recenſet, abrogationem parum approbat, (T. II. p. 445.) eo, quod pœnitentia ductus, mox eam revocaverit. Nec magis ſe amicum præbet Venetis, quibus, ubiubi poteſt, maculam aſpergit, Ludovici quoque Heliani, Senatoris Vercellenſis, orationem admodum acerbam, quam contra eos in conventu Principum

pum a Maximiliano I. apud Auguſtam Rhætiorum A. 1510. inſtituto habuerat, totam ferme eo in loco exhibere non veretur. Horrenda Judæorum flagitia, ob quæ variis e regnis, provinciis, atque urbibus exterminari meruerunt nebulones ſceleſtiſſimi, plus vice ſimplici deſignat, & teſtimonia profert numero haud exigua, quod ſæpe Chriſtianis parvulos clam ſurripuerint, innocentesque vita miſere privaverint, eorum nempe ſanguini quam avidiſſime inhiantes.

Ulterius Hiſtoriam Eccleſiaſticam apprime illuſtrat, dum tot ſectarum & hæreſium autores, aſſeclas, dogmata, & extirpationem in medium producit; v. g. Catharorum, T. I. p. 450. ſq. Fratricellorum, T. II. p. 74. 148. ſq. Beguinarum, p. 126. Flagellatorum, p. 207. Bertholdi de Rohrbach, p. 231. Adamitarum, p. 362. & ſimilium. Joannes Huſſ, & Hieronymus Pragenſis hæreticorum catalogo pariter inſerti conſpiciuntur, quos tamen cordatis fidei aſſertoribus potius annumerare decebit. Referas huc non minus Bulgarorum, Bohemorum, Danorum, Ruthenorum aliarumque gentium ad fidem Chriſtianorum converſionem, quam obſervata temporis ratione, haudquaquam præterit. Concilia quoque, uti Moguntinum provinciale, contra Godeſchalcum hæreticum, de quo T. I. p. 20. Vercellenſe adverſus Berengarium, p. 194. Baſileenſe, quod ab A. 1431. usque ad 1449. duravit, T. II. p. 387. Lateranenſe a Julio II. Papa indictum, p. 672. Piſanum I. A. 1409. p. 327. 328. deſcribit. Piſanum vero II. A. 1511. celebratum, Conciliabulum modo appellat, & præter alia epiſtolam quoq; ſuam, qua ab ejus proſecutione Maximilianum I. Imperatorem dehortatur, ſubnectit, p. 669. Sed Conſtantienſe A. 1414. cœptum valde celebrat, ejusque latam in Johannem Huſſium & Hieron. Pragenſem ſententiam minime injuſtam cenſet. His ſtatim jungimus variorum Ordinum hiſtoriam, Ciſtercienſis puta, Carthuſienſis, Grandimontenſium, Fratrum B. Mariæ Teutonicorum, Prædicatorum, Minorum S. Franciſci, Præmonſtratenſium, Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, &c. Monaſteriorum porro farrago maxima in Opere hoc occurrit, plurimaque eo ſpectantia curioſe excutiuntur. Denique haud abſimile eſto judicium de primariis Germaniæ Academiis, quæ primordia ſua ab annis a Trithemio perluſtratis derivant; nam & earum notitia haud vulgaris exin ſperanda eſt.

Et quid dicemus de Viris per iſta ſecula illuſtribus? Eorum cer-

te aliquot centurias una cum ſcriptis, quæ compoſuerunt, recenſet; verum in tribuendis iisdem elogiis parum abit a more ſuo, quem dudum in eo obſervarunt alii, & quod æquali omnes laude cumulet, non immerito conqueſti ſunt. Albertum M. artium magicarum cultorem fuiſſe, haudquaquam largitur, ac genuinam potius naturæ myſteriorum cognitionem ei tribuit, T. II. p. 40. Plures etiam Prophetiæ dono inſignes, viri non minus ac fœminæ, nominantur, (quo autem ex fundamento, noſtrum hac vice non eſt, ut inquiramus;) & e ſeculo quidem X. Wiboradis, monialis apud S. Gallum, (T. I. p. 59.) Hildebertus, Archiepiſcopus Moguntinus (p. 76.) E ſec. XI. S. Clarus, monachus Seligenſtadienſis (p. 187.) Bardo, Archiepiſcopus Moguntinus, (p. 192.) Eduardus, Angliæ Rex, (p. 197.) Marianus Scotus, (p. 281.) E ſec. XII. S. Hildegardis, (p. 216.) S. Eliſabetha, Abbatiſſa Schönaugienſis, (p. 454.) E ſec. XIII. Cyrillus, Prior Generalis Ordinis Carmelitarum, (p. 500.) E Sec. XV. Frater Nicolaus, Eremita Helvetius, (T. II. p. 504. 527.) ille ipſe, cujus & Lutherus Tom. IV. Jenens. Germ. fol. 352. & ſeqq. meminit. Sed Joachimum, Abbatem Florenſem, vergente ſec. XII. haud incelebrem, e Propheticorum virorum catalogo eximit, nec quicquam refert de Malachiæ Prophetiis, quas hodie in ore omnium verſari conſtat, tametſi bis illius mentionem faciat. (T. I. p. 388. 419.) Sanctorum interim reliquiæ, jactatæque frequenter apparitiones, & patrata paſſim miracula, in quibus recenſendis Autor eſt occupatiſſimus, a nobis minime examinabuntur, qui hæc aliaque ipſius genio haud ægre condonamus.

Atque ita conſtabit, ut opinamur, quod in Annalibus his monumenta non pauca contineantur, quæ variæ eruditionis amantibus, & Germanicarum præcipue antiquitatum ſtudioſis dubio procul vel maxime ſe approbabunt; præſertim, ſi cum judicio legere Hiſtorias, & ubi Autor ſuæ inter narrandum Religioni inſerviat, prudenter æſtimare didicerint. Ac multo ſane plura exinde decerpere licuiſſet, ni putaſſemus fore ſatius, ad ipſum Opus ablegare Lectorem, in frequenti ejus evolutione diligentiam ſuam haud fruſtra collocaturum. Unicum adhuc ſub finem monemus, quod Autor nonniſi Indices generales quorundam in prima hujus Chronici parte memoratorum, & tam ad ipſum monaſterium Hirſaugianum, quam ad Ordinem Benedictinum attinentium condiderit. Sed Editores unicuique To-

mo

mo ſpecialem ſubjunxere Indicem, e quo notabiliora ſingula facilius feliciusque hauriri poterunt.

DISSERTATIO HISTORICA, AN ROMANUS Pontifex Baculo Paſtorali utatur, auctore JOANNE CIAMPINO Romano, Magiſtro Brevium Gratiæ, ac Majoris Præſidentiæ Abbreviatore, nec non utriusque Signaturæ Referendario.

Romæ apud Jo. Jac. Komarek, 1690. in 4.

Conſtat 2. plag. & dimid.

SCripta eſt hæc ad Eminentiſſimum Principem Vincentium Mariam S. R. E. Presbyterum Cardinalem *Urſinum*, Archiepiſcopum Beneventanum, qui celeberrimo *Ciampino*, cum in Tractatu *de Veteribus Monimentis c. XXV.* de Paſtorali Baculo ſcripſiſſet, dubium non leve moverat. Dixerat ibidem *Ciampinus*, vilibus baculis antiquitus uſos eſſe Epiſcopos, qui vero temporis progreſſu in aureos pag. 5. argenteosque fuerint commutati. Et formæ quidem eos triplicis fuiſſe, alios rectos, alios in ſummitate curvos, alios denique figuram magni T retuliſſe. Incurvis illis Epiſcopos præcipue uſos. Romanos autem Pontifices rectos, a ſimilitudine *ferulas* dictos, ideo maxime ſibi elegiſſe, quod Imperatoribus ferula, licet diverſæ eſſet 6. formæ, ſymbolum fuerit poteſtatis in ſubditos moderate exercendæ. Nunc ea ulterius probaturus, affert primum antiquam Gregorii M. imaginem, qua Pontifex hic dextra baculum rectum, cujus in ſummitate parva crux comparet, tenens a *Macro* in Hierolexi- 7. co refertur. Deinde *Luitprandum* teſtem advocat, qui utut in eo ipſi peccaſſe videatur, quod Benedictum V. Pſeudo-Pontificem, Leonem vero legitimum vocet, inter inſignia nihilominus Pontificia ferulam recenſeat, eamque a Leone fractam populo in ſignum ablatæ poteſtatis oſtenſam dicat. Idem porro oſtendit ex Gelaſii II. pictura, Vitæ ejus a Conſtantino Abbate Cajetano ſubjuncta, qua Pontifex ſiniſtra manu baculum rectum, cui globus ovi referens figuram ſuperadditus, tenens exhibetur. Quartum ipſi quintumque argumentum ſuggerunt *Baronius*, qui ad A. 1100. in electione Paſchalis II. ferulæ non minus, quam 8. aliorum inſignium facit mentionem, & *Cencius Camerarius* Cardinalis Sabellus, poſtea Honorius III, in Rituali idem regiminis & correctio-

nis ſignum inter alia enumerans. Idem vero ſexto loco indicare
ſcribit *Rituale* illud, quod Gregorii X. juſſu editum, niſi quod in eo,
ſecus ac in Cencii loco ſuperius allegato, ferulæ traditio poſt factam
demum conſecrationem ponatur. Quæ tamen ita conciliat, ut dicat,
pag.10. Cencium electionem jam in Laterano factam ſupponere, Gregorii vero ordinem alium fortaſſe extra urbem locum reſpicere, ubi ferulæ
11. traditio dilata fuerit ad ſolennem in Laterano acceſſum. Tandem ſimilia *Jacobi Cardinalis Cajetani* Rituale, itemq; aliud *Auguſtini Patritii*,
perperam a quibusdam Chriſtophoro Marcello, Archiepiſcopo Corcyrenſi, a quo Leoni X. Pontifici fuerat dicatum, attributum, tradere
12. oſtendit. Quibus ita enarratis, quærit, quonam tempore ejusdem ferulæ traditio ceſſaverit, cum noſtris temporibus eam fieri amplius non
13. videamus, conjicitque, non tam mentionem ejus conſuetudinis a Magiſtris ceremoniarum omiſſam, quam paulatim eam temporis injuria in deſuetudinem abiiſſe, aut in aliqua Congregationum, a nonnullis Pontificibus ad mores reformandos inſtitutarum, certis de cauſis fuiſſe abrogatam. Denique ad argumenta etiam, quæ ſententiæ fortasſis huic poſſent objici, reſpondet. Et primum quidem locum Inno-
14. centii III. (quo Pontifex non uti paſtorali virga dicitur, eo quod Petrus Apoſtolus baculum ſuum miſerit Euchario primo Trevirorum Epiſcopo, quo etiam Maternus de morte ſuſcitatus fuerit,
15. unde ille apud Trevirenſes hodieque aſſervetur) ita explicandum cenſet, ut dicatur, non tradi ipſi quidem paſtoralem baculum,
16. ſed tamen ferulam, quippe quæ ab illo ſit diverſa, deturque ipſi maxime in ſignum temporalis poteſtatis atque jurisdictionis, cum alter ille poteſtatem potius eccleſiaſticam notare videatur. Ceterum hi-
17. ſtoriam de Petri baculo ad Trevirenſes miſſo, quam ob cauſam D. Thomas in diœceſi ſolum Trevirenſi, non item alibi, Pontificem geſtare baculum ſcribit, aliis examinandam relinquit; interim, ſi con-
18. jecturæ locus ſit, exiſtimat ingenio potius Thomæ hæc deberi, quam hiſtoriæ, cum non appareat, ullum unquam Pontificem Romanum commoratum Treviris fuiſſe.

SACRO-HISTORICA DISQVISITIO DE DVObus Emblematibus, quæ in Cimelio Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Domini GASPARIS CARDINALIS CARPINEI aſſervantur, in

in quorum altero præcipue diſceptatur; an duo Philippi Imperatores fuerint Chriſtiani. Auctore JOANNE CIAMPINO Romano, Magiſtro Brevium Gratiæ, ac in utraque Signatura Referendario.

Romæ, typis Jo. Jac. Komareck Bohemi, 1691. in 4.

Conſtat 6½. plag.

UTrumque hoc Emblema vaſis alicujus lignei vel fictilis, aut calicis exornaſſe fundum, cenſet Auctor Illuſtriſſimus, qui εὐςοχίαν ſuam in enucleandis ejus generis antiquitatibus dudum erudito orbi ſatis ſuperque declaravit. Et Chriſtianos quidem veteres pag. 4. in calicibus præcipue certis veluti quibusdam ſymbolis ac teſſeris exiſtimat fuiſſe uſos, quibus mutuam inter ſe agnitionem communemque fidem variis hiſtoriis ac emblematibus ſibi notis deſignarint, ut quotiescunque pretioſiſſimum Redemtoris noſtri ſanguinem ex benedicto calice biberent, toties ſimul ipſius Salvatoris, Patrum Teſtamenti utriusque, Martyrum qui pro Chriſti amore ſanguinem effundere mortemque ipſam denique ſubire non detrectaſſent, poſſent recordari. 5. Tale ergo primum ipſi eſt emblema, ex ærea ſubtili lamina ſive bractea anaglyptico opere elaborata conſtans, variasque TAB. II. veteris cumprimis Teſtamenti hiſtorias delineans. Primaria em- Fig. 1. blematis figura eſt, qua Chriſtus tanquam paſtor ovem geſtans humeris exprimitur; quam ipſam inter calicum picturas ſuo jam tempore retulit *Tertullianus*, cujusque etiam marmoream duorum longitu- 6. dine palmorum tabulam cum inſcriptione FILUMENUS, i. e. *amatus*, apud ſe extare Auctor ſcribit. Capiti paſtoris imminent Adamus atque Eva, vetitæ adſtantes arbori, cui ſerpens circumvolvitur. Per Adamum typice Chriſtum, Eccleſiam per Evam, per ſerpentem deni- 7. que Diabolum intelligi, variis Patrum ſententiis probat. Icon ter- 8. tia Noam in arca, cum columba, oleæ ramum ore ferente, ſignum Eccleſiæ perſecutionibus tantum non ubique preſſæ, ſed divina nihilominus pace refocillatæ, exprimit. Sequitur ab altera parte Jonas ſub umbra cucurbitæ dormiens: cucurbitam enim, & non hederam, utut Vulgata ita efferat, fuiſſe, Aringhi atque Hieronymi auctorita- 9. te probat. Quinto loco imago Danielis ſeſe offert, inter medios leones conſtituti, Eccleſiæ ipſi a tyrannis liberationem referens. Sexto 10. ſiſtitur Abraham in eo jamjam conſtitutus, ut Iſaaci filii, egregi- 12. am Redemtoris noſtri, immiti mortis genere peremti, typum refe-

nis ſignum inter alia enumerans. Idem vero ſexto loco indicare ſcribit *Rituale* illud, quod Gregorii X. juſſu editum, niſi quod in eo, ſecus ac in Cencii loco ſuperius allegato, ferulæ traditio poſt factam demum conſecrationem ponatur. Quæ tamen ita conciliat, ut dicat,
pag. 10. Cencium electionem jam in Laterano factam ſupponere, Gregorii vero ordinem alium fortaſſe extra urbem locum reſpicere, ubi ferulæ
11. traditio dilata fuerit ad ſolennem in Laterano acceſſum. Tandem ſimilia *Jacobi Cardinalis Cajetani* Rituale, itemq; aliud *Auguſtini Patritii*, perperam a quibusdam Chriſtophoro Marcello, Archiepiſcopo Corcy-
12. renſi, a quo Leoni X. Pontifici fuerat dicatum, attributum, tradere oſtendit. Quibus ita enarratis, quærit, quonam tempore ejusdem ferulæ traditio ceſſaverit, cum noſtris temporibus eam fieri amplius non
13. videamus, conjicitque, non tam mentionem ejus conſuetudinis a Magiſtris ceremoniarum omiſſam, quam paulatim eam temporis injuria in deſuetudinem abiiſſe, aut in aliqua Congregationum, a nonnullis Pontificibus ad mores reformandos inſtitutarum, certis de cauſis fuiſſe abrogatam. Denique ad argumenta etiam, quæ ſententiæ fortasſis huic poſſent objici, reſpondet. Et primum quidem locum Inno-
14. centii III. (quo Pontifex non uti paſtorali virga dicitur, eo quod Petrus Apoſtolus baculum ſuum miſerit Eucherio primo Trevirorum Epiſcopo, quo etiam Maternus de morte ſuſcitatus fuerit,
15. unde ille apud Trevirenſes hodienum aſſervetur) ita explicandum cenſet, ut dicatur, non tradi ipſi quidem paſtoralem baculum,
16. ſed tamen ferulam, quippe quæ ab illo ſit diverſa, deturque ipſi maxime in ſignum temporalis poteſtatis atque jurisdictionis, cum alter ille poteſtatem potius eccleſiaſticam notare videatur. Ceterum hi-
17. ſtoriam de Petri baculo ad Trevirenſes miſſo, quam ob cauſam D. Thomas in diœceſi ſolum Trevirenſi, non item alibi, Pontificem geſtare baculum ſcribit, aliis examinandam relinquit; interim, ſi con-
18. jecturæ locus ſit, exiſtimat ingenio potius Thomæ hæc deberi, quam hiſtoriæ, cum non appareat, ullum unquam Pontificem Romanum commoratum Treviris fuiſſe.

SACRO-HISTORICA DISQVISITIO DE DVObus Emblematibus, quæ in Cimelio Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Domini GASPARIS CARDINALIS CARPINEI aſſervantur, in

in quorum altero præcipue diſceptatur; an duo Philippi Imperatores fuerint Chriſtiani. Auctore JOANNE CIAMPINO Romano, Magiſtro Brevium Gratiæ, ac in utraque Signaturæ Referendario.

Romæ, typis Jo. Jac. Komareck Bohemi, 1691. in 4.

Conſtat 6½. plag.

UTrumque hoc Emblema vaſis alicujus lignei vel fictilis, aut calicis exornaſſe fundum, cenſet Auctor Illuſtriſſimus, qui *εὐςοχίαν* ſuam in enucleandis ejus generis antiquitatibus dudum erudito orbi ſatis ſuperque declaravit. Et Chriſtianos quidem veteres Pag. 4.
in calicibus præcipue certis veluti quibusdam ſymbolis ac teſſeris exiſtimat fuiſſe uſos, quibus mutuam inter ſe agnitionem communemque fidem variis hiſtoriis ac emblematibus ſibi notis deſignarint, ut quotiescunque pretioſiſſimum Redemtoris noſtri ſanguinem ex benedicto calice biberent, toties ſimul ipſius Salvatoris, Patrum Teſtamenti utriusque, Martyrum qui pro Chriſti amore ſanguinem effundere mortemque ipſam denique ſubire non detrectaſſent, poſ-
ſent recordari. Tale ergo primum ipſi eſt emblema, ex ærea ſubtili 5.
lamina ſive bractea anaglyptico opere elaborata conſtans, variasque TAB. II.
veteris cumprimis Teſtamenti hiſtorias delineans. Primaria emblematis figura eſt, qua Chriſtus tanquam paſtor ovem geſtans hu- Fig. 1.
meris exprimitur; quam ipſam inter calicum picturas ſuo jam tempore retulit *Tertullianus*, cujusque etiam marmoream duorum longitu- 6.
dine palmorum tabulam cum inſcriptione FILUMENUS, i. e. *amatus*, apud ſe extare Auctor ſcribit. Capiti paſtoris imminent Adamus atque Eva, vetitæ adſtantes arbori, cui ſerpens circumvolvitur. Per Ada-
mum typice Chriſtum, Eccleſiam per Evam, per ſerpentem deni- 7.
que Diabolum intelligi, variis Patrum ſententiis probat. Icon ter- 8.
tia Noam in arca, cum columba, oleæ ramum ore ferente, ſignum Eccleſiæ perſecutionibus tantum non ubique preſſæ, ſed divina nihilominus pace refocillatæ, exprimit. Sequitur ab altera parte Jonas ſub umbra cucurbitæ dormiens: cucurbitam enim, & non hederam, utut Vulgata ita efferat, fuiſſe, Aringhi atque Hieronymi auctorita- 9.
te probat. Quinto loco imago Danielis ſeſe offert, inter medios leones
conſtituti, Eccleſiæ ipſi a tyrannis liberationem referens. Sexto 10.
ſiſtitur Abraham in eo jamjam conſtitutus, ut Iſaaci filii, egregi- 12.
um Redemtoris noſtri, immiti mortis genere peremti, typum refe-

pag 13. rentis, jugulo cultrum admoveat. Septimo Samſon, portas Gazæ civitatis ſecum auferens, ac Chriſtum inferorum portas ac repagula ſimili ratione diſrupturum ſignificans. Octavo Moſes in deſerto petram ad eliciendam inde aquam percutiens, quo ipſo Gentilium acceſſus ad
14. Eccleſiam præfiguratus dicitur fuiſſe. Nono & decimo Jonas in os ceti projectus, & ex eodem iterum progrediens, elegantiſſimum, vel ipſo Salvatore judice, ſepulturæ atque reſurrectionis Meſſiæ exemplum.
15. Quod autem ceti loco, non in hoc tantum emblemate, ſed & in aliis, draco depictus conſpiciatur, cauſam hanc ex Aringho reddit, quod Hieronymus teſtetur, non aliud Judæos monſtrum, niſi ſerpentem illum magnum, qui Leviathan alioquin ipſis appelletur, intellexiſſe & ab eo Jonam captum tradidiſſe.

16. Alterum Emblema vitreum, ejusdem cum priore magnitudi-
TAB. II. nis, oſtendit Juvenem imberbem, capillis in coronæ formam reſectis,
Fig. 2. Dalmaticamque togam, quam lacerna tegit, ad crura usque demiſſam geſtantem. Ex latere ſiniſtro magna faſcia excurrit, & ſub dextrum
17. ſe inſinuat latus, Conſulare denotans Laticlavium. Imago ipſa læva manu librum apertum tenet. Ab utroque latere duæ ſtellæ cernuntur. Orbem integrum ſequentes circumdant voces: A SECULARE BENEDICTE PIEZ. Quæ omnia aliud vitrum tenaci
18. glutine ſuperinductum veluti munit. Fragmentum illud eſſe alicujus calicis ſacri, Pontificis fortaſſe alicujus aut Epiſcopi aut Sacerdotis defuncti tumulo ſimul illati, videtur ſibi Auctor exinde demonſtrare poſſe, quod omnia imaginis hujus indumenta virum
20. eccleſiaſticum indicent. Librum apertum, quem manu ſiniſtra te-
21. net, myſticum quiddam, deſumpta ex Apocalypſi figura, denotare; duas vero ſtellas Chriſti Servatoris, alteram quidem naſcentis, reſurgentis alteram & ad cœlum adſcendentis eſſe ſignum, ex Ambroſio
21. Ansberto refert. Epigraphen h. m. explicat: ANNO SECULARE BENEDICTE PIE ZESES, i. e. JESUS, & ænigmatice vel ad myſterium ſeu arcanum Religionis Gentibus occultandum, vel ut inter ipſos pro quadam mutua teſſera inſerviret, fuiſſe expreſſam judicat.

Qua Secularis Anni mentione nunc ad *Ludos Seculares* delabitur, & illos quidem qui poſt Chriſtum natum, præcipue duobus Philippis Imperatoribus, habiti fuere, dum enumerat, quæſtionem dudum eruditis agitatam, *an iſti Principes Chriſtiani fuerint*, ſique tales, *utrum Religionem Chriſtianam ante vel poſt ludorum*

rum

eum ſecularium celebrationem amplexi fuerint, attingit, deque ea varias Auctorum ſententias longo ordine per ſecula recenſet. Et
Chriſtianam quidem ipſos fidem ſuſcepiſſe referentes ipſi citantur pag. 23.
Valerius in Vita atque Paſſione S. Pontii Martyris, *Acta Paſſionis S. Domnini Martyris*, *Euſebius in Hiſt. Eccl. itemque Chronico*, *Hieronymus in Catal. Scriptor. Eccl.* *Oroſius*, *Vincentius Lirinenſis*, *Caſſiodorus*, *Auctor Chronici Alexandrini*, *Iſidorus Hiſpalenſis*, *Paulus Warnefridus*, *Freculphus Lexovienſis*, *Haymon Halberſtadenſis*, *Ado Viennenſis*, *Regino in Chronicis*, *Hermannus Contractus*, *Metellus Tegerenſis*, *Johannes Zonaras*, *Chronicon Alterſenſe ſive Heingartenſe*, quod inſertum reperitur Caniſii Antiquis Lectionibus, *Conradus Urſpergenſis*, *Gregorius Abul Pharajus*, *Nicephorus Calliſtus*, *Gobellinus Perſona*, *M. Antonius Sabellicus*; quibus noſtro ſeculo acceſſerunt *Baronius ad A. 246. & 249*, *Severinus Binius in Not. ad vitam Fabiani*, & *Petrus Daniel Huetius in Origenianis*. Inter negantes agmen ducit
Pomponius Letus, quem ſequuntur *Joh. Bapt. Egnatius*, *Joſephus Sca-* 29.
liger, *Sethus Calviſius*, & *Ezechiel Spanhemius*. His ſuperveniſſe
dicitur *Antonius Pagi* in Critica Baroniana, qui non niſi poſt Ludos 31.
Seculares celebratos, Baptiſmo eos initiatos tradit. His ita enarratis 32.
ſuam ipſe ſententiam ſuperaddit, & Chriſtianos fuiſſe Philippos duos nullus dubitat aſſerere, ſimulque ſecus ſentientium opiniones refutare. Nempe ita ſtatuit: Pontii ac Domnini Acta, utpote quæ genui-
na dudum habita ab eruditis, falſitatis argui non poſſe; nec Euſebii 33.
etiam auctoritatem, licet is ex fama publica ſe ſcripſiſſe dicat, temere eſſe abjiciendam; cum non niſi 70. circiter anni tum fuerint elapſi, nec minus plures etiam oculati teſtes adhuc ſuperſtites eſſe tum
potuerint; Hieronymus inſuper atteſtetur, ſua ætate literas Origenis 34.
ad Philippum Imperatorem ejusque uxorem Octaciliam ſuperfuiſſe; imo eas undecimo etiamnum ſeculo extitiſſe, ex Metelli Quiri-
nalis, ubi Octacilia eadem vocatur Chriſtiana, colligi videatur; 35.
quod ſi verum ſit, allexiſſe ipſam procul dubio maritum ad amplectendam fidem Chriſtianam, filiumque in eadem ipſam inſtruxiſſe. Quid? quod leges inſuper a Principe hoc promulgatæ, quibus exoletos ſuſtulit, poetisque arte ſua juvenum animos corrumpentibus privilegia ademit, nil niſi Chriſtianam ſpirent pietatem. Equidem negari ait non poſſe, poſt mortem ipſos Senatus Populique de-

creto

creto in Deorum numerum fuiſſe relatos; id tamen ipſos haud juſſiſſe, ſed tanquam pios Principes tali potius honore ſemet dignos reddidiſſe. Silentium ſcriptorum Ethnicorum nihil hic obſtare, ind. fortaſſis
pag. 36. natum, quod ipſos religione ſua atque ritibus uti permiſerint. Interim nec meminiſſe illos, Principes ſacrificandi cauſa, occaſione anni milleſimi, juxta veterum morem, Capitolium adſcendiſſe; ex quo conjici queat, occulte ipſos Chriſti ſacris nomina dediſſe. Nec alium in finem ſucceſſorem Decium tam horrendam in Chriſtianos moviſſe perſecutionem, quam ut odium erga Principes defunctos ſuum magis redderet teſtatum. Nummum denique Philippi Senioris imaginem cum Noæ arca referentem, a Falconerio peculiari Diſſertatione
37. explicatum, ab Apamenſibus, Antiochenſium vicinorum exemplo ad Chriſtum converſis, non in ſignum Deucalionei diluvii, ſed lætitiæ potius, quod Imperator Chriſtianus factus eſſet, ſculptum, veriſimile videri. Scaligeri objectionibus, latronem fuiſſe hunc Philippum, proditorem atque homicidam, idolorum inſuper cultui deditum, Pauli dictum regerit: Deum velle omnes homines ſalvos fieri, nec ulla ratione occulta ejus judicia poſſe comprehendi, indeque nec cauſam reddi, quare Deus Philippum ad pœnitentiam vocarit, niſi quod exempla etiam alia, e quibus nunc Davidis tantum atque Theodoſii Imperatoris profert, quamplurima proſtent. I-
38. pſum poſtmodum Scaligerum audaciæ inſimulat, quod Origenis ad Philippum & ejus uxorem Epiſtolas commentitias eſſe dixerit, cum tamen ipſe eas neque legerit, neque viderit; quas Hieronymum Vincentiumque Lirinenſem inſpexiſſe, admodum ſit probabile. Supereſt *Pagi* opinio, converſionem Philipporum ſubſecutam eſſe Ludos Seculares; quam vero Ciampinus eo ipſo anno, quo Ludi celebrati fuerunt, acci-
39. diſſe exinde affirmat, quod in Actis Pontii legatur, Imperatores Pontium occaſione anni milleſimi eo perducere tentaſſe, ut idolis ſacrificaret, cujus hortatu ipſi deinceps meliora edocti declinarint ſacrificia, & ſpectacula tantum edi juſſerint, alia vero die, h. e. ut ipſe explicat,
40. paucis poſt diebus Baptiſmum obtinuerint. Quamvis enim, Cypriano ac Tertulliano teſtibus, Ludi nulli abſque ſacrificiis celebrari conſueverint, clare tamen ſatis hic Euſebium in Chronico oſtendere, non immolatas beſtias, ſed tantum interfectas; quod ex catalogo illarum beſtiarum, a Capitolino in Gordiano memorato magis etiam

ſit

ſit clarum, cum tales nunquam immolari fuerint ſolitæ, ſed oves potius, capræ, boves, gallinæ, anſeres, ac porcæ imprimis; id quod ex Franciſci Angeloni Hiſtoria Auguſta antiquis numiſmatibus illuſtrata ulterius confirmat. Sed & eruditiſſimum Spanhemium, hos pag. 41.
Ludos ſacrificiis omiſſis potuiſſe celebrari, non diffiteri. Eo magis autem celebrari potuiſſe absque ſacrificiis, ubi Imperatoris mandatum acceſſiſſet; id quod factum tum fuiſſe, ſit veroſimile. Quod ſi vel maxime ſit concedendum, adfuiſſe ſacrificia, non aliud ſequi inde, quam 42.
Imperatores nondum Chriſtianæ fidei ſatis fuiſſe gnaros; quod Conſtantini etiam temporibus non ubiq; ſtatim Chriſtiana religio puritatem ſuam conſecuta ſit, ſed ſenſim Imperatores reliquas Gentiliſmi ſuperſtitiones abrogarint. Nec illud etiam obſtare, quod tertio imperii anno Philippum ad ſacrificandum voluiſſe pergere, in Paſſione Pontii narretur; cum haud dubie ex metu populi id factum fuerit. Nec, quod 43.
ibidem innuatur, poſt nonnullas demum diſputationes credidiſſe Imperatores. Inſtructum Antiochiæ aut Apameæ jam fuiſſe ſacris his myſteriis Philippum, etſi non prius ſacro Baptiſmate tinctus fuerit, quam Romam perveniſſet: quippe quod jam tum fortaſſis prava illa in Eccleſia vigeret conſuetudo, ut Baptiſmum usque ad provectiorem ætatem differrent. Quo factum etiam fortaſſe fuerit, ut S. Babylas Epiſcopus, dum Antiochiæ adhuc Philippus degeret, Eccleſiæ ingreſſum ei interdixerit, quod abſtinere vetitis, & unica contentus uxore eſſe nollet; nec minus Romæ Fabianus Pontifex iisdem motus cauſis, quodque ſciret, nondum eum ſacro fonte lotum, myſteriis exeſſe eum juſſerit.

Ex his omnibus concludit, fideles Romæ tum viventes, ubi 44.
certiores facti eſſent, Imperatores clam religioni Chriſtianæ eſſe addictos, in rei memoriam, & grati erga Deum animi ſignificationem, orbi vitreo has voces: ANNO SECULARE BENEDICTE PIE ZESES, ſcilicet, *JESUS dignatus es Eccleſiæ naviculæ tranquillum pacis portum demonſtrare*, inſcripſiſſe; cum Z litera initialis vocis ZESES ſit, & *Benedicti* epitheton crebro olim Chriſtianis primitivis uſurpatum. Denique ſubjuncti duo Indices comparent, quorum alter Auctores citatos, alter Rerum notabilium in hoc Opuſculo occurrentium ſummam complectitur.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

PETRI DANIELIS HUETII EPISCOPI ABRINcenſis deſignati DEMONSTRATIO EVANGELICA ad Sereniſſimum DELPHINUM. Tertia editio ab Auctore recognita, caſtigata & amplificata.

Pariſiis apud Dan. Horthemels, 1690. in fol. Conſtat Alphab. 9.

PRodiit Opus hoc auguſtum prima vice A. 1679, atque ex eo tempore ita per Europam univerſam viris doctis innotuit, ut recenſum ejus hic inſtituere, plane foret ſupervacaneum. Nova tamen ejus editio indicanda fuit, hic illic aucta, præfatione imprimis, qua Reverendiſſimus Præſul inſtitutum ſuum adverſus quorundam cenſuras erudite vindicat. Cæterum cum in manibus noſtris ſint duæ epiſtolæ, occaſione præſentis Operis, cum non ita pridem editum eſſet, exaratæ; altera Viri illuſtris, *Samuelis Pufendorfii*, ad fratrem τὸν μακαρίτην, qua ſuum de Huetiano hoc Opere judicium candide aperuit; altera *Huetii* ipſius, qua paucis Pufendorfiana monita attigit: rem gratam Benevolo Lectori nos facturos exiſtimavimus, ſi utramque hoc loco publicaremus. Habent enim in receſſu, quæ altioris ſunt indaginis, & a prudentibus æquisque rerum æſtimatoribus uberius expendi diſcutique merentur.

SAMUELIS PUFENDORFII (Potentiſſimi ELECTORIS BRANDENBURGICI hoc tempore Conſiliarii intimi ac Hiſtoriographi) Epiſtola ad Fratrem ESAIAM PUFENDORFIUM ſuper Theologia in formam demonſtrationis redigenda.

QUibus verbis gratias tibi agam pro tranſmiſſo Petri Danielis Huetii Opere de Demonſtratione Evangelica, reperire vix poſſum, Fratrum Optime. Nam etſi quivis illuſtrium ingeniorum fœtus, queis ad ſolidam ſapientiam proficitur, me delectent; fateor tamen, ita impenſe me iſtius Operis lectione captum, ut magnopere ſeculo gratulandum judicem, reperto tanto ingenio, cui infinitam eruditionis ac judicii vim circa ejusmodi potiſſimum materiam occupare placuit, quam nobilitate ac utilitate ſua nulla alia ſuperat. Auguſta heic omnia, ornata, ad gravitatem compoſita, qualia Maximi Regum Filio offerri decebat. Nihil heic occurrit, quod pulverulentam illam, aut ad lucra ſacerdotum attemperatam

The-

Theologiam redoleat: ſed omnia ad vindicandam divinorum librorum autoritatem, eorundemque genuinos ſenſus accommodata. Nec minus placet maſcula illa libertas, procul a ſuperſtitione ac ſervili obſequio remota, citra quam non video, qua ratione Divini Codicis integritas adverſus profanos homines eo modo vindicari queat, ut ſi quis adhuc negare audeat illa, quæ ipſo communi ſenſu comprobantur, cordatorum ludibrio ſeſe exponat. Imprimis autem id egregium, quod hæc materia ad genuinam demonſtrationum formam revocatur, per quam ſolam, excluſis vacillantibus diſceptationibus, res ad liquidam & immotam veritatem deduci poteſt, & per quam totius operis compages ita conſerta eſt, ut qui eam convellere aggrediatur, communi hominum judicio ſe defectum, aut veſana malitia perditum arguat. Sic ut neque ex antiquis Patribus, neque e recentibus ſcriptoribus, ullum in hoc genere Opus videam, cui Huetii ſcriptum non æquiparari, aut anteferri mereatur. Enimvero uti hanc laudem, quicquid eſt bonorum, & ſolide doctorum, Huetiano libro libenter tribuit: ita illud apud me peculiarem æſtimationem meruit, quod ex eo ſpes mihi nata fuit alterius Operis, de quo neſcio an multis in mentem venerit. De quo non poſſum, quin tibi nunc, Fratrum Optime, paucis exponam. Non puto ullum bonum & cordatum eſſe, qui non optet, quicquid eſt Chriſtianorum, in unitate Spiritus Deum colere; quique non ingemiſcat, tam horridis diſſenſionibus Eccleſiam Chriſti lacerari, ac tam acerbis odiis ob diſcrepantes circa ſacra opiniones inter ſe diſſidere, qui omnes Jeſum Chriſtum Salvatorem ſeſe profitentur agnoſcere. Has diſſenſiones non a genio veritatis divinæ, ſed a malitia humani ingenii promanare, mihi quidem dubium non eſt. Niſi tamen omnia me fallunt, haut modica iſtarum litium pars e lubrico ac diſſoluto modo provenit, quo Theologia vulgo tradi ſolet. Cui incommodo remedium haut ſpernendum adferri poſſe dudum perſuaſus fui, ſi Theologia Chriſtiana in formam juſtæ artis per continuas demonſtrationes digeſtæ adornetur; ut nempe præmiſſis neceſſariis definitionibus, ac ſi opus ſit, poſtulatis, tum indubiis axiomatibus, capita Chriſtianæ religionis ad ſalutem neceſſaria, ſufficientia, & velut adæquata, ad modum propoſitionum mathematicarum demonſtrentur. Sane quin tali forma concinnari poſſit doctrina Chriſtiana, vel ex Opere Huetiano adparet, quo

præliminaris pars Theologiæ, atheis & Judæis oppoſita, feliciter abſolvitur. Nec enim video quid obſtet, quo minus certa axiomata inveniri queant, partim e communibus ſuper ſciendi modo notionibus, partim e perpetuo & univerſali Sacræ Scripturæ ſenſu, e quibus deduci queant articuli fidei, quorum notitia & aſſenſus ad hoc requiritur, ut quis propoſitum a doctrina Chriſtiana ſcopum adſequatur. Extra hæc ſi quæ Theologis vulgo agitatæ quæſtiones ſuperſint, eæ fundamentum fidei haut tangere, ſed vel ex inani philoſophia irrepſiſſe, vel ad ſacerdotum emolumenta confictæ, vel innoxiam aut inexplicabilem in hac mortalium conditione diſceptationem habere cenſendæ ſint; & circa quas diſſenſus non prohibeat, quo minus fratres, & unius corporis myſtici membra haberi debeant, & qui eum caritatis gradum, quo Chriſtianorum pietas præcipue exſplendeſcit, ſibi invicem exhibere teneantur. Ac ſi Huetius in demonſtrationis formam redigere potuit ea capita, e quibus veritas Chriſtianæ religionis adverſus atheos & Judæos evincitur; cur non ad eundem modum adornari queant ea capita, quæ ad hoc requiruntur, ut quis inter orthodoxos Chriſtianos cenſeatur? Quin autem ejusmodi opus magnam utilitatem orbi Chriſtiano, ſaltem per cultiorem Europæ partem adferre queat, vix cuipiam dubium eſſe poſſit. Non quod putem id felicitatis aſſecuturum orbem Chriſtianum, ut abolitis diſſidiis, omnes in eundem ſenſum circa ſacra conſpirent, niſi per ſingularem rerum revolutionem animi ad ſaniora admittenda præparentur; ſed ut veritate ad talem modum digeſta, & in medio poſita, qui recte ſentiunt, etiam hoc adminiculo confirmentur: cæteri eo usque urgeri queant, ut ſi amplius contra tendant, vel morbo mentis laborare, vel vitioſum ob affectum aut reſpectum veritati impudenter reniti cenſeantur. Sed uti de utilitate ejusmodi operis fortaſſe paucis cordatis dubium erit: ita difficilius fuerit, virum reperire, qui eidem pro dignitate conficiendo par ſit. Nam in eo præter exactiſſimam rerum divinarum notitiam, id quoque requiretur, ut is origines controverſiarum inter Chriſtianos agitatarum accurate norit, & quibus cauſis atque reſpectibus iſtæ eousque induruerint. Tum ut ſumma animi moderatione & æquitate præditus ſit, & qui mentem omnibus præjudiciis evacuatam in veritate inveſtiganda defigere poſſit. Denique ut idem ſapientem juxta ac potentem Principem habeat

at, cujus patrocinio tutus, hominum lucro & affectibus ſuis mancipatorum tumultus contemnere poſſit, quibus veritate nihil odioſius eſt. Ac ejusmodi viri inſtar cum fere ex Huetii opere conceperim, optarem ſane, ut is altero hoc beneficio Chriſtianum orbem devincire in animum induceret, talemque nobis tractatum adornaret, quo neceſſaria, plena, atque ſufficientia dogmata, orthodoxum Chriſtianum conſtituentia deſignentur; ſimul cauſas inſinuaret, quare ab una vel altera parte, extra iſthæc poſita ſcita tanto cum fervore, tantaque pertinacia propugnentur. Si ulla mihi cum Viro notitia intercederet, non dubitarem, ad ſuſcipiendum pulcherrimum laborem eundem invitare. Sed ut ignotum ignotus ipſe ſuper tanta re, nulla velut præparatione facta, compellem, mea modeſtia non concedit. Cum autem tibi, Fratrum Optime, ſine dubio veteres in Gallia amici ſint, quibus aditus ad eum Virum patet, magnopere rogo, velis per illos curare, ut huic jam propoſita inſinuentur. Saltem enim id obtinebimus, ut egregius iſte Vir exponat, quid ſuper ejusmodi inſtituto ipſe judicet, & quem fructum inde ſperet. Ac ubi ſemel iſthoc ipſi probatum fuerit, nec ejus tempora ferant, manum eidem admovere; vix tamen dubium eſt, quin iſto in regno, magnorum ingeniorum feraci, inveniri queat ei operi moliendo par. Præſertim cum major huic autoritas futura ſit, ſi id abs Romanam religionem profeſſo ſuſcipiatur, quam ab aliorum quopiam, qui ab hac Eccleſia diſceſſerunt. Id igitur ſi efficere queas, ac ut ejus Viri ſententiam hac ſuper re intelligere liceat, rem ſane mihi gratiſſimam feceris. Scripſi Holmiæ d. 24. Febr. Anno 1681.

LETTRE DE MONSIEUR L' ABBÉ HUET A MONSIEUR LE MARQUIS de FEUQUIERES, Ambaſſadeur Extraordinaire du Roy Tres-Chreſtien en Suede.

MONSIEUR

J'ay veu la lettre, que Vous avez eſcrite depuis peu à Mr. L'Evêque de Condom, & j'y ay veu des paroles ſi obligeantes pour moy, que je me crois obligé de Vous en rendre tres-humbles graces, & Vous témoigner, combien je m'eſtime heureux, que la diſtance des lieux, & la longueur des années ne m' ait pas derobé la part, que Vous m' avez fait l' honneur de me donner dans voſtre ſouvenir.

L'on m'a auſſi communiqué, Monſieur, la lettre de Monſieur de Puſendorf, à laquelle je donnerois volontiers toutes les loüanges qu'elle merite pour les marques, qu'elle porte d'eſprit, de bon ſens & d'erudition, ſi une partie de ces loüanges ne ſembloient retourner ſur moy, & eſtre une eſpece de payement de celles, dont il a honoré mon dernier ouvrage. Il me fait une propoſition dans cette lettre, laquelle ne m'eſt pas nouvelle, & qui m'a paſſé maintes & maintefois par l'eſprit depuis quelques années. Et ce que Vous avez ajouſté dans la voſtre de la diſpoſition favorable, ou ſont preſentement les eſprits des quartiers ou Vous eſtes, de gouſter des moyens d'accommodement, reveille ſi vivement dans mon coeur le deſir, que j'ay depuis long temps de contribuer à un ſi ſaint & ſi grand ouvrage, que je tiendrois tres bien employé à ce deſſein non ſeulement mon loiſir & mes eſtudes, mais encore mon ſang, & ma vie. Cependant je ne Vous diſſimuleray point, Monſieur, que de traiter cette matiere de la meſme methode, dont je me ſuis ſervi dans le livre, que je viens de publier, ainſi que le propoſe Mr. de Puſendorf, j'y vois de tres grandes difficultés & preſque inſurmontables, non ſeulement du coſté du ſujet, mais encore du coſté des parties intereſſées, dont les uns pourroient blaſmer un trop grand relachement, qu'on apporteroit pour faciliter la reünion, & les autres pourroient tirer avantage des avances qu'on leurs feroit ſans rien demordre de leur enteſtement. Ces difficultés ne me rebutent pourtant point. Et je puis Vous aſſurer ſans cajolerie, Monſieur, qu'apres le deſir de faire en cela quelque choſe d'utile pour les intereſts de Dieu, rien ne m'encourage davantage que l'honneur de voſtre approbation, que voſtre ditte lettre ſemble me permettre d'eſperer. Je connois le prix de cette approbation, Monſieur, & je la deſire avec l'ardeur & l'empreſſement, que l'on a, quand on eſt auſſi reſpectueuſement, & auſſi ſincerement que je ſuis

le 10. May, 1681.

Monſieur
Voſtre tres humble ſerviteur

L'ABBÉ HUET.

LETTRES

LETTRES CHOISIES DE S. CYPRIEN AUX CONfeſſeurs & aux Martyrs.

i. e.

Literæ S. Cypriani ſelectæ ad Confeſſores & Martyres cum Obſervationibus hiſtoricis & moralibus.

Amſterodami apud Henr. Desbordes, 1688. in 8. pl. 10.

CElebre eſt in Eccleſia & merito venerandum Cypriani nomen, Carthaginenſis in Africa Epiſcopi, inter ſeculi a C. N. tertii Patres ſpectatiſſimi. Vitam enim ejus ſi excutias, virtutibus Cyprianus fuit conſpicuus, in diſſidiis Eccleſiaſticis moderatus, in evitandis perſecutionibus prudens, in ferendis ipſis conſtans, in ſcriptis autem facundus, eruditus, accuratus, pius. Quo factum, ut non ſolum apud veteres, ſed recentiores etiam Eccleſiæ doctores, magno ſemper in pretio fuerit habitus, nullusque fere Patrum ſit, in cujus ſcriptis illuſtrandis atque edendis adeo frequentes fuerint eruditi, quam Cyprianus. Inter primos quippe referendus, cujus Opera poſt inventam artem typographicam typis excuſa, & poſtmodum frequentiſſime recuſa ſunt. Inter ſcripta autem Patris hujus uti maxime eminent Epiſtolæ, ita non defuerunt, qui & in ordinem eas redigere, & peculiaribus Eccleſiæ uſibus dare laborarunt. Sic Remboldus primus fuit, qui in libros diſtinctos eas diſpeſceret; Rigaltius, qui ad ordinem chronologicum eas redigeret; Lombertus, qui ordinem Rigaltianum quidem in ſua editione ſequeretur, ſed in præfatione corrigeret; quem tandem in Oxonienſi accuratiſſimum habemus. Reinhardus autem, Theologus Altorfinus, non ſolum accuratum earum textum, collatis variis MSS. dare tentavit, ſed & exhibuit, additis tum ex Auguſtini epiſtolis, tum ex aliorum obſervationibus, quæ ad illuſtrationem textus pertinere videbantur.

Editor præſentis opuſculi non univerſas Cypriani Epiſtolas, ſed eas tantum, quæ ſcopo ſuo maxime inſervire poſſe videbantur, quas nimirum ad Martyres & Confeſſores Cyprianus ſcripſit, exhibere voluit. Cum enim inter eos ſit, quos perſecutio Gallica extorres fecit, & proinde de ſociis calamitatum conſolandis laudanda συμπαθείᾳ ſollicitus; nullum rectius ad fratres ſuos erigendos medium duxit, quam ſi ex antiqua

antiqua perſecutionum hiſtoria, afflictionum pariter ac conſtantis tolerantiæ exempla produceret. Inter perſecutiones autem primitivæ Eccleſiæ cum nulla Gallicæ magis congrueret, quam ea, quæ Cypriani tempore Eccleſiam afflixit, nullum viciſſim efficacium conſolationum ac prudentiæ exemplum appareret illuſtrius, quam in Cypriani Epiſtolis ad Martyres & Confeſſores, commodiſſimas eas Auctor judicavit, quas uſibus ſuorum etiam commodaret. Ut autem omnibus, iisque etiam, qui Latina non callent, uſui eſſe poſſent, operæ pretium ſe facturum exiſtimavit, ſi vernaculo habitu ſuis easdem ſiſteret. Itaque, ambiguus licet, an paraphraſis an vero verſio commodior eſſet, poſterius tamen elegit, atque magno ſtudio verſionem Epiſtolarum iſtarum adornavit. Cæterum notas ſingulis Epiſtolis ſubjecit, tum hiſtorico-criticas, tum morales, quarum iſtæ textum illuſtrant, hæ commode dejectum ſuorum animum erigant. Quamvis in his ſit parcior, in iſtis vero ita ſæpe apertus, ut a celeberrimorum ſententiis recedere, ſuamque ipſis opponere, & cum iis (quanquam modeſte) committere non vereatur.

COURTE ET SOLIDE HISTOIRE DE LA FONDATION DES Ordres Religieux. i. e.

Brevis & ſolida fundationis Ordinum ſacrorum Hiſtoria, cum Iconibus veſtitum, quo utuntur, repræſentantibus, in æs inciſis ab Adriano Schonebeek.

'Amſtelodami apud eundem, 1688. in 8. Alph. 1.

SEptuaginta duo Monachorum aliorumve religioſam diſciplinam ſectantium virorum, octoginta & unus Monialium ſeu fœminarum virginumve ſacrarum Ordines hoc opuſculo ſic exhibentur, ut primum cujusque origo & progreſſus paucis deſcribatur; ſingulorum dein veſtimenta, quibus uti jubentur, æneis figuris expreſſa oculis exponantur, coloribus etiam more in Arte Heraldica recepto deſignatis; quorundam denique inſignia quoque & ſymbola, quæ quidem inveſtigari ab Auctore potuerunt, adjiciantur. Gratum opus non pueris tantum, qui icuncularum evolutione delectantur, ſed aliis etiam, quibus volupe eſt tot familias religioſas, quæ vel ob inſignem earum numerum confundi facile poſſunt, diſtinctius cognoſcere. Nec enim promiſcuo ordine, ſed in claſſes tributæ ſiſtuntur; ut primo loco Clerici Regulares, altero Monachi Orientis, tertio Monachi S. Benedicti regulam ſequentes, quarto qui ad S. Auguſtini regulam adſtricti ſunt, & quinto denique diverſi Ordines alii compareant.

* * *

ACTORUM ERUDITORUM

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II. Sect. III.

ANGLIA SACRA: SIVE COLLECTIO HISTORIARUM, partim antiquitus, partim recenter ſcriptarum, de Archiepiſcopis & Epiſcopis ANGLIÆ, a prima fidei Chriſtianæ ſusceptione ad A. 1540, nunc primum in lucem editarum. Pars Prima. De Archiepiſcopis & Epiſcopis Eccleſiarum Cathedralium, quas Monachi poſſederunt.

Londini: apud Richardum Chisvvel, 1691. in fol. Conſtat 4. Alphab. plag. 22.

ARchiepiſcopos & Epiſcopos totius Franciæ vicinarumque ditionum, a prima iſtarum eccleſiarum origine usque ad ſua tempora, poſt Johannem Chenu & Claudium Robertum, in Gallia ſua Chriſtiana recenſuerunt fratres germani *Scævola & Ludovicus Sammarthani.* De Epiſcopis Italiæ & inſularum adjacentium, ſingulari opere, quod in novem tomos diſtinxit & Italiam ſacram inſcripſit, *Ferdinandus Ughellus* egit. Nunc clariſſimi *Whartoni* ſtudio etiam Anglia ſacra prodit. Propoſitum ipſi primum fuerat, monumenta ad antiquitates eccleſiæ Anglicanæ ſpectantia, diligenter e variis bibliothecis conquiſita in lucem emittere, quibus uti poſſet, ſi quis hiſtoriam eccleſiæ Anglicanæ accuratius, quam ab *Harpsfeldio, Alfordo, Smithæo, Fullero,* aliisque factum eſt, concinnare vellet. Verum dum huic ſtudio intentus bibliothecarum ſcrinia excuteret, & in plures de Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Angliæ vitis hiſtorias incideret, operæ pretium ſe facturum exiſtimavit, ſi Præſulum imprimis Anglicorum hiſtoriam conſarcinaret, eamque usq; ad annum 1540, quo Canonici ſeculares Mona-

chorum loco in eccleſias cathedrales introducti ſunt, deduceret. Cui operi tanto libentius calamum admovit, quod jam ſæpius in Anglia eccleſiarum & cœnobiorum archiva maleferiatorum hominum & imprimis Puritanorum ſacrilegio direpta flammisque damnata fuiſſent, & metuendum eſſet, ne ſi aliquando Deus eccleſiam Anglicanam a ſchismaticis iterum opprimi permittat, cætera, quæ hactenus ſalva manſerunt monumenta, idem fatum experirentur. Neque doctiſſimum Virum ab inſtituto remorari potuit, quod alios jampridem hiſtoriam Episcoporum Angliæ conſcripſiſſe noſſet. Nam in ſingulis, quæ deſiderari poſſent, deprehendit. Inter primos fuit *Guilielmus Somerſet*, cœnobii Malmesburienſis Monachus & Bibliothecarius, qui geſta Pontificum Anglorum ab anno 596. usque ad annum 1125. circiter quatuor libris complexus eſt, quos Henricus Savilius cum aliis quibusdam Anglicanis Scriptoribus evulgavit. Verum Guilielmus ex mendoſo catalogo potiorem hiſtoriæ ſuæ partem contexuit. *Radulphi de Diceto* commentarius de Præſulibus Angliæ, quoad priora ab Auguſtini in Angliam adventu usque ad annum 1120. ex Beda & Malmesburienſi exſcriptus eſt; quæ autem ab anno 1120. usque ad 1199. ſequuntur, in aliis ejusdem Radulphi operibus a Rogerio Twyſdeno iisdem verbis referuntur, ſi Archiepiſcoporum Cantuarienſium hiſtoriam excipias, quam proinde ſolam Whartonus luce dignam judicavit. *Johannem Everisden* Monachum Burienſem de Regibus & Epiſcopis Angliæ commentatum Baleus tradidit, qui etiam *Nicolaum Montacutum* de Angliæ Epiſcopis ſcripſiſſe memorat: verum Whartonus excerpta tantum quædam e chronico Everisdeni a Johanne Jocelino deſcripta, & Montacuti librum de Pontificibus Romanis vidit, quem nullius pretii deprehendit. Plurima quoque compendia, tabulas, indiculos aliaque hujusmodi de Epiſcopis Angliæ perluſtravit ab antiquis ſcriptoribus adornata, verum ea juſtæ Hiſtoriæ titulo indigna cenſuit. Poſt renatas in Anglia bonas literas, *Polydorus Virgilius* de Præſulibus Angliæ ſcripſit tractatum nondum hactenus editum, neque dignum, Whartoni judicio, qui edatur, cum a Stapletono ita deſcribatur, ut præter nomina & tempora vix aliquid complecti videatur. Uberius de Præſulibus Angliæ commentatus eſt *Johannes Lelandus*, cujus tractatum de ſcriptoribus Anglicanis Johannes Baleus compilavit & in centurias ſuas integrum deſcripſit

ſcripſit, & cujus adverſaria plurima in Oxonienſi, Cottoniana aliiſque bibliothecis aſſervantur. Opus autem ejus de Pontificibus Britannicis nondum ſe oculis uſurpaſſe Whartonus profitetur. De Harpsfeildio qui hiſtoriæ Anglorum eccleſiaſticæ a ſe elaboratæ Epiſcoporum ſucceſſionem & res geſtas inſeruit, obſervat, quod ſæpiſſime nuda Epiſcoporum nomina retulerit, de vera ſucceſſione & chronologia parum ſollicitus, tantosque errores commiſerit, ut mirum ſit hominem, cui neque ingenium, neque induſtria, neque otium poſt exautorationem defuit, tam graviter labi potuiſſe. Hinc ad *Johannem Pitſeum* progreſſus animadvertit, eum quidem in commentario ſuo de illuſtribus Angliæ ſcriptoribus ſubinde catalogum ſuum de Archiepiſcopis Cantuarienſibus, nec non de Epiſcopis Londinenſibus, Dunelmenſibus & aliis allegare, & in vita ejus referri, quod quatuor magna volumina collegerit, unum Regum Anglicorum, alterum Epiſcoporum, tertium virorum Apoſtolicorum & quartum illuſtrium virorum: verum fruſtra ab eo hiſtoriam Epiſcoporum Angliæ accuratam ſperari poſſe, cui regiſtra & eccleſiæ archiva perluſtrare minus licuit. Quamvis enim exules Anglicani, quos inter etiam Pitſeus fuit, gloriati ſint, quod nobiliſſima hujus gentis monumenta a Monachis aliisque Anglia expulſis in exteras regiones avecta fuerint; ex Alfordi tamen annalibus aliorumque Anglorum exulum ſcriptis haud temere colligi poſſe ſtatuit, quam vana illa gloriatio fuerit. Cæterum Pitſei arrogantiam ex eo quoque manifeſtam eſſe prodit, quod tractatum ſuum de ſcriptoribus Angliæ ex collectaneis Lelandi hauſiſſe & Baleum vix leviter inſpexiſſe videri velit; cum tamen conſtet, quod Lelandi opus nunquam viderit, ſed ex Baleo ingratiſſimus deſcripſerit, quæ Baleus ex Lelando non ingratus hauſerat. Palmam aliis, qui hactenus de Angliæ Epiſcopis ſcripſerant, præripuiſſe viſus eſt *Franciſcus Godwin*, cujus commentarius de Præſulibus Angliæ vernaculo ſermone Londini A. 1601, auctior A. 1615. & Latine A. 1616 prodiit. Verum in eo Whartonus reprehendit, quod de ſtyli magis nitore, quam de rerum geſtarum temporumque certitudine ſolicitus fuerit. Sane cum ampliorem hunc commentarium edere ſtatuerit, nec ante annum 1633. vita exceſſerit, additiones tamen & emendationes, quas ſuo codici adſcripſit, omnes fere ad expoliendum ſtylum, pauciſſimas ad hiſtoriam corrigendam augendamve facere depre-

deprehenderunt, quibus copia illius exemplaris videndi facta eſt. Deſiderat inſuper & hoc in Godvvini commentario, quod Autorum, ex quibus ſua hauſit, nomina adnotare prætermiſerit, & eos, etiam e quibus plurima deprompſit, vix niſi ubi carpendi & obtrectandi occaſionem habet, nominet. Accedunt haud leves in chronologia errores, & quod ſucceſſio Epiſcoporum ab eo data nonnunquam mutila deprehendatur, ſiquidem in Alaphenſi hiſtoria inter annum 1140. & 1540. novem Epiſcopi prætermiſſi ſint, inſertis illorum loco duobus, qui Epiſcopatum illum nunquam tenuerunt. Poſtremo loco inter eos, qui de Angliæ Epiſcopis egerunt, commemorat Autor noſter *Matthæum Parkerum*. Etſi enim non de omnibus Angliæ Epiſcopis, ſed tantum de Epiſcopis Cantuarienſibus ſcripſerit, huic tamen imprimis reſtitutam hiſtoriæ Anglicanæ lucem deberi aſſerit, & quod egregio huic labori non ipſe tantum inſudaverit, ſed alios quoque ad eruendas eccleſiæ Anglicanæ antiquitates exemplo ſuo, quin & muneribus & beneficiis incitaverit; quos inter præ aliis eminuit *Johannes Joccelinus*, cujus opera in hiſtoria de antiquitate Britannicæ eccleſiæ ſeu vitis Archiepiſcoporum Cantuarienſium uſus eſt. Quamvis autem huic hiſtoriæ Typographi Londinenſes A. 1572, ac Hanovienſes 1605. injuriam fecerint, accuratiorem tamen editionem manuſcriptis Autoris monumentis auctam brevi exituram Whartonus ſperat, ad cujus Angliam ſacram nunc propius accedimus, quid ea contineatur paucis relaturi.

Monumentorum, quæ Tom. I. exhibentur, agmen ducunt *Birchingtoni*, Monachi Cantuarienſis, Vitæ Archiepiſcoporum Cantuarienſium, quarum duplex editio ab ipſo Autore adornata fuit: una brevior, quæ in anno 1368. deſinit & nunc primum ex codice Lambethano evulgatur; altera auctior, quæ usque ad annum 1382 deducta fuit, a Johanne Jocelino quondam uſurpata, ſed a Whartono fruſtra quæſita. Birchingtoni hiſtoriæ ſubjiciuntur *Vita Simonis Sudburii*, ex prolixo opere, quod Speculum parvulorum inſcribitur, & in bibliotheca Lambethana aſſervatur, deprompta; *Excerpta* quædam *de Roberto Winchelle* Archiepiſcopo Cantuarienſi, ex chronico quodam eccleſiæ Cantuarienſis eam ob cauſam deſcripta, quod Birchingtonus in hujus Archiepiſcopi hiſtoria encomiaſten potius quam hiſtoricum agens, rerum geſtarum cauſas atque tempora minus accurate diſtinxerit; *Dies obl-*

obituales Archiepiſcoporum Cantuarienſium, ex Martyrologio & Obituario Eccleſiæ Cantuarienſis; *Hiſtoria controverſiæ inter ſedes Cantuarienſem & Eboracenſem* de primatu; *Formulæ* variæ *Profeſſionum*, quæ ſedi Cantuarienſi ab Epiſcopis ſuffraganeis factæ ſunt; Catalogi quidam & indiculi Archiepiſcoporum Cantuarienſium, quos inter etiam *Canonici Lichfeldenſis indiculus de ſucceſſione Archiepiſcoporum Cantuarienſium*, quem erudita diſſertatione Whartonus noſter illuſtravit, ex qua tantum referre placet, quid de tempore conſecrationis & die obitus Auguſtini primi Cantuarienſium Epiſcopi notaverit. Eum anno 600. conſecratum & anno 616. obiiſſe, in indiculo ſuo tradiderat Canonicus Lichfeldenſis. At noſter ex Gregorii M. epiſtolis probat, jam ante finem anni 597. Auguſtinum conſecratum fuiſſe. Obitum ejus quantum attinet, cum alii anno 616. alii A. 615, Virgilius A. 611, Matthæus Weſtmonaſterienſis A. 608, Mabillonius 607. Wilhelmus Thorn in chronico cœnobii S. Auguſtini 605, Florentius Wigornienſis 604 ſtatuerint, poſtremæ ſententiæ Whartonus accedit, cum & antiqua nonnulla monumenta id teſtentur, & Wilhelmus Thorn aſſerat, Auguſtinum eodem anno obiiſſe, quo Gregorius Papa, & quidem d. 7. cal. Junii feria tertia. Atqui dies 7. cal. Junii, quo etiam Beda Auguſtinum obiiſſe tradit, non anno 605. in feriam tertiam incidit, ſed anno 604, quo etiam Gregorius obiit. Ex quo porro Noſter colligit, eos falli, qui Auguſtinum Monachorum Bannochorenſium cædi ſuperfuiſſe tradunt. Huic diſſertationi de ſucceſſione Archiepiſcoporum Cantuarienſium, & aliam de Elfrico Archiepiſcopo Cantuarienſi ſubjicit. Hunc eundem cum Elfrico Grammatico, qui plurimis ſcriptis de Eccleſia Anglo-Saxonica præclare meruit, tradiderunt Baleus, Pitſeus & plerique alii, quos inter & ipſe Whartonus quondam fuit; nunc autem Elfricum Cantuarienſem, ab eo qui Grammaticus vulgo dicitur, diſtinguit, & Elfricum quidem Cantuarienſem obiiſſe docet 16. cal. Decembr. anni 1005, vel 1006. apud Abendonienſes ſepultum, & poſtea, ſub Canuto Rege, ad Cantuarienſem eccleſiam translatum; eundem circa annum 995. Siricio in Archiepiſcopatu Cantuarienſi ſucceſſiſſe. cui antea etiam in Wiltonienſi (non Wintonienſi, ut Whelocus in Latina verſione chronologiæ Saxonicæ tradidit) ſucceſſerat; ante Wiltonienſem Epiſcopatum non Abbatem, ut vulgo tradunt, ſed Monachum

Abendonienſem fuiſſe, nec improbabile videri, quod etiam Abbas S. Albani prius fuerit, quam ad Epiſcopatum eveheretur. De Elfrico autem Grammatico tradit, quod Ethelvvoldi Abbatis Abendonienſis & poſtea Epiſcopi Wintonienſis diſcipulus, & quidem inter Wintonienſes ejus diſcipulos fuerit, undecim annorum ætatem eo tempore habens, quo Ethelvvoldus Wintonienſem Epiſcopatum adeptus eſt, h.e. anno 963; quod canones ſuos eccleſiaſticos in conciliis Anglicanis editos Wulfino, non Dorceſtrenſi, ut Spelmanno viſum eſt, ſed Scirburnenſi inſcripſerit; quod poſt annum 987. ab Epiſcopo Wintonienſi Elfego ad monaſterium Cernelienſe in agro Dorſatenſi ad reſtituendam diſciplinam monaſticam miſſus fuerit, in quo plurimos ſermones, quos catholicos vocat, e Latina in Saxonicam linguam tranſtulit, quorum in ſecunda Grammaticæ ſuæ præfatione octoginta libros numerat; quod poſt annum 1002. epiſtolam inſignem de Sacramento Altaris ad Wolſtanum Archiepiſcopum Eboracenſem ſeniorem ſcripſerit; quod anno 1005. Abbas jam factus & quidem Wintonienſis, ut videtur, vitam Ethelvvoldi præceptoris quondam ſui conſcripſerit, & Kenulfo Epiſcopo Wintonienſi nuncupaverit; quod Archiepiſcopus Eboracenſis factus fuerit, & in cathedra Wolſtano juniori A. 1623 ſucceſſerit, tandemque A. 1051. apud Suthvvellam d. 9. Cal. Febr. mortuus & in monaſterio Petroburgenſi ſepultus fuerit. Hæc omnia ex variis monumentis probat, neque ſententiæ ſuæ obeſſe putat, quod juxta hunc calculum centum fere anni ipſi tribuantur; cum iſta ætas exemplis non caruerit, & eodem ſeculo Herevvaldus Landavenſis Epiſcopus eundem ſuperaverit. Diſſertationibus his ſubjicitur hiſtoria Decanorum & Priorum eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis, itidem a clariſſimo Whartono elaborata, cum fragmento de inſtitutione Archidiaconatus Cantuarienſis, quod bibliotheca Lambethana ſuppeditavit. His accedunt Chronicon cœnobii S. Crucis Edinburgenſis; Hiſtoria cœnobii Abendonienſis; charta Regis Æthelredi data Wolſſino Epiſcopo & cœnobio Sciréburnenſi; epiſtola Alexandri III. Papæ ad Henricum II. Regem, de Thoma Becket Archiepiſcopo Cantuarienſi, quæ ex Archiepiſcopo Cantuarienſi fatuum in aula Regis factum aſſerit, & ad perpetuam pœnitentiam agendam in arcto monaſterio recludi poſtulat, circa quam epiſtolam aquam ſibi hærere Whartonus profitetur; Epiſtola Walteri Epiſcopi Cantuarienſis ad Johan-

Johannem XXII Papam de canonizando Roberto Winchelſe Archiepiſcopo Cantuarienſi, & nonnulla alia ad Cantuarienſem ſedem ſpectantia. Succedunt monumenta varia antiqua ad ſedem, Wintonienſem, Roffenſem, Norvicenſem, Coventrenſem & Lichfeldenſem, Wigornienſem, Bathonienſem & Wellenſem, Elienſem & Dunelmenſem pertinentia; quibus Whartonus de ſuo inſeruit continuationem hiſtoriæ Wintonienſis, Roffenſis, Norvicenſis, Wigornienſis, Bathonienſis & Wellenſis, usque ad annum 1540; nec non hiſtoriam de Epiſcopis Dunelmenſibus a prima ſedis fundatione usque ad annum 1096; hiſtoriam de Epiſcopis Haguſtaldenſibus; nec non ſucceſſionem Priorum Wintonienſium, Roffenſium, Norvicenſium, Coventrenſium, Wigornienſium, Bathonienſium, Elienſium, Dunelmenſium, item Decanorum Lichfeldenſium & Wellenſium.

In Wintonienſi hiſtoria majorem partem occupat *Thomas Rudburn*, non monaſterii novi Wintonienſis, quod ab Hida nomen accepit, monachus, ut Baleus Pitſeo & Voſſio perſuaſit, ſed eccleſiæ cathedralis S. Swithuni cœnobita, junior dictus, ut ab Epiſcopo Menevenſi ejusdem nominis diſtinguatur. Scripſit hiſtoriam brevem de fundatione, incrementis atque epiſcopis eccleſiæ Wintonienſis a Rege Lucio usque ad tempora Henrici VI. Eſt autem hæc hiſtoria epitome hiſtoriæ majoris, quam idem Rudburnus elaboravit, & Voſſius Rudburno ſeniori perperam aſſignavit. Hiſtoria illa major, reſectis illis, quæ aliunde hauſta fuerunt, in Anglia hac Sacra exhibetur. Cum autem codex Lambethanus, qui hunc codicem ſuppeditavit, in prima & poſtrema parte mutilus ſit, eum defectum Whartonus ex ejusdem Autoris minore hiſtoria quodammodo ſupplevit. In hiſtoria Roffenſi primus eſt *Ernulfus*, cui Baleus nonnulla Arnulfi Lexovienſis & Arnoldi Bonævallis Abbatis opera perperam adſcripſit, eundem etiam cum Arnulpho Presbytero, qui Romanæ Curiæ vitia libere caſtigavit, eamque ob cauſam Cleri Romani inſidiis ſub Honorii II. Pontificatu ſublatus eſt, confundens. Ernulfus autem Roffenſis præter epiſtolam de incertis conjugiis in Dacherii Spicilegio editam, & alia, textum Roffenſem ſeu librum de *Eccleſiæ* Roffenſis fundatione, dotatione, chartis, placitis aliisque rebus ad eam ſpectantibus, compilavit; ex qua farragine nonnulla ſelectu habito in Anglia hac

Sacra

Sacra excerpta ſunt. *Edmundi de Hadenham* annales eccleſiæ Roſſenſis excerpti ſunt ex hiſtoria eccleſiaſtica MSC. cujus prior pars ab orbe condito uſque ad annum 1307 plane eadem eſt cum hiſtoria Matthæi Weſtmonaſterienſis, niſi quod nonnulla ad Roffenſem eccleſiam ſpectantia inſerantur, quæ nunc primum publici juris fiunt. Additamenta illa Roffenſia Hadenhamio deberi, ex VVilhelmi Lambardi collectaneis Whartonus didicit, cui veriſimile videtur, Matthæum Weſtmonaſterienſem hiſtoriam ſuam in anno 1307. terminaſſe, nec ætatem ejus uſque ad annum 1377. producendam eſſe. Hadenhamii annalibus ſubjicitur Hiſtoria *Roſſenſis*, quæ ab anno 1314. uſque ad annum 1350. deducitur. Autoris nomen in codice MSC. additum non eſt, quem tamen Jocelinus prodidit eſſe *Wilhelmi de Dene*, qui Hamonis Epiſcopi famulitio ab anno 1314. uſque ad vitæ exitum adhæſit. Cum autem in hac hiſtoria ſæpe minutiſſima perſequatur Autor, ex ſpiſſo iſto opere ea imprimis excerpere placuit Whartono, quæ majorem uſum habere videbantur, nihil niſi quod luce indignum eſſet, a ſe prætermiſſum ſpondens. Hiſtoria ſedis Norvvicenſis hauſta eſt ex *Bartholomæi de Cotton* monachi Norvvicenſis hiſtoria Anglicana, quæ in bibliotheca Cottoniana MSC. extat. Nam ex ſecunda ejus parte omnia eccleſiam Norvicenſem ſpectantia Whartonus exſcripſit, factoque Norvicenſium Annalium titulo nunc edidit. Ex tertia autem parte Norvicenſium Epiſcoporum hiſtoriam depromſit, obſervans Cottonum in tertia illa parte Epiſcoporum Angliæ hiſtoriam complectente omnia ferme, ſi Norvicenſem ſedem demas, ex Malmesburienſis hiſtoria emendicaſſe. Hiſtoriæ Lichfeldenſis quinque exemplaria habuit, quorum nullum autoris nomen expreſſit; diligenti tamen inquiſitione facta comperit, autorem eſſe *Thomam Cheſterfeldium* Canonicum Lichfeldenſem, cujus hiſtoriis de Epiſcopis Conventrenſibus & Lichfeldenſibus *Guilielmi Whitloci* additamenta & continuationem ab anno 1347, quo Cheſterfeldi hiſtoria deſiit, uſque ad annum 1559 adjecit. Annales de rebus eccleſiæ Wigornienſis, qui ad annum 1308 pertingunt, autorem certum non habent, nec unius autoris ſunt, ſed a pluribus ſeſe invicem excipientibus continuati. Hiſtoria Epiſcoporum Bathonienſium & Wellenſium Canonicum quendam Wellenſem autorem habuit, cui præter alia quædam monumenta ſubjuncta eſt hiſtoria de con-

controverſia inter Epiſcopos Bathonienſes & Monachos Glaſtonenſes ab *Adamo de Domerſham* conſcripta. Hiſtoriæ Elienſis primam partem conſtituit *Thomæ Monachi Elienſis* Hiſtoria, a prima Eccleſiæ fundatione usque ad annum 1107; ſecundam *Richardi* Continuatio usque ad annum 1169; tertiam duorum monachorum anonymorum Continuatio usque ad annum 1486; quartam Continuatio *Roberti Stewarde* usque ad annum 1554. Non ipſum tamen Thomæ & Richardi opus Whartonus edidit, ſed epitomen ex utroque conflatam. Priorem prolixi operis a Thoma conſcripti partem in Seculis Benedictinis edidit Mabillonius. Cum vero ille prologum non viderit & quæ de ſitu inſulæ Elienſis prologum ſequuntur, ea in præfatione Angliæ hujus Sacræ publici juris facere Whartono noſtro libuit. Hiſtoriam Epiſcoporum Dunelmenſium a prima fundatione usque ad annum 1097. conſcripſit *Turgotus* Prior Elienſis, quem totum tribus tantum vel quatuor locis leviter immutatis exſcripſit *Simeon Dunelmenſis*, ſub cujus nomine hiſtoria illa inter decem alios ſcriptores Anglicanos *A. C.* 1652 Londini prodiit. Quamobrem Whartonus hiſtoriam Dunelmenſium reſtitutam, a prima ſedis illius fundatione usque ad prædictum annum, proprio Marte contexere, quam illam a Simeone ex Turgoto transſcriptam hiſtoriam iterata editione repetere maluit. Continuatores autem Turgoti edidit numero quatuor, nempe Monachum quendam anonymum, *Gaufridum* Sacriſtam de Coldingham, *Robertum de Graystanes* & *Wilhelmum de Chambre*, qui tomum hunc clauderent, niſi addenda quædam & emendanda Clariſſimus Autor ad calcem hujus voluminis adjeciſſet. Inter bibliothecas, e quibus vetera hæc monumenta eruit, eminent Archiepiſcopalis in ædibus Lambethanis, Cottoniana, quæ ipſi generoſi poſſeſſoris Johannis Cottoni Baronetti humanitate patuit, & bibliotheca collegii corporis Chriſti in Academia Cantabrigienſi, quam ipſi collegii illius Præſes *Johannes Spencerus* reſeravit. Debere etiam ſe plurima fatetur *Dn. Wilhelmo Lloyd* Epiſcopo Aſſavenſi, qui diſſertationem ejus de Archiepiſcoporum Cantuarienſium ſucceſſione obſervationibus ſuis auxit, multaque de Epiſcoporum Aſſavenſium hiſtoria ſcitu non indigna ex ſuis adverſariis ſuppeditavit, ut & *D. Johanni Battely* Archidiacono Cantuarienſi, *D. Matthæo Hutton* & *D. Wilhelmo Hopkins*, qui haud pauca ex eccleſiarum ſuarum ſcriniis excerpta ipſi communicarunt.

HISTORIA ECCLESIÆ PARISIENSIS, Auctore GERARDO DUBOIS, *Aurelianenſi, Congreg. Oratorii D. N. Jeſu Chriſti Presbytero &c.*

Pariſiis, excudebat Franciſcus Muguet. 1690. fol. Conſtat novem alphabetis.

QUÆ cura olim inter alios tenuit Franciſcum Bosquetum, cum is in componenda Eccleſiæ Gallicanæ Hiſtoria verſaretur, ut hanc nimirum a jactis in hoc regno fidei Chriſtianæ fundamentis, ad illam usque temporis periodum, in qua terminata fuit ejus ſcriptio, deduceret; eadem, aut major fortaſſis, ſpeciatim circa Pariſienſem Eccleſiam adhibita deprehenditur a clariſſimo *Autore* noſtro, qui jam (ut in Actis hiſce ad A. 1685. p. 340. annotatum eſt,) Annalibus Eccleſiaſticis Francorum, a Carolo Cointio adornatis, ſuam commode addixit operam, & Tomum octavum e ſchedis Autoris, qui huic fuerat immortuus, ſupplevit, eumque ita integrum una cum Præfatione ſua, quæ vitam modo memorati Cointii complectitur, *A.* 1683. in lucem edidit. Scilicet haud mediocri cum induſtria res Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ diu pertractaſſe videtur, quandoquidem in ædibus etiam Maglorianis, publico illo, ceu vocat, Clericorum Pariſienſium Seminario, easdem per aliquot annos profeſſus eſt, dignumque adeo ipſum habuit Cointius, quem præ cæteris commendaret Franciſco de Harlay, Pariſienſi ArchiEpiſcopo, qui ſuæ, cui præerat, Eccleſiæ origines, incrementa, amplitudinemque & alia eo ſpectantia, a Viro ſatis idoneo deſcribi poſtulaverat. Hujus igitur ſuaſu incitatus, munitus etiam autoritate, qua in Actis e chartophylacio ArchiEpiſcopali eruendis, & reliquis, quæ neceſſaria eſſent, facile comparandis uteretur, ad ſcribendum ſe accinxit Noſter, Tomumque hunc ad finem perductum Illuſtri ejus Nomini conſecravit, laudes ſimul ejus in dedicatoria epiſtola quam prolixiſſime celebrans. Hunc vero inter elaborandum obſervavit ordinem, ut ante omnia inquirendis evolvendisque veteribus chartis, tabulariis Eccleſiæ Pariſienſis & monaſteriorum excutiendis, ac perſcrutandis omnibus & urbis & parochiæ Lutetianæ angulis tres quatuorve annos impenderet: unde multa in ſuam rem collegit, magna cura magnisque laboribus deſcripſit acta vetera, & quæ amici hinc inde commodarunt, ea ſingula per certas claſſes

claſſes futuro Operi inſervituras mature diſpoſuit. A quibus præſidiis cum ſe inſtructum deprehenderet, res in hac Eccleſia a primis ejus incunabulis, per nongentos ferme annos, usque ad milleſimum centeſimum octavum Chriſtianum, geſtas ſolicite recenſuit, Antiſtitum religione & doctrina inſignium memoriam ab oblivione vindicavit, nec præterivit ſilentio conventus & ſynodos Pariſiis aliisque in locis habitas, in quibus iſti multa pro hæreticis convincendis, pro informandis item moribus, & ordinanda Chriſtianæ vitæ diſciplina, bene laudabiliterque ſanxerunt. Inſuper tot a Martyribus in Chriſti honorem tolerata ſupplicia commemorat, & quæ ſubinde fundata dotataque in hac urbe fuerint monaſteria aut erectæ paſſim baſilicæ, pro inſtituto ſuo diligenter refert, ubivis nonniſi ſinceriſſima ex antiquitate teſtimonia allegans, rejectis econtra iis inſtrumentis, in quibus aut dubiam fidem aut apertam plane ſuppoſitionem reperire licuit. Ita tamen in percenſendis Eccleſiæ ſuæ memorabilibus occupatur, ut plurima ſimul ex Hiſtoria Galliæ Civili immiſceat, quæ certe haud exiguam hujus Operis partem conſtituunt. Longa namque ſuccedentium ſibi Regum ſeries a Childerico usque ad Ludovicum VI. in eo comparet, & quomodo ſinguli in ſolennioribus Regni conventibus Reipublicæ conſuluerint, quæ deinde bella vel inter ſe vel cum exteris nationibus geſſerint, prolixe indicatur. Ac licet iſta pro alieni a negotio præcipuo nonnunquam poſſint reputari, haud ulli tamen ingrata accidet hæc liberalis erogatio, qua rerum eccleſiaſticarum ſtudioſi in hiſtoriæ civilis notitiam ſimul ſe introduci haud absque fructu intelligent.

Sed nunc, quæ ſummatim modo dicta fuerunt, excutiamus paulo preſſius, Autoremque per undecim libros, quibus hoc volumen abſolvit, inſequamur. *Primum* auſpicatur ab antiquo Galliæ ſtatu, L. I.
quem præcipue ſub Julio Cæſare & nonnullis ejus ſucceſſoribus obtinuit; ubi varias ejus diviſiones, magiſtratus, religionem idololatricam, habitosque in honore ſummo Bardos, Vates, atque Druides delineat. C. I.
Cum autem inter alias Galliæ provincias nobiliſſima ſemper fuerit Celtica, quæ ſucceſſu temporis in quatuor Lugdunenſes diſpertita fuit; ex qua diviſione originem habuere metropoles, Lugdunum, Rotomagus, Turoni, & Senonæ, quibus tandem Lutetia Pariſiorum, diviſa Senonia in duas provincias, quinta metropolis

adjecta eſt: idcirco accuratius diſquirit, quinam ex his locis fidem Chriſtianam primum receperit, & Lugduno præcipuam hac in parte gloriam multis rationibus vindicat; tametſi eidem jus exarchatus aut
C. II. primatus in reliquas provincias ea propter minime ſit tribuendum. Eccleſiæ deinde Pariſienſis primordia a miſſione Dionyſii in Galliam derivat, & iſtam Decio & Grato Conſulibus ſub Fabiano Pontifice anno æræ Chriſt. 252. contigiſſe teſtatur, laudatque curam egregiam, quam Dionyſius adhibuerit, ut fidem Chriſtianam in his oris latius propagaret. Advocato enim Ruſtico presbytero & Eleuthe-
C. III. rio diacono baſilicam Pariſiis conſtruxit, quam nonnulli extra urbis pomœria fuiſſe contendunt, alii vero intra eadem conſtituunt, quibus Autor etiam adſtipulatur, & quomodo tandem ſub Feſcen-
C. IV. nino Præfecto decollatus fuerit Dionyſius, exponit; memorato ſimul carcere, loco martyrii, tumulo, baſilicaque, quæ in ipſius honorem poſtmodum ædificata & magnifice a Chriſtianis aucta fuit. Ut ut autem de martyrio Ruſtici & Eleutherii, nec Fortunatus nec Fredegarius, nec alii quicquam meminerint, certum tamen id nihilominus
C. V. eſſe Autor oſtendit, ac pariter duodecim ſocios Dionyſio adjungit, qui fidem in Belgica ſecunda annunciaverint, martyrium ſub Maximiano ſubeuntes. Sed cum ex temporum collatione ſcrupulus hic
C. VI. moveri ſoleat, multique, an Dionyſius iſtos ſocios habuerit, dubitare non vereantur, e Chronologia fuſius abs ſe ordinata conciliationem petit, & poſtmodum ad alios Pariſienſium Epiſcopos progreditur, e quibus imprimis celebratur Victorinus, qui conciliis, Co-
C. VII. lonienſi & Sardicenſi, adverſus Arianos habitis ſubſcripſit: quemadmodum & Conciliorum ipſorummet delineationem *Autor* ſuppeditat, fraudemque detegit, qua in Concilio *Ariminenſi* Orthodoxos circumvenire *Arriani* laborarint; qua ipſa occaſione prima ſynodus Pariſiis A. 362. (aut potius ex mente Autoris, 361.) inſtituta fuerit. De Marcelli Epiſcopi vita & miraculis longum ſermonem inſtituit,
C. VIII. & nonnulla eorum deſcripſiſſe ait Fortunatum, non Pictavenſem illum, ut vulgo exiſtimetur, Epiſcopum, ſed, ut monuerit Vir clariſſimus Claudius Caſtellanus Canonicus Pariſienſis, alium aliquem, cujus in quatuor MSS. martyrologiis Eccleſiæ Pariſienſis ad XIV. Cal. Julii, nec minus in additionibus Molani ad Uſuardum mentio injiciatur. S. Genovefæ virgini integrum fere Caput ultimum hujus

hujus libri conſecrat, & quæcunque de illius geſtis, die ac anno obitus, ſplendidoque admodum ſepulchro paſſim apud alios reperiuntur, refert & examinat. C. IX.

Sub initium libri *ſecundi* in genuinam Francorum originem inquirit, diverſasque recenſet Autorum opiniones, quorum alii fabuloſe eos a Trojanis derivent, alii ex Pannonia digreſſos ſtatuant, alii denique e pluribus Germaniæ populis hanc gentem conflatam arbitrentur. Ipſe eam pro Germana gente agnoſcit, quam S. Hieronymus inter Saxones & Alemannos fuiſſe ſcribat, quod Procopius & Agathias confirment: ſicuti & primum ejus ortum ad Rheni inferioris ripam ulteriorem, & circa regiones Vahali, Vidro, Viſurgi, Albique adjacentes, ex antiquis ſcriptoribus cognoſcamus. De Religione pauca ibi ſubjicit, & a Rege Childerico nondum Chriſtiano Francorum Regum Hiſtoriam orditur, Chlodovei, ejus ſucceſſoris, converſionem mox ſubnectens, & quæ ſub eo non minus ac ſub quibusdam aliis usque ad Chlotarium contigerint, per hujus libri decurſum explanat. Floruerunt his temporibus Pariſiis Probatius, Amelius, Saſſaracus & Euſebius, Epiſcopi Autori memorati. Amelius interfuit aliquot Conciliis Aurelianenſibus, utpote ſecundo A. 533, & tertio A. 538: ad quartum autem A. 541, Amphilochium Abbatem ſubmiſit. E ſingulis his Canones aliquot huc affert Autor, itemque ex Concilio quinto A. 549. ibidem inſtituto, cui Saſſaracus interfuit, quem tandem, cum multorum criminum reus haberetur, a viginti ſeptem Epiſcopis, in Synodo Pariſienſi A. 551. congregatis, ſacerdotio privatum, & in monaſterium detruſum memorat. Qui deinceps in Epiſcopali munere excepit Euſebium, S. Germanus, non ſuis ſolum virtutibus famam ſempiternam apud Pariſienſes impetravit, ſed Sancti quoque Vincentii baſilica cum adjacente monaſterio (de cujus fundatione, dedicatione, & privilegiis Autor agit,) ab eo nomen indepta eſt, ut hodieque Baſilica & Abbatia S. Germani de Pratis, magis tamen ex conſuetudine & denominatione populari, ob hujus Epiſcopi reliquias ibidem ſepultas, quam ex dedicatione nuncupetur. Et jure adeo ſuarum eſſe partium Autor arbitratus eſt, ut rebus, quæ ad S. hunc Germanum pertinent, aliquanto diutius immoraretur. Celebrata eſt ſub eo Synodus Pariſienſis tertia, A. 557. Ipſe A. 576. fere octogenarius ex hac vita deceſſit, & legitur in Aimoini in-

Lib. II. Cap. I. Cap. II. Cap. IV. C. V. C. VI. C. VII.

 ter-

terpolatione quoddam in eundem epitaphium, cujus autor utrum
fuerit Rex Chilpericus, ceu nec Mabillonio diſplicuit, æquo æſtima-
tori judicandum heic relinquitur.
L.III. Liber *tertius* in morte Chlotarii I. initium capit, & in Chlo-
Cap. I. tario II deſinit. Quæ interjectæ ſunt narrationes, plerumque atti-
nent ad civilia negotia. Agitur enim de facta his temporibus nova
Francicarum provinciarum diviſione in Auſtriam, Neuſtriam, &
Burgundiam, cujus deinceps quoque frequens apud autores uſus eſt, &
ea quidem poſt mortem Chariberti Regis, a Sigiberto, Chilperico, &
Guntchramno ſuſcepta traditur. Sermo quoque inſtituitur de mo-
ribus Chilperici, & de ejus filia Rigunthe, quam infelici omine Levvi-
gildi Gothorum Regis filio minori, Reccaredo, deſponſaverat: de
Cap.II. certaminibus item ac bellis, quæ modo inter Sigibertum & Chilpe-
III. ricum, modo inter Guntchramnum & Gundobaldum, modo inter
IV. Childebertum & Chlotarium adhuc minorem, modo inter Theo-
V. dobertum & Theodoricum, artibus Brunichildis, aviæ, mire adverſus
VI. ſe invicem excitatos, emerſerunt variaq; geſta ſunt fortuna, & de ſimi-
libus aliis. Ad Eccleſiaſtica magis ſpectat quæſtio de Canonibus Ec-
cleſiæ Gallicanæ, quales illi ſint, & utrum diſcrepent a Codice Cano-
num, quibus utitur Romana Eccleſia? quam occaſione cujuſdam Ca-
nonis adverſus Prætextatum e libro a Chilperico ad Patres Synodi Pa-
p.III. riſienſis miſſo allegati pertractat. Memoria inſuper Conciliorum:
Turonenſis, habiti A. 566. ad renovandas leges Eccleſiaſticas; Pariſi-
enſis IV. cui illo tempore diſſidia inter Sigibertum & Guntchramnum
anſam præbuere; Matiſconenſis item II; nec non Pariſienſis VI, quod
Sirmondus ad *A. 615*, ipſe vero ad præcedentem retulit. Cumque
tunc in Gallia Judæi multi degerent, & ſæpe ad munera publica
pecunia & aliis artibus irreperent, Patribus indignum viſum eſt, Chri-
ſtianos horum ſubire judicium: quamobrem prohibuerunt Judæos
muneribus publicis adhiberi, aut ſi admitti cuperent, cum omni
familia eos Baptiſmum ſuſcipere juſſerunt; quæ diſciplina Francorum
fuit, ut compellerent Judæos ad Baptiſmum, quemadmodum & Chil-
pericus plurimos eorum baptizari fecit, qua de re p. 117. & 118. confe-
C.VI. rantur. Bertham, Chariberti Regis Pariſiorum filiam, Autor intro-
ducit, ac docet, quod ea non ſolum maritum ſuum, *Ethelbertum*,
Cantii Regem, ſed ipſam quoque Anglorum gentem ad fidem conver-
terit,

ſerit, adjuta potiſſimum auxilio Auguſtini, Dorovernenſis Epiſcopi, quem Gregorius Pontifex una cum aliis eo transmiſit. Narrationem Gregorii Turonenſis, qui tradit, urbem Pariſienſem aliquando ita conſecratam fuiſſe, ut nocere illi flamina non poſſet, neque glires, neque ſerpentes, ſed cum cuniculus pontis effoderetur, inventum ait glirem ſerpentemque æreum, ablatumque, & ex eo tempore urbem gliribus fuiſſe refertam, incendiisque ſæpius abſumtam, ac viſos non raro quoque ſerpentes; ſuperſtitioſæ fabulæ ſimillimam pronunciat. pag. 128.
S. Columbanum, qui Monarchiam Francorum ſæpe Chlotario prædixit, & multa edidit miracula, de quibus p. 136; item Ragnemodum, Simplicium, Ceraunum, & alios Epiſcopos Pariſienſes, quorum in hoc libro Autor meminit, brevitatis ſtudio tranſimus.

Accedimus ad librum *quartum*, ubi primo loco Dagobertus occurrit, de cujus annis inter Eruditos agitatur controverſia, aliis ab obitu patris Chlotarii, aliis a Principatu Dagoberti in Auſtraſianos, regni ejus initia deducentibus. Priorem ſententiam defendit Bucherius, Petavius, Sirmondus, & noviſſime Chifletius, qui ſuper eam cauſam prolixam Diſſertationem exaravit, in hiſce Actis A. 1682. p. 320. nobis memoratam. Sed alteram propugnant Valeſius & alii, quibus ſuum Autor calculum adjicere non dubitat p. 167. Eum ob extructam noviter S. Dionyſii baſilicam præcipue extollit; tametſi Mabillonius iſtam tantummodo ab hoc ornatam dotatamq; aſſerat, cui ideo nonnulla argumenta Autor opponit. Multa autem prædia amplasque poſſeſſiones Dagobertum Eccleſiæ S. Dionyſii quidem contuliſſe, ſed quæ eadem præciſe fuerint, haud facile memoratu videri affirmat; cum quæ produci hic in medium ſueverunt, chartæ tantum non omnes ſuſpectæ aut interpolatæ ſint; ac ſpeciatim duas ex hoc capite refellit, quod donationem Conſtantini immiſceant, quam ipſe tamen nono vel decimo ſeculo confictam ingenue fatetur. Dagobertum vero in hac baſilica exornanda multum adjuvit Eligius, ob admirandam in elaborando auro argentoque peritiam tum valde celebris, qui tamen poſtmodum ex propriis ædibus, quas a Rege acceperat, Virginum monaſterium conſtruxit, eique præfecit Auream, non ex Syria, ut falſo memoravit Breulius, ſed ex Francorum gente oriundam, cujus æque ac ipſius Eligii virtutes & quotidiana monaſterii incrementa accurate deſcribit. Idem nobis pronunciandum eſt de monaſterio

Marginal notes: pag. 156. — pag. 158. — Cap. III,

ſterio Foſſatenſi, cujus fundatio & donatio a Blidegiſilo, Archi-Diſcono Pariſienſis Eccleſiæ, facta prolixe recenſetur; non ſecus, ac S. Furſeo
C. IV. Hiberno monacho Latiniacum, ut Monaſterium extrueret, ab Erchinoaldo, Palatii tum temporis Præfecto, conceſſum memoratur, & de
C. V. cœnobio Calenſi, quod Bathildis, uxor Chlodovei II. condiderit, plura ab Autore conſignata ſunt. Tacemus, quæ de Chlodovei Junioris
C. VI. pag. 188. Diplomate, libertates monaſterii S. Dionyſii confirmante & aliis hujusmodi paſſim in decorem Pariſienſis Eccleſiæ Autor annotavit. Eo tempore ſuccreſcebat Monothelitarum hæreſis, & eorum aliquis Auguſtodunum venit, qui ſtatim atque cognitus eſt, in Synodo Aurelianenſi a Salvio, Epiſcopo Valentinenſi, ad ſilentium fuit redactus.
pag. 163. Id factum dicit inter annum 518. & 540, Sed *A.* 649. Romæ Synodum adverſus Hæreticos eosdem Martinus Papa congregavit, cujus occaſione impietatem eorum a primo ortu Autor repetit. De cætero, dum
pag. 174. Agilberti, Epiſcopi Pariſienſis, autoritatem, quam apud Scotos obtinuit, allegat, incidit ſimul in controverſiam de tempore celebrandi Paſchatos, quod Scoti neutiquam ad morem Eccleſiæ Romanæ obſervabant, quem tamen Agilbertus uberius in eo, quem ex Beda re-
pag. 203. cenſet Autor noſter, ſermone commendavit. Interim poſt caſus varios in hoc libro frequenter expoſitos, Pippinus, Major Domus, Heriſtallius ab Heriſtallo palatio prope oppidum Leodienſe nuncupatus, Auſtriam, Neuſtriam, & Burgundiam ſuo nutu regere, & late in Francorum ditionibus dominari cœpit, cujus geſta Autor affert, quique poſt hunc ſecuti ſint, ſimul exponit.

L. V. C. III. E libro *quinto* notari præ cæteris meretur Caput tertium. In eo enim Autor præclaram commentationem exhibet de Synodo Gentiliacenſi, & pertractata in eadem de Spiritu S. a Patre Filioque proce-
pag. 272. dente controverſia, quæ a ſuis initiis erudite deducta Lectori ſiſtitur, & memoratur inferius p. 292. quod hæc doctrina in ſynodo Forojulienſi quoque confirmata fuerit. *A.* 808. in Concilio Aquisgranenſi diſceptatum eſt, an Symbolo Nicæno addi queant verba, *Filioque*, ut caneretur impoſterum, *qui a Patre Filioque procedit*, Et Leo quidem Papa id ſuadere noluit, ſed potius, ut plane intermitteretur ejus in Eccleſia Gallicana uſus, autor iis extitit. Quod ipſum ubi Noſter obſervat, Symboli, quod Athanaſio vulgo tribuitur, mentionem facit, & illud in Gallia primum inventum eſſe probat. Sed

actum

actum etiam fuit de cultu Imaginum in illa, quam diximus, Gentiliacenſi Synodo, iterumque in Francofordienſi, a Carolo M. anno 794. celebrata. pag. 291. Nec memoratu indignam cenſemus originem muneris Apocriſariorum, quos fuiſſe viros dicit fide & prudentia claros, a Romanis Pontificibus ad tractanda Eccleſiæ negotia Conſtantinopolin ablegari ſolitos; ac primum, qui hoc officium in ſe ſuſceperit, Julianum Coënſem Epiſcopum nominat, tempore Leonis M. miſſum ad Imperatorem Martianum uxoremque Pulcheriam. pag. 273. Duravit iſtud usque ad Iconomachorum tempora, poſt quæ Pontifices ſuos Apocriſarios ad Reges Francorum mittere cœperunt. Jungimus his ſtatim officium Miſſorum Dominicorum, quod itidem deſcriptum habetur, & in Gallia fuit frequentatum; pag. 299. dum certis anni temporibus electi ad hoc a Principibus viri per pagos, civitates, & comitatus proficiſcebantur, ut in res Epiſcoporum, Abbatum, & Comitum inquirerent, diſciplinam ubivis obſervarent, ſacris ædibus proſpicerent, pauperumque & orphanorum ſedulam curam gererent. De Carolo M. plurima huic libro inſerta conſpiciuntur, nimirum, ut is non in Regem ſolum Francorum inunctus, ſed Romanorum etiam Imperator coronatus fuerit; ut Saxones a ſe tandem devictos ad religionem Chriſtianam ſolicitarit, pag. 297. ipſo duce Witichindo baptiſmum ſuſcipiente; pag. 275. ut bonarum idem artium & literarum fuerit amantiſſimus, easque priſtino nitori reſtituere alloboraverit; pag. 182. ut Taſſilonem Bajoariæ Ducem debellaverit, ſupplicemque factum in monaſterium detruſerit; ut denique per alia laudabiliter valde geſta immortale nomen fuerit adeptus. Quæ una cum hactenus memoratis Capp. IV. V. VI. VII. VIII. & IX. fuſius pro dignitate enarrantur.

Carolo M. A. 814. defuncto, Ludovicus ejus filius, Imperatoria itidem dignitate conſpicuus, regnum obtinuit illudque ad annum usque 838. ſumma cum autoritate & fide adminiſtravit. Atque hæc periodus Libro *ſexto* materiam ſuppeditat, e qua dum iterum nonnihil ſeligimus, Aquisgranenſis primum Synodus ſe offert, quæ vel ex edita generali regula a Canonicis per univerſum regnum obſervanda ſat illuſtris eſt. Nec temperare ſibi Autor potuit, quin ad hunc delatus in Canonicorum ortum paulo curatius inquireret, & Chrodegangum, Epiſcopum Mettenſem, inventi hujus autorem celebraret. Cæterum ſicut Pii cognomen gerit hic Ludovicus, ita præcipuum Re- p. 319. ſqq.

 ligio-

L.VI. ligionis & monaſteriorum curam habuiſſe dicitur. Cum ſub Epiſcopatu Erchenradi, incuria cuſtodum, inſtrumenta & chartas Eccleſiæ Pariſienſis ignis abſumſiſſet, ille editis literis curavit, ut hæc impoſterum quiete & ſecure res ſuas priſtinas poſſideret, nec a quoquam in

C.II. earum uſu turbaretur. Ad inſtantiam Michaëlis Imperatoris Orientis, conventum inſtituit Pariſiis A. 825. ad decidendam in ea de cultu Imaginum controverſiam; & Patres quidem ibi congregati a veneratione earundem abhorruerunt, quod parum quidem probat Autor, &, ut ſolet alias, integram hujus decertationis Hiſtoriam eleganter & prolixe deſcribit. Anno 827. Michaël Imp. ad Ludovicum libros Dionyſii Areopagitæ transmiſit, quos ut genuinos cum gaudio recepit

C.III. Hilduinus, Abbas S. Dionyſii. Noſter vero autoritatem iis omnem multis argumentis adimit, & eos ſub finem quinti ſeculi non multo poſt

C.IV. celebratam Synodum Chalcedonenſem conſarcinatos arbitratur. De Concilio Pariſiis A. 829, ſub Ludovico Pio habito pleniſſimam narrationem exhibet. De Ludovici exautoratione ab ipſius filiis ſuſcepta, & quomodo is libertatem fugatis adverſariis in monaſterio Dionyſiano

C.V. receperit, porro nos inſtruit, & deinde literas Ludovici ad Hil-

C.VI. duinum Abbatem ſiſtit, quæ præcipiunt, ut res S. Dionyſii in unum librum ſolicite congereret; quibus ille monitus Areopagitica ſua evulgavit, & in his inter alia Dionyſium Areopagitam unum eundemque fecit cum Pariſienſi: quod Autori tamen diſplicet, qui pugnat potius pro duobus Dionyſiis Lectoremque ſuum plura cognoſcere deſiderantem ad Jac. Sirmondum, Jo. Launoium, Hugonem Menardum, Germanum Milletum, & alios, qui quaſi collatis ſignis adverſus ſeinvicem acerrime conflixerint, ablegat.

Quomodo poſt mortem Ludovici Pii inter tres ipſius filios bella civilia exarſerint, & regna fuerint diviſa, ſub initium Libri *ſeptimi*

L.VII. docetur. Hæc vero non tantopere morabimur; quin potius ad Gotteſchalci monachi hæreſin iſto tempore ortam properamus. Spar-

C.IV. ſerat ille impia de abſoluta Prædeſtinatione ad vitam æque ac æternam damnationem dogmata, quæ A. 848 in Synodo Moguntina examinata, & anno inſequenti inſtituto apud Cariſiacum conventu ſolenniter rejecta fuerunt. Ut tamen nihilominus poſthæc multas turbas eadem in Gallia excitarint, Autor demonſtrat. Valde etiam in-

C.VII. vehitur in Photium, Patriarcham Conſtantinopolitanum, quod nimirum contra omne jus & fas Ignatium de ſede deturbarit, ac

ſe

ſe violenter ingeſſerit, Eccleſiam quoque occidentalem multis modis fuerit criminatus, Michaelem Imp. ut quasdam ejus conſuetudines reprehenderet, ſimul excitans. Laudat vero Æneam, Epiſcopum Pariſienſem, quod in peculiari opuſculo in Spicilegiis Dacherii e MSS. Bibliothecæ Thuaneæ edito, cauſam Latinæ Eccleſiæ teſtimoniis antiquorum Patrum defendere aggreſſus fuerit. Sed quæ in eodem de Conſtantini donatione afferuntur, ſuppoſitionis arguere non dubitat. Uſuardum, quem Trithemius monachum Fuldenſem vocat, ipſe monachum S. Germani Pariſienſem facit, & ejus Martyrologium non ſub Carolo M. ſed Carolo Calvo ſcriptum, & huic quoque dedicatum fuiſſe oſtendit. Quæ interim de privilegiis monaſterio Dionyſiano in Synodo Piſtis congregata anno 861, & deinceps in Sueſſionenſi anno 862. conceſſis diſputat, prolixiora ſunt, quam ut huc afferantur. Quemadmodum & contentiones inter Hincmarum Remenſem & Hincmarum Laudunenſem Epiſcopos, hujusque cauſam in variis conciliis ventilatam (de quibus omnibus Autor plura exhibet,) vel nominaſſe hic ſuffecerit. C.VIII. C.V. p. 430. ſeqq.

Caroli Calvi, Ludovici Balbi, filiorumque & ſucceſſorum usque ad Carolum III. Hiſtoriam in *octavo* Libro propoſiti ſui tenax Autor conſignavit. Inter alia agit de celebri obſidione urbis Pariſienſis a Nortmannis ſuſcepta, quæ in iſthæc tempora incidit, eamque verſibus delineavit Abbo, monachus S. Germani, unde multa hic in medium afferuntur. Diſquiritur etiam de ipſo Pariſiorum nomine, quod Abbo derivat ab Iſia, Græcorum urbe, q d. par Iſiæ. Alii ad Iſidem provocant, quæ in hac urbe olim culta fuerit. Verum Autor ejus originem ex Celtica lingua petendam arbitratur, cujus cum pauca hodie veſtigia extent amplius, non mirum eſſe cenſet, quod Eruditi fruſtra adeo in hoc vocabulo ſe torqueant. Claruit in iſta obſidione virtus Gozlini, Epiſcopi Pariſienſis, qui tamen alius eſt ab eo, cui Abbo ſuum opus inſcripſit. Porro etiam baſilicæ S. Germani Autiſſiodorenſis Autor meminit, de qua cum ſe nihil hactenus dixiſſe recordetur, uberius circa eandem deſcribendam occupatus eſt. Pergit deinde ad S. Opportunam, cujus reliquiæ Pariſios delatæ ſunt, extructaque in honorem earundem fuit baſilica, cui nomen S. Opportunæ remanſit. De Anſcherico item Pariſienſi Epiſcopo, de Ebolo, qui Abbas fuit S. Germani de Pratis, porro de S. Honorina, L. VIII. C. III. C. IV.

S. Leutfredo, ſufficiens inſtructio reperitur, liberque digreſſione de Præpoſitura de Sodobrio finitur.

L. IX. Liber *nonus* prolixiori longe illuſtrium ea ætate virorum ſerie refertus eſt. Ut enim Theodulfum, Fulradum, Adelelmum, Elyſiardum,
C. I. ſqq. & alios Epiſcopos Pariſienſes taceamus, in ſcenam producuntur, S. Gerardus, Abbas Broniensis; Abbates item Foſſatenſes, quorum catalogum a Brolio confectum Autor emendat; viri itidem docti, Hilduinus, Abbas Dionyſianus; Hincmarus Remenſis; Uſuardus; Aimoinus, qui Libros II. de miraculis S. Germani ſcripſit, & diverſus eſt ab
C. VI. Aimoino, Floriacenſi monacho, qui res Francorum memoriæ commendavit; Remigius, Autiſſiodorenſis monachus; Hucbaldus, monachus S. Amandi &c. Quæ enim ſubſidia Carolus Calvus ſtudiis attulerit, vel ex Errici ſeu Heirici, monachi Autiſſiodorenſis, Epiſtola nuncupatoria, quam Operi de geſtis S. Germani Autiſſiodorenſis præfixit, ſatis apparet. Magna inſuper baſilicarum & monaſteriorum multitudo in hunc librum confluxit. Memorantur baſilica B. Mariæ Virginis,
C. IV. & S. Chriſtophori: Baſilica S. Marcelli, S. Juliani, S. Mederici, Ger-
C. V. vaſii & Protaſii: Oratorium S. Martini: Baſilica S. Columbæ virginis:
C. VI. Monaſterium S. Genovefæ, S. Germani a Pratis, Dionyſianum, Foſſatenſe &c. Quando orti fuerint Pariſiis Canonici, diligenter Au-
pag. 560. tor diſpicit, & per capita duo ultima de Comitibus tum generatim, tum ſpeciatim de Pariſienſibus egregia nonnulla profert. Erant ii plerumque Rectores & Præfecti urbium, quibus non publicarum modo rerum, ſed & privatarum cura incumbebat. Juris dicendi munere, & vicinos pagos circumeundi, componendorumque civilium diſſidiorum poteſtate gaudebant; Rebus turbidis agebant militiam, & ad publica Regni Comitia ire conſueverant, ibidemque cum Regibus ac Palatii Præfectis de Republica ordinanda ſtatuebant. Et initio quidem eos Regum nutui ſubfuiſſe conſtat, ſed poſtmodum horum poteſtati ſe paulatim ſubtraxere, dignitatem hanc fecere hereditariam & Regibus ipſis multum ſæpe negotii faceſſere haud ſunt veriti, ad quam magnitudinem quibus gradibus adſcenderint, a p. 583. ad 589. edocetur. Pariſienſium autem Comitum antiquiſſimam memoriam ſe inveniſſe credit in quadam charta A. 710. exarata, ac licet omnium eorum ſeriem ex ordine ob defectum monumentorum neutiquam referre liceat, eorum tamen nihilominus aliquem texit Catalogum:

logum, & quæ plerique geſſerint, enarrat, commodaque ſic occaſione deſcendit ad Hugonem Capetum, quem ut primum inter Reges Francorum familiæ tertiæ, ita poſtremum comitem Pariſienſem facit.

Ab hoc itaq; Librum *decimum* auſpicatur, felicem longamq; Regum ex hac familia ſucceſſionem inſigni mactans elogio. Poſſemus L.X.
hinc plura ex illius geſtis decerpere, & memorare virtutem ejus filii Ro- Cap.I.ſeqq.
berti, ac fortunam nepotis Henrici I. ſed alia nos magis ſibi poſtulant, in quibus de Berengario, ejusque hæreſi ac diſputationibus de Euchariſtia, de Synodis adverſus ipſum habitis, & ſubſecuta tandem pœ- C. VII.
nitentia informamur. Obſervat nimirum Autor, quod Paſchaſius Radbertus circa A. 831. primus omnium de corpore & ſanguine Domini in Euchariſtia peculiarem librum ediderit, & Sancti Patres ante eum, nondum orta de hoc Sacramento contentione, aſſeruerint quidem, corpus Chriſti reipſa in Sacramento contineri, modum vero diligentius exponere haud laborarint. Radbertum autem eo in libro palam docuiſſe, in Sacramento Euchariſtiæ, panis & vini ſubſtantiam in corpus & ſanguinem Chriſti converti, & poſt verba conſecrationis idem corpus, quod ex utero beatæ Virginis prodiit, ſub ſpeciebus contineri. Poſtremum hoc ægre tuliſſe inter cæteros Rabanum, Moguntinum ArchiEpiſcopum, & in quadam Epiſtola ad Egilum ſeu Egilonem dubia ſua oppoſuiſſe. Hanc non haberi amplius teſtatur Du Bois, ni forſan ea ſit, quæ extat in Actis Benedictinis Sec. IV. P. II. quamque Mabillonius ex codice Gemblacenſi deſcriptam edidit. Sed & alios ſurrexiſſe affirmat, (quos Stercoraniſtarum nomine indigitat,) qui, quid de corpore Dominico poſt ſumtionem fieret, numque id egeſtioni eſſet obnoxium, inter ſe diſceptarunt. Et affirmantium quidem opinioni quod ipſe Rabanus, aut Heribaldus quidam, Epiſcopus Autiſſiodorenſis, faverit, adverſus anonymum Celotianum pernegat. In tertia claſſe locat Joannem Erigenam Scotum, quem ſub Carolo Calvo in Galliam veniſſe, & in edito ibidem libro de Euchariſtia virtutem tantum corporis Chriſti ac figuram, non veritatem; umbram, non corpus in hoc Sacramento admiſiſſe teſtatur. Hunc librum itidem periiſſe putat, tametſi quidam exiſtiment, opuſculum de corpore & ſanguine Domini, quod refert nomen Bertrami ſeu Ratramni, Jo. Scoto potius deberi. Inducit ſane Virum eruditiſſimum,

Petrum de Marca, id probare conantem in ſcripta A. 1657. ad Lucam Dacherium epiſtola; a quo tamen cum aliis recedat Mabillonius, & noviſſime Decanus Eccleſiæ Senonenſis, (Jacobus Boileau,) qui hunc librum A. 1686. Latine & Gallice redditum e MStis & antiquis Codicibus in lucem emiſerit. (Conf. Acta noſtra ad A. 1687. p. 43. ſeq.) Ex iſto autem Scoti libro virus ſuum hauſiſſe Berengarium oſtendit, qui ſimiliter, quod in Sacramento Altaris nec vere corpus nec vere ſanguis Domini exhibeatur, propugnare auſus ſit. Theoduinus, Leodienſis Epiſcopus, in epiſtola ad Henricum, Regem Francorum, tres quidem alios errores ipſi tribuit, quod ſcilicet noluerit infantes baptizari; quod nuptias & conjugia ſuſtulerit; quod Chriſtum clauſo cœnaculo ad Diſcipulos ingreſſum fuiſſe negarit: ſed cum de his nihil alibi reperiatur, vix quicquam certi affirmare Autor noſter ſuſtinet; illum vero de Euchariſtia errorem ſtatim ab Hugone, Lingonenſi Epiſcopo, & imprimis a Lanfranco animadverſum ſcribit. Cum enim hic Paſchaſium a Berengario condemnari intelligeret, hoc ſibi maximum in modum diſplicere oſtendit. Berengarius viciſſim ſe defendit in Epiſtola ad Lanfrancum, quam Dacherius in notis ad hujus vitam edidit. Ea dein Romam allata fuit A. 1050. perlectaque a Patribus in Synodo tum congregatis, qui ſtatim ob hanc ſententiam Berengarium, ni reſipiſceret, a communione excluſerunt. At ille parum hæc curavit, & per Synodos ſequentes, Turonenſem A. 1055. Romanam A. 1059. Rotomagenſem A. 1063. Pictavenſem A. 1075. aliasque contra eum celebratas penitus ab errore dimoveri non potuit, donec tandem in Concilio Burdigalenſi a longo ac diuturno iſthoc morbo, ut Autor loquitur, convaluit. Seceſſit dein in S. Cosmæ inſulam haud procul Turonis, & ibi A. 1088. VIII. Id. Januarii vita functus eſſe perhibetur.

L. XI. *Undecimus* Liber adhuc ſupereſt, qui non minus atque antecedentes a ſuo, quem præſtat, uſu haud parum ſe commendat. Nam præter ea, quæ occurrunt de Philippo, Rege Galliæ, civiliumque rerum ſub eodem ſtatu; de diverſorum monaſteriorum fundatione ac privilegiis; & aliis, quæ, ut ne Lectori tædium ſuboriretur, ubivis

Cap. II. immiſcere noluimus: notatu quoque dignum judicamus, quod affert de cauſa ſeceſſionis Brunonis in eremum, quam vulgo Pariſienſis cujusdam Magiſtri (Edimeri) ternæ e feretro excitationi, &, quod pœnis

pœnis addictus fuerit æternis, profeſſioni tribuant. Sed hæc fabulis recenſet, ad Launojum provocans, qui multis argumentis ea dudum enervarit. Genuinam autem rationem ex Guiberti Abbatis teſtimonio quærit in odio Manaſſis, ArchiEpiſcopi Remenſis, cujus cauſas ibi latius examinat, & paulo ante citat epiſtolam, quam ex Calabria ſcripſerit ad Radulfum Viridem ipſe Bruno, & in qua ſe jam olim Remis propoſitum diſcedendi a mundi conſortio tenuiſſe minime diſſimulet. Nec minus memoria hic Roſcellini aſſervatur, qui Dialecticum Compendienſem egit, ac tres in Deo perſonas tres res abs ſe invicem ſeparatas eſſe ſtatuit, ſicut ſunt tres Angeli, ita tamen, ut una eſſet voluntas & poteſtas, ac tres Deos vere poſſe dici, modo uſus admitteret. Suæ hujus inſaniæ aſſertores Lanfrancum ArchiEpiſcopum Cantuarienſem, ejusque ſucceſſorem Anſelmum jactitavit, qui poſtremus tamen literis ad Bellovacenſem Epiſcopum datis a Lanfranco & ſeipſo hanc calumniam removit. Rainaldus dein ArchiEpiſcopus Remenſis Sueſſione celebravit Synodum, ubi ſe ad meliorem mentem rediiſſe falſo ſimulavit Roſcellinus, atq; eapropter ab Ivone Carnotenſi graviter eſt admonitus. Unde an ſanior factus ſit, compertum ſibi minus eſſe Autor indicat, & inſequentibus inter epiſtolas C.III.
Goffridi, Abbatis Vindocinenſis & Cardinalis, quadrageſimam ſeptimam libri quarti, a Roſcellino in damnum Roberti de Arbriſello confictam, ac, ut ſæpe fieri aſſolet, Goffridi ſcriptis temere immixtam fuiſſe memorat. Hiſtoriam dein tradit primatus Eccleſiæ Lugdunenſis, a C.V.
Gregorio VII. Papa inſtituti, tum ab Urbano II. in Synodo Claromontana confirmati; nequicquam obſtante interceſſione Richerii, ArchiEpiſcopi Senonenſis, qui datam in Anſegiſo ſedi ſuæ hanc prærogativam contendebat; qua de re Autor etiam ſuperius Lib. VIII. c. 1. p. 485. egerat. Cum Rex Philippus ob illicitas cum Bertrada nuptias excommunicatus eſſet, ferunt aliqui, quod in pœnam ei literis non amplius ſubſcribere licuerit formulam, *regnante Philippo*, ſed *regnante Chriſto.* At hoc commentum Autor explodit, viroſque doctiſſimos allatis compluribus exemplis probaſſe contendit, hanc formulam jam ante excommunicationem Philippi & poſt eius tempora fuiſſe. Imo durante etiam excommunicatione, alteram illam, *regnante Philippo*, adhibitam, e chartis vetuſtis aſſeverat. Expeditionem Hieroſolymitanam, C.VI.
quæ tempora hæc illuſtriora reddidit, pluribus recenſet. Vitam item Petri

C. IX. Petri Abælardi exhibet, & ſub hujus adverſarii, Guilielmi Campellenſis, auſpiciis plurimos in ſuburbanis Pariſienſibus, habitum & diſciplinam Canonicorum Regularium amplexos fuiſſe, latius deducit, poſtquam jam antea de Canonicorum Regularium inſtitutione in univerſum multa diſſeruerat.

TRAITE' DE LA FISTULE DE L' ANUS, par L. Lemonniere.

i. e.

Tractatus de Fiſtula ani, Domino Felici dedicatus a L. Lemonniere.

Pariſiis apud A. Auroy, 1689. in 12. Conſtat plag. dim. 11.

AUtor ſtatim in limine optimam de ſe concitat ſpem, dum Librum de Fiſtula ani illi offert ac dedicat Chirurgo, qui nomine omineque Felix maximum Regem a fiſtulæ talis moleſtia liberavit. Quam etiam non fallit. Nam affectus obſcuri & difficilis naturam, cauſas, & curandi methodum omnem, ſatis perſpicue, & docte etiam, exponit. Neque enim in lectione autorum aliorum hoſpes eſt, neque experientia multiplici deſtitutus videtur; quippe cum in Gallia multo frequentiorem hodie, quam fiebat olim, occurrere affectum hunc aſſeveret. Niſi tamen, quod Autor autumat, curationis Regiæ exemplo illecti, cum antea vel ferri metuerent aciem, vel curari poſſe neſcirent, vel, quod itidem quis poſſet ſuſpicari, præ animi levitate negligerent, nunc poſtquam in Rege bene ceſſiſſe curationem reſciverunt, timore poſito frequentiores ſanandi magiſtros adeunt. Sed his relictis, pauca ex ipſo opere adjiciamus. Præmittit autem Autor noſter initio de Fiſtulis in communi nonnulla, earumque, ut fieri par erat, cauſam & naturam apertam facit. Et illam quidem aſſerit obſtructionem vaſis alicujus ſanguiferi, quod ruptum, liquorem ſuum effundat in carnes. Hinc oriri tumorem, dolorem, inflammationem, & generari pus, quod quia effluere non poſſit, acre fiat & corroſivum, nervoſas fibras rodat, ſibique excavet locum ampliorem, unde ſinus naſcatur, mox in fiſtulam, quoniam exitus non detur, ducto callo, abiturus. Ut autem hæc ita fiant omnia, non ſimplicem abſceſſum ſufficere, ſed præterea vel ſcirrhum glandularum meſenterii,

ſenterii, vel ut tumor ille fiat in ipſis articulis, exiſtimat neceſſarium, ubi nervorum, lymphaticorum, & vaſorum reliquorum congeries, vel etiam ad tendinum inſertiones, vel ut ipſæ glandulæ lædantur, ex iisque ſerum effluat, quod in articulis ſi fiat, ſynoviam appellant. Hanc ille nervorum ſtillicidium hic eſſe arbitratur, mox tamen ſibi non conſtat, quando etiam ex glandulis, aliquando etiam ex oſſe carioſo ſubtus latente fundumque fœdo liquore inquinante credit erumpere.

His ita expoſitis, diagnoſin & prognoſin exequitur diligenter, tum hiſtoriam ani anatomicam, qua præmiſſa, ad ipſas ejus fiſtulas, quod ſibi propoſuerat, transgreditur. Quarum primo cauſas prodit, vulnera, lapſus & contuſionem, quæ in carne molli, laxa, & humore largiter imbuta periculoſiora eſſe monet; ſed & propter ſitum facilius in fiſtulas ulcus excavari, quod humor effuſus nullum inveniat exitum, aciditatem contrahat, & hinc rodendo ſinum, dein ſtatim fiſtulam efficiat. Dehinc accurate tradit differentias fiſtularum ani, & quomodo explorandæ ſint, docet. Tum agit de curandi ratione, & primum aliorum examinat methodum, & tandem monet, unicum in ſectione præſidium eſſe, nihil ſolidi a pharmaceuticis & nominatim injectionibus eſſe expectandum, præter mitigationem dolorum; de cætero eſſe has omnes palliativas, nec morbum certo tollere, aut plenariam reſtitutionem ſpondere.

Ex Chirurgica igitur officina ſalutem expectandam, ex qua tria producit remedia, ligaturam, ferrum, ignem: quorum alterum inſufficiens eſſe, alterum periculoſum contendit, adeoque repudiatis iſtis, unicam ferri aciem eligendam eſſe præcipit.

Pro varia autem fiſtulæ ratione, ex differentiis petenda, variam inſtituit inciſionem. Si fiſtula non tranſit marginem ani, forfice immiſſa, eam diſſecat. Si vero ſubtus ſphincterem in inteſtinum pergat, digitum in anum immittit, in fiſtulam vero, radice gentianæ prius dilatatam, argenteum vel plumbeum ſtylum, longum, tenerum, ut flecti facile queat. Hunc digito arreptum, per anum apertum educit, & junctis utrisque extremis, extrahit totum, & quod ſtylo incumbit, vel forcipe vel ſyringotomo ſubmiſſo, omnino diſſecat. Director prioris operationis eſt digitus in ano, qui ſtylum ſentiens, flectit in oppoſitum, & ne inteſtinum ex oppoſito lædatur, cavet.

Notat vero ita inſtituendam eſſe ſectionem, ne muſculum elevatorem illa corrumpat: hunc enim plus facere ad continentiam excrementorum quam ipſum ſphincterem.

Sectione peracta, conſolidationem, ſublato callo inſtituere docet. Monet autem, Guidonem de Cauliaco in ea eſſe ſententia, non conſumendum eſſe callum, ſed dandam operam, ut magis craſſeſcat. Cui experientiam ait multoties reſpondere: etenim ſanari poſt inciſionem fiſtulas, nullo cothæreticorum vel conſolidantium aliorum auxilio.

Et hæc locum habent, quoties fiſtula utrinque aperta, & ſimplex eſt. In cæca vero, ubi inteſtinum non ſit ab ea perforatum, pertundendam eſſe fiſtulam ſpecillo acuto, flexili, oppoſito, dum adigitur, digito: quo mox ſit extrahendum illud per anum, & ut antea, diſſecandum intermedium.

Quod ſi vero intus aperta ſit fiſtula, cœca foras, ſpeculo ani opus eſſe, quo ille dilatetur, ut inſpici ipſe, foraminulum inveniri, & flexilis ſtylus in illud immitti queat, qui non ſimplex, ut prior ille, ſed in altero extremo acutus ſit & ſecans, in altero vero acus in modum perforatus, ut filum queat ducere. Hoc in foramen fiſtulæ & canalem ejus dextre immiſſo, ſimul perforanda cutis, quo ductus fiſtulæ tendit, & filum traducendum, ut ſecari commode queat. Quod ſi non arrideat, plumbeo ſubſtituto, & quantum fieri poteſt, adacto verſus cutim, ſuper ipſum lanceola ſectionem eſſe inſtituendam.

Difficillimam eſſe rationem, ſi utrumque oſculum in inteſtinum hiet: nec alio tamen quam dictum ſit modo, nempe per ſectionem dilatato ano, curationem fieri: nec tuto relinqui intactum malum; metuendam enim lentam febrim, & inde interitum.

Magni Autor cumprimis facit, & præ cæteris commendat inſtrumentum, quo ad Regem ſanandum uſi ſint D. Felix & Beſſieres, quod capite 13. deſcribit.

Proſpicere docet tandem & omnibus ſymptomatis, & omnem reliquam curandi rationem curate perſequitur, ut neque rectius quisquam hunc morbum deſcripſiſſe, neque, ut tolli debeat, præcepiſſe melius videatur.

PARE-

PARERES, OV AVIS ET CONSEILS SUR LES plus importantes matieres du commerce &c. Par le Sieur Jacques Savary.

i. e.

Jacobi Savarii Conſilia & Reſponſa de præcipuis ac maxime arduis commerciorum cauſis, compluribus ſupremorum tribunalium deciſis munita.

Pariſiis apud Jo. Guignard, 1688. in 4. Alphab. 4. plag. 16.

ANni ſunt quaſi duodeviginti, ex quo ſcripti præſentis Autor *Perfe-*
ctum Negotiatorem publici juris fecit, cujus benigna adeo tum a-
pud Gallos, tum exteros receptio hoc etiam Conſiliorum volumen no-
bis produxit. In quo id ſe dediſſe operam Autor profitetur, ut facto-
rum cumprimis ſpecies juxta ſcripturarum fidem dilucide conſtitue-
rentur, rationum momenta ex utraque parte exacte adducerentur, de-
nique controverſiæ inde reſultantes, ad modum, quo ipſi conſulen-
tes eas propoſuerunt, diſtinctim & citra obſcuritatis notam enoda-
rentur. Cæterum cum id genus librorum, hiſce quidem temporibus, ad
Lectorem noſtrum rarius perveniat, operæ pretium duximus, potio-
ra nonnulla Deciſionum argumenta in compendio exhibere, e quibus
de reliquis judicium inſtitui poſſit. *Conſ. I.* negat ſolam ſubſcriptio-
nem in charta blanca, quam vocant, ſufficere, ut quis literas cambii
ſuas feciſſe credatur; nec cautionem ſine die & expreſſione ejus, quod pag. 5.
in compenſationem pretii quis accepiſſe ſe profitetur, validam cenſeri
putat, ſed ſcribentem dominum literarum permanere, poſſeque man-
datum quandoque aut revocare, aut quo minus juxta id ſolutio fiat, pag. 6.
arreſto uti. *Conſ. III.* tradit, confeſſionem patris, qui ex cauſa ſo-
cietatis cum filio initæ, in certam ſummam ſe debitorem ejus conſti-
tuit, etiam filio nihil præter ſolam operam ac induſtriam conferente,
ſufficere, ut a coheredibus ſolutionem promiſſi conſequatur: ſed &
ſalarium annuum, quod pater ei conſtituerat, jure exigi. *Conſ. VI.* pag. 13.
docet eum, qui ſuo & alieno nomine cambium fieri mandat, non in pag. 15.
ſolidum, ſed de parte tantum ſua teneri. *Conſ. VII.* magna induſtria pag. 41.
defenditur cauſa cujusdam, qui ob nuptias cum filia magiſtri ſui in-
tra annos tyrocinii contractas, vi ſtatutorum e conſortio mercato-

rum arcendus arguebatur. *Conſ. XI.* inita inter aliquos ſocietate ea
lege, ut uno illorum defuncto, reliqui teneantur heredibus ipſius lu-
crum adusque mortis tempus quæſitum, communicare, dubitatum
fuit, utrum nomina etiam pro rata ſuſcipere cogendus ſit? reſpon-
det, ſi qui ſocietatis debitores eo tempore ſolvendo eſſe deſierint,
commune quidem periculum fore, exactione autem eorum, quæ
deductis nominibus in credito ſupererunt, prægravari heredes
pag. 101. non debere. *Conſ. XV.* deciditur, ſocium, ob mutuo acceptam
nomine ſocietatis ab altero ſociorum pecuniam, in ſolidum tene-
ri, quantumvis accipiens pecuniam in proprios uſus convertiſſet.
Conſ. XVIII. denegatur petita in integrum reſtitutio (*à un ban-
quier*) argentario cuidam minorenni, cujus literæ cambii fidem non
pag. 150. invenerant penes eum, in quem dirigebantur. *Conſ. XX.* cæteris li-
terarum cambii requiſitis duo adduntur alia, non minus neceſſaria:
pag. 230. primo ut certum tempus ſolutioni deſtinetur, dein ut accepti valoris
nominatim mentio fiat; quod ſi quid eorum deſit, literas vim nudi
mandati habere cenſetur. *Conſ. XXI.* pravitatis uſurariæ arguitur con-
ventio inter ſocios inita, ut primus, qui ſocietatis nomine negotia-
pag. 244. batur, ſecundo pro rata ſortis ab eo illatæ annuatim decem in centum
ſolveret lucri nomine, reliquum ſibi haberet, ſimul vero & damna
quomodocunque contingentia ſolus ſuſtineret. Cui jungi meretur
alia ejusdem materiæ deciſio *in conſ. 66. Conſ. XXX.* probat, literis
pag. 250. cambii deperditis, poſſe quandoque agi, ut aliæ earum loco præſten-
tur. *Conſ. XXXI.* negat fidem mereri viduam mercatoris defuncti,
quæ mariti libros ac diaria edere juſſa, maritum libros tales confeciſ-
pag. 319. ſe inficiatur; adeo, ut adverſus edere detrectantem, æquum ducat,
admitti quandoque debitorem, quo ſuis e libris factam ſolutionem
pag. 324. probet. *Conſ. XL.* proponitur, ſocios duos inter ſe pactos eſſe, ut ad
unum duæ partes & lucri & damni pertineant, ad alterum tertia.
pag. 326. Quod pactum cum unius heredes contrariis factis variisque præſum-
tionibus immutatum crederent, iis tamen nequicquam obſtantibus
firmum validumque judicatum eſt. *Conſ. XLVII.* tum alia nonnulla
notatu digniſſima cambiorum requiſita traduntur; tum circa dilatio-
pag. 464. nes in his concedi ſolitas, & a quo die computandi initium fieri debe-
at, diſquiſitio inſtituitur. *Conſ. LI. & LVI.* quando is, qui impetra-
tis literis cambii, ſolutionem alteri exigendam committit, hoc bonis

lapſo,

ipſo, mutare voluntatem & literas revocare valeat, diſtincte exponitur. *Conſ. LIX.* placuit, mercatorum numero habendos non omnino eſſe eos, qui ſocietati, navigationes in diſſitas terras exercenti intersunt. *Conſ. LXVIII.* probat ſocium, ob reliqua ſocietatis cauſa contracta, ante redditas utrinque rationes, in mora non conſtitui, nec proin ad uſuras aut intereſſe teneri. *Conſ. pen. & ultimo*, quam diligentiam is, qui literas cambii impetravit, tam ex parte dantis, quam ex parte acceptantis adhibere obſtrictus ſit: nec non ad quem periculum moræ, circa literas cambii commiſſæ, ſpectet, pluribus declaratur. pag. 534. pag. 625. 681. pag. 702. pag. 757. pag. 762. pag. 773.

DEL CANE DI DIOGENE OPERA MASSIMA del P. Franceſco Fulvio Frugoni, Minimo.

h. e.

Opus maximum de Cane Diogenis, autore R. P. Franciſco Fulvio Frugoni, Minimo.

Venetiis apud Anton Broſium, 1689. in 8. Alph. 12. pl. 14.

MAgnifico dicendi genere ac dictione, rhetorum imprimis poetarumque floſculis conſperſa, inſigniter delectari Italos, quamplurimi eorundem libri vernaculo ſermone concinnati teſtantur, tum vel maxime ex præſentis hujus lectione conſtare poterit. Nam qua ratione, & quo ſit elaboratus ſtylo, haud difficile eſt judicare, cum titulo gaudeat *Canis Diogenis*. Autorem agnoſcit *P. Franciſcum Fulvium Frugoni* Genua oriundum, Ordinis Minimorum Monachum, qui jamjam moriturus, operi huic ſuo edendo quendam *Franciſcum Aſſaretum* præfecit, a quo illud editum ac Auguſtiſſimo Imperatori Leopoldo fuit dedicatum.

Inſcribitur Opus, *Canis Diogenis*, qui hilari vultu virtuti abblandiens, vitia vero indeſinenter allatrans proponitur. Huic Cani in Prolegomenis diverſa Autor attribuit nomina, ita ut eundem nunc *Moloſſum*, nunc egregium *Melampum*, imo & *ſuum* nuncupet, eo quod hunc, ceu proprium ingenii fœtum, nemine obſtetricante, ſolus enixus ſit, omniumque bonorum cenſuræ nunc ſubmittat. Inſtituti

rationem porro reddit. Scilicet cum animadvertiſſet, moribus hodiernis innocentiam opprimi, juſtitiam jusq; omne corrumpi, merita præſtantiſſimorum virorum negligi, iisdemq; gentem incultam atq; ab omni doctrina vacuam dominari, ac impietatem inſtar lupæ famelicæ ſub ovina latere pelle, omnino opus eſſe putat moloſſis, i.e. viris egregiis rectique amantibus, qui ſola honeſtatis veritatisque ratione habita, pudenda corruptiſſimorum hominum facta perſtringant. Se itaque, cum perpetuum vitiis indicere bellum conſtituiſſet, librum hunc ſuum titulo *Canis* inſignire voluiſſe, & quidem *Diogenis*, quem Philoſophum in caſtigandis mortalium perditiſſimis moribus, ſibi imitandum propoſuerit. Stylo uſum ſe memorat, ſuaſpre imprimis *Emanuele Theſauro*, amico ſuo integerrimo, non adeo perſpicuo ac ſimplici, verum metaphorico & ſublimiori, ut aculei in legentium animis relinquerentur, hisque ſimul varia inde conjiciendi ſubminiſtraretur anſa. Neutiquam autem ſibi placere aſſerit rationem ſcribendi vel *Petronii Arbitri*, vel *Luciani Samoſatenſis*, quamvis uterq; puritate dictionis præ cæteris excellat; quippe qui nefario excitandi in hominibus libidines, eosdemque mire traducendi laborarint ſtudio. Ex recentioribus, quos ex parte ſequeretur, elegiſſe ſe *Lipſium* atque *Barclajum*, quorum exemplo ductus, Poetarum quoque ſententias Operi ſuo, Pariſiis quindecim annorum ſpatio elaborato, paſſim inſperſerit.

In *Apologetico*, ac *Complemento*, quæ una cum nonnullis aliis partem *Prolegomenorum* conſtituunt, ſcripta ſua adverſus maledicorum quorundam, mordacitatis illa inſimulantium, obtrectationes Autor defendit, affirmans, ejusmodi criminationes ab illo potiſſimum hominum genere proficiſci, qui ob ſcelerum ſuorum detectionem tactos ſe eſſe ſentiant: ſe enim honeſtam cenſendi libertatem adhibuiſſe; neque ſibi ullam eſſe ab his ſperandam mercedem, verum a ſolis vitiorum oſoribus, quibus unice placere ſemper ſtuduerit.

Addita inſuper ſunt Elogia a perſonis ſumma in dignitate conſtitutis profecta, quæ Autori, dum viveret, fuere transmiſſa, quæq; ad peculiarem titulum Editor retulit, ſubque nomine *Collaris pretioſi*, quo nimirum Canis hic cingendus, comprehendi voluit.

Tractatus ipſe abſolvitur ſeptem, quos vocat Autor, *Latratibus*; qui varios complectuntur Diſcurſus. Primi Latratus ſequentes ſunt:

Schola

Schola Antiſthenis, Fons Bacchi, Modus Immoderatus. Secundi: *Bibliotheca Attici, Athenæ Explorata.* Tertii: *Aulæ Aſiaticæ, Solitarius in viam reductus.* Quarti: *Patroni mutati, Caſus & Accidentia varia.* Quinti: *Tribunal Critices.* Sexti: *Navigium Charontis.* Septimi: *Lucerna Cynici.*

In calce denique hujus operis adjectus eſt Catalogus librorum Autoris, tum ineditorum, tum illorum, qui a ſuperſtite adhuc inlucem producti ſunt.

DE REBUS VLTRAJECTINIS ET IMPRIMIS de Bello cum Covordenſibus, Tarantiis, ſeu Drentinis, olim geſto, AVCTORIS INCERTI NARRATIO HISTORICA, ab A. M C XXXVIII, quo nactus Epiſcopatum Herbertus de Berum, usque ad A. M CC XXXIII. Ex Eccleſiæ Trajectenſis MS. primus eruit, & notis aliquot illuſtravit ANTONIVS MATTHEVS, Juris in Illuſtri Academia Lugduno-Batava Anteceſſor.

Lugduni Batavorum, typis Huberti van der Boxe, 1690. in 4. Conſtat 1. Alph. 8½. plag.

DEdicavit Opus hoc Editor celeberrimus inclyto Majoris Eccleſiæ Trajectenſis Collegio, in cujus archivis MSS. diu antea neglectum repererat. Laudat multis verbis hujus regimen Eccleſiæ, & antiquiſſimam Decani ac Officialis in reliquos provinciæ rectores juriſdictionem poteſtatemque, ſpiritualem pariter ac ſecularem, aliquot diplomatibus confirmat; tum & ipſius Eccleſiæ immunitates, amplitudinem aliaque luculenter deſcribit. Autorem Operis Friſium fuiſſe natione, non dubitat, veterem, & probum, & qui ad poſteros non transmiſerit, niſi viſa & comperta, aut quæ ad minimum a Viris illuſtribus, quorum mentio in hac *Collatione* fit, audita & accepta fuere.

Opus ipſum confeſſum veluti virorum fide ac prudentia conſpicuorum pandit, quæ apud Gröninganos, Covordenſes atque Trentones olim geſta erant, Wilbrando, Trajectenſis Eccleſiæ triceſimo Epiſcopo, diligenter iſta inquirenti, enarrantium. Sed ea quidem in compendio ut hic repetamus, fuerit fortaſſe vel ſupervacaneum, vel

vel ob bellorum caſuumque varietatem prolixum nimis atque tædioſum.

Itaque ex notis ſolum Antonii Matthæi pauca ſpeciminis loco delibabimus. In iis autem id egit præcipue, ut obſcuriores barbarasque voces, quibus ſcatet Autor, explicaret, interſperſis quoq; aliis nonnullis chartis ac diplomatibus, quæ ad horum temporum hiſtoriam quam maxime facere videbantur. Ita Friſiam, Imperii & Auſtraſiæ olim partem, Duces primum, mox Reges ſuos habuiſſe memorat, quorum primus fuerit *Richoldus* circa A.C 396, ultimus *Radbodus* II. a Carolo M. debellatus Friſiaque ejectus; unde Præſidem poſtmodum provinciæ impoſitum, usque ad tempora Ludovici Germanici, cui, regni diviſione inter fratres facta, dein ceſſerit; donec ea ab Henrico IV. Epiſcopo Trajectenſi, a Lothario II. Hollandiæ Comiti ſuerit conceſſa, *p. 87. 88*, ex veteri Friſiæ Chronico, cujus *Occa Scharlenſis* Autor, probat. *P. 107.* inter *xenium* atque *exenium* omnino intereſſe aliquid apud mediæ ætatis Scriptores obſervat, quod illud munuſculum tantum, idque voluntarium, hoc vero ſervitium neceſſario præſtandum innuat. Varias *allodii* ſignificationes dum *p. 118.* recenſet, indiſtincte, quicquid alii non obnoxium, ſignificaſſe aſſerit. Vocem eſſe ait mere Germanicam, indeque non cum *Alteſerra a laude* deducendam. Electionem Epiſcopi Ultrajectini dum *p. 119. ſeq.* deſcribit, eam a quinque Eccleſiarum Canonicis factam oſtendit. Confirmationem, cum Cæſaris primum eſſet, Papam ſibi poſtmodum arrogaſſe, ad eamque obtinendam immenſis ſumtibus fuiſſe opus, cum Pontifex non tantum ipſe, ſed & ſinguli ejus familiares, actuarii, domeſtici, aliique aulæ primores muneribus placandi fuerint. Imprimis *p. 137. ſeq.* in morem illum invehitur, quo, poſtquam Epiſcopus e vivis exceſſerat, familiares, domeſtici, & qui Epiſcopo ab officiis ſervitiisque fuerant, ſupellectilem diripiebant, quibusque fuerit edictis vititus enarrat. *p. 155.* Saracenos omnino a Sara dictos, contra Scaligerum aliosque veriſimilius putat. Hiſtoriam obſidionis Accaronis, quæ & *Ptolemais*, atque Belgis olim *Akers* dicta, nondum hactenus viſam, quæ & urbis contineat deſcriptionem, & multa alia ſingularia vix alibi ita extantia, in ſcriniis ſe adhuc ſervare, indicat *p. 156.* nec detrectare editionem, ſi quis typographus petat. Denique *p. 179. ſq.* aliam adhuc *de Præliis Trajectenſium cum Hollandis Narrationem,*

quam

eidem codici, ex quo Opus hoc de Rebus Ultrajectinis exſcripſerit, inſertam fuiſſe teſtatur, exhibet, ſuisque itidem notis illuſtrat.

HISTOIRE d' OLIVIER CROMVVEL.

i. e.

Hiſtoria Oliverii Cromvelli.

Juxta exemplar Pariſienſe 1691. in 12. Pl. 17.

AUtor in dedicatione ad *Boſſuetum* Epiſcopum Meldenſem nomen prodit *Raguenet*. In Admonitione ad Lectorem indicem librorum, quibus in componenda hac hiſtoria uſus fuerit, ſubjungit. Inter alios citat *Davidis Jenkins* tractatum qui *Lex terræ* inſcribitur, *Guilielmi Urſini de Rivo* Vindicias pro Rege Angliæ, *Claudii Salmaſii* Defenſionem Regiam, & quæ ei oppoſita eſt, *Johannis Miltoni* Defenſionem pro populo Anglicano, *Georgii Batei* Elenchum motuum nuperorum in Anglia, *Caſparis Ziegleri* Exercitationes circa Regicidium Anglicanum, *D. Jacobi Schalleri* Theologi Argentoratenſis Diſſertationes ad quædam loca Miltoni; dein *Majolini Baſaccionis* librum de bello civili Anglicano, Italice ſcriptum & a *Didaco Philippo Albornoz* Hiſpanice verſum, *Roberti Menteis de Salmonet* Hiſtoriam de motibus Britanniæ, *Galardi* Tyrannidem felicem ſeu Cromvellum Politicum, *Thomam Gumbleum* in Vita ducis Monckii, *Gualdum Prioratum* in Hiſtoria Gallica, *Gregorium Letum* in Theatro Britannico. Prætterimus, quos recenſet, Pſeudonymos & Anonymos, item Acta, Decreta, Orationes aliaque ſcripta judicialia & apologetica typis vulgata. Adducit & Manuſcripta quædam, Abbatis puta *Montegutii* & Marchionis *Ruvignii*, quibus tamen parum ſe adjutum eſſe ait; didiciſſe autem quædam ex ſermonibus hominum, qui dominante Cromvello Londini ſint verſati. Num vero Autor apparatu, quem diximus, non plane nullo inſtructus veritati ubique litaverit, ut fides illi in omnibus tuto poſſit adhiberi, Lectorum eſto judicium. Nobis certe in tumultuaria libri perluſtratione occurrerunt nonnulla, quorum veritas vocari in dubium poteſt, ac temporum inprimis ratio viſa nonnunquam fuit mire turbata. Cæterum non ineleganti ſtylo opus hoc Autor concinnavit, cui & ornatus quidam ab iconibus numorum iſta tempeſtate cuſorum acceſſit. Hiſtoria ipſa mirandis caſibus & judicio-

rum divinorum exemplis inſignis, facile Lectorem allicit & detinet: quæ cauſa eſt, cur dignus quoque nonnemini viſus libellus fuerit, qui in Germanicam linguam transfunderetur; quo idiomate Francofurti ad Mœnum prodiit.

Nobis contenta libri, qui omnium in manibus dudum verſatur, recenſere ſupervacaneum fuit viſum, imo & incommodum, cum tanta rerum in eo obviarum copia ac varietas in compendium redigi non poſſit. Itaque in gratiam Lectoris, ut caute Autorem tractet, & ſcriptores quoque alios in concilium adhibeat, ex iis, quæ emendationem requirere viſa nobis ſunt, duo tantum hic indicabimus.

pag. 73. ſqq. L. I. Autor memorat, Cromvellum, poſtquam A. 1643. Cantabrigienſes, qui Regi Carolo ſtudebant, juſſu Parlamenti caſtigaſſet, Oxonium quoque, quod receſſum Regi præbuiſſet, cum exercitu profectum, ibique inſignem Academiæ bibliothecam, plusquam quadraginta codicum millia multorum ſeculorum ſpatio ex diverſis orbis partibus collecta complexam, uno mane comburi curaſſe. Ubi Autorem falli, palam eſt. Nam etſi iſto tempore Cantabrigiam Cromvellus omni malorum genere afflixit, Oxonium tamen, quam urbem iſto & ſequentibus duobus annis Rex in poteſtate habuit, ingreſſus non eſt; multo minus bibliothecam cremavit, quam conſtat hodieque illibatam nullique toto orbe ſecundam conſervari.

pag. 256. Libr. IV. refert Autor, Cromvellum, poſtquam pacem cum Fœderati Belgii Ordinibus iniviſſet, bellum adverſus Chriſtianam Suecorum Reginam meditatum quidem fuiſſe, ſed hoc conſilium abjeciſſe, quod Carolum II. a Scotis Regem proclamatum in Angliam irrupiſſe cognoviſſet, Itaque adverſus hunc potius duxiſſe, eumque conſerto ad Vigornium prælio profligaſſe. Sed antichroniſmus hic non eſt excuſabilis. Quotusquisque enim eſt, qui neſciat, Vigornienſe prælium jam anno quinquageſimo ſecundo commiſſum, pacem vero cum Batavis anno demum quinquageſimo quarto conſtitutam fuiſſe?

VIRI

VIRI CL. GULIELMI CAMDENI ET ILLUSTRIUM Virorum ad G. CAMDENUM Epiſtolæ, cum Appendice varii argumenti. Acceſſerunt Annalium Regni Regis Jacobi I. Apparatus &c. Præmittitur G. Camdeni Vita, Scriptore THOMA SMITHO. S.T.D.

Londini impenſis Richardi Chisvvelli, 1691, in 4.

Conſtant alphab. 3. & plag. 8.

INter præcipua, quæ in fine ſuperioris & ab initio noſtri hujus emicuerunt ſeculi, eruditionis lumina referendus etiam jure meritoque eſt GULIELMUS CAMDENUS. Tantopere enim & ingenii monumentis, quæ edidit, & amicitiis, quas cum Viris doctrina & famæ claritudine illuſtribus contractas coluit, ut pauci ſint, qui ipſum ſuperent. Ut vero poſt tantum temporis ſpatium, ex quo *Camdenus* mortalium numero exemtus eſt, ejus memoria in animis & bibliothecis eruditorum hominum renovaretur, effecit Vir admodum reverendus THOMAS SMITHUS, S. T. D. evulgatis in publicum *Camdeni epiſtolis*, & quas ad eum exaraverunt Viri clariſſimi, præmiſſa etiam accurata *Vitæ Camdenianæ* deſcriptione. Ne itaque tanti Viri merita ſegnius agnoviſſe, aut proſecuti veneratione videamur, tum ex Vita ejus, tum ex Epiſtolis, pro inſtituti ratione, aliqua ſubjungemus.

GULIELMUS CAMDENUS Londini natus eſt d. XI. Maji anni CIↃ IↃ LI, patrem agnoſcens *Samſonem Gulielmum*, arti pictoriæ addictum, cæterum mediocris fortunæ virum; ac matrem ex prænobili familia *Curvvennorum* Wirkintonæ in Cumbria oriundam. Quamvis autem patre mature admodum orbaretur, non tamen a ſtudiis, quorum ſemel amore correptus erat, abſtrahi ſe patiebatur, indeque cum anno duodecimo ætatis peſte infeſtatus evaſiſſet incolumis, mox ad ſcholam Coletinam ſe recipiebat, & cum artibus humanioribus, quibus adoleſcentia impertiri ſolet, probe expolitus eſſet, paulo poſt in Academiam Oxonienſem ſe conferebat; ubi quidem per tempus aliquod ſubſtitit, per varia ſcientiarum genera ſe circumvolutans, ſed cum paulo iniquiorem fortunam experiretur, opibus, quibus academica vita toleranda eſt, deſtitutus, Londinum

anno cIↃ IↃ LXXI repetendum ipſi fuit. Hic cum eſſet, factum eſt, ut propter inſignem virtutem & induſtriam, quibus mire præſtabat, in ſui amorem invitaret Viros clariſſimos, eosque fraterno amore ſibi conjunctos, *Gabrielem* & *Gothofredum Goodmannos*, qui non tantum neceſſariis ſubſidiis eum ſublevarunt, ſed ex quibus & Gabriel, Eccleſiæ Collegiatæ Weſtmonaſterienſis Decanus, anno cIↃ IↃ LXXV regiæ ſcholæ eum, utpote Græcæ & Latinæ linguæ ſcientiſſimum, *hypodidaſcalum* conſtituit. Hic itaque cum extra ſiniſtræ ſortis impetum lautius paulo & ſplendidius viveret, commodam occaſionem ſibi præberi exiſtimabat, ut tanto ferventius in bonas literas incumberet; unde & mox in ſummam nominis celebritatem perveniebat, a Viris eruditionis laude inſignioribus in familiaritatem receptus, puta a *Thoma Savilio*, *Thoma Alleno*, *Henrico Parrajo*, *Milone Smithæo*, *Henrico Cuffio*, *Richardo Thomſono*, *Alberico Gentili*, *Jo. Hottomanno*, *Franciſco Pithœo* aliisque pluribus. Quamvis vero laboribus hiſce ſcholaſticis jam diſtringeretur, non intermittebat tamen vigorem ingenii ulterius expromere atque poſteritati operari. Inter cætera autem, quæ excolere pergebat, ſtudiorum genera, maxime ad hiſtoriæ & antiquitatis Britannicæ notitiam eruendam ſe applicabat, tum quod impulſu quodam naturæ eam ad rem ſe trahi perſentiſceret, tum quod a nobiliſſimo Juvene, Philippo Sidnejo, ſtimuli ipſi adderentur. Cum vero vix ſperandum videretur, ut gentis Britannicæ origines, mores, inſtituta reconditasque antiquitates e ſpiſſis, quibus per tot ſecula circumſeptæ quaſi fuerant, tenebris eruere poſſet ſine linguarum cognitione, quibus primi incolæ, & qui ipſis poſtea ſucceſſerant, uſi erant, utriusque linguæ, tum Britannicæ, tum Saxonicæ uſum ſibi familiarem reddebat, & præter varii generis auctores, Græcos & Latinos, qui ab omni ævo de Britannia literarum monumentis aliquid commendarunt, ſcriptores patrios, aliosque qui vel ex tabulariis vel ex archivis publicis & bibliothecis aliquid in publicum dederant, conſulebat. Præterea magnam Angliæ partem, quam lem & jam olim obierat, variis itineribus peragratam luſtrabat, Romanorum viis, manſionibus militaribus, antiquitatumque veſtigiis curioſiſſima diligentia exploratis; unde magis adhuc diffuſa jam pridem nominis ejus fama increbeſcebat. Sic accidit enim, ut cum *Barnabas Briſſonius* Senatus Pariſienſis eo tempore princeps, in le-

in legatione ſplendidiſſima ad Eliſabetham Reginam anno cIↄ Iↄ LXXXI miſſus eſſet, *Camdeni* nondum trigeſimum ætatis annum ſupergreſſi amicitiam ultro expeteret. Poſteaquam igitur a Viris eruditiſſimis, Munſtero, Ortelio, Lipſio, Surita, Opſopæo, Vellero aliisque antiquitatis & geographiæ promis condis magna ſubſidia ſuppeditata in uſum ſuum ſcienter convertiſſet, anno octogeſimo ſexto *Britanniam* exire patiebatur, opus ab omnibus ſtatim, qui reconditioribus literis pretium ſtatuere didicerant, in ſummo pretio habitum; id quod iteratæ toties editiones 1587, 1594, 1600, 1607. ſatis indicabant. Neque nunc vel ab eruditis non deſideratur, vel a Bibliopolis inſuper habetur: ita enim hoc ipſo tempore in Belgio elegantiſſimis literis excudi librum, amicorum nos docent literæ. Cæterum biennium poſt editam prima vice Britanniam Jo. Pierſius Sarisburienſis Epiſcopus *Camdenum* noſtrum ad *Præbendam* Illfarcombæ in agro Devonienſi ſitam promovebat, quam dignitatem ad mortem usque retinuit. Sed cum anno cIↄ Iↄ XCIII *Edvvardus Grantus*, qui hactenus Weſtmonaſterienſem ſcholam rexerat, vivendi finem feciſſet, nemo dignior repertus eſt, quam Camdenus, qui ejus in locum ſufficeretur; id quod tamen gradus tantummodo ad dignitatem ſplendidiorem fuit. Nam cum Vir Cl. *Richardus Leighus*, Armorum Rex ſub titulo *Clarentii* mortalitatem expleviſſet, quod factum anno cIↄ Iↄ XCVII, precibus pro *Camdeno* intercedente illuſtri viro *Fulcone Grevillo*, regiæ claſſis Theſaurario, qui dignitatem hanc meritis Camdenianis deberi aſſeverabat, ſplendidiſſimo huic muneri a Regina Eliſabetha præfectus eſt. Ubi non incommoda digreſſione annotat reverendus vitæ hujus *Auctor*, *Collegium Fecialium*, in quod cooptandus tum erat *Camdenus* a Rege Richardo III. d. 2. Martii cIↄ cccc LXXXIV ſtabilitum, & poſtea cIↄ Iↄ LV a Philippo & Maria confirmatum fuiſſe; conſtare autem ex tribus *Regibus*, ſex *Heraldis* & quatuor *Proſecutoribus*, quorum ſinguli propriis inſigniantur titulis, hoc quidem ordine: *Garterius* ſive a Periſcelide *Clarentius*, ſive in auſtralibus Angliæ provinciis, & *Norreyus* in borealibus ultra Trentam regionibus; & ſic in Heraldis & Proſecutoribus. Quam ſplendidam dignitatem uti omnes boni gratulabantur *Camdeno*; ita limis eandem oculis intuebatur *Radulphus Brookus* ſeu vero nomine *Brooksmuthus*, Heraldus, titulo Eboracenſis, utpote qui munus hoc

magnificum ſibi ereptum dolens, contra Britanniam Camdeni anno cIↄ Iↄ XCIX librum calumniis refertiſſimum evulgabat, quaſi *Camdenus*, quæ fraudi eſſent Britanniæ, in eodem ſcripſiſſet; cui tamen anno ſequenti reſpondebat ipſe, adverſarii objectionibus abunde ſatisfaciens. Neque abſterreri ſe criminationibus ejusmodi ſinebat, ut non porro de patria bene mereretur; nam anno cIↄ Iↄc III ex ſua Bibliotheca auctores rerum Britannicarum, *Aſſerium Meneuenſem, Anonymum de vita Gulielmi Conqueſtoris, Thomam Walſinghamium, Thomam De la More, Gulielmum Gemeticenſem, & Giraldum Cambrenſem*, aut primum edebat, aut ad fidem MSS. Codicum emendatos noviterque perpolitos in publicum ſiſtebat. Sed & jam anno cIↄ Iↄc *Inſcriptiones* varias, Epitaphia varia, & quicquid in cippis inſignium depictum invenerat, ac præcipue monumenta, quæ in templis ſacellisque collegiorum Academiæ Oxonienſis, & in Baſilica S. Petri Weſtmonaſterienſis proſtantia conſpiciuntur, excudi ſuppreſſo nomine ſuo fecerat. Cumque, ut fama pervulgatum eſt, a Pontificiarum partium viris pulveraria illa conjuratio facta eſſet, nemo, quam *Camdenus*, aptior reperiebatur, qui rem illam ſtylo facili, ſed gravi tamen eo & ad rem accommodato, ſeculorum memoriæ traderet. Unde ex verſione ejus prodiit celebris liber, qui *Actio in Heinricum Garnetum, Societatis Jeſuiticæ in Anglia Superiorem, & cæteros* &c. inſcribitur. Poſtquam vero anno cIↄ Iↄc VII. ultima vice, ſed multis acceſſionibus auctam & emendatam *Britanniam* emiſiſſet, honeſtum jam ſenectuti otium quærens, *Cheſilburſtum* oppidum ad decimum lapidem a Londino diſſitum petebat, ut ſibi nimirum viveret, atque ad placidam mortem ſeſe componeret. Ubi tamen ab hoc tempore, quod ſubjectæ *epiſtolæ* docent, ejus amicitiam ambitioſe admodum expetebant, qui vel in Anglia vel alibi terrarum ad eruditionis aliquam laudem adſpiraverant; quos inter præter ſupra numeratos, *Peireſcius, Bongarſius, Columna, Limerius, Petrus Puteanus, Janus Gruterus, And. Schottus & alii plures*, amore atque obſervantia cumprimis ipſum proſequebantur. Anno demum cIↄ Iↄc XV *Annales rerum Anglicarum & Hibernicarum regnante Eliſabetha ad annum ſalutis cIↄ Iↄ LXXXIX* Reipublicæ literariæ exhibebat, poſtquam jam ab anno cIↄ Iↄ XCVII a Gulielmo Cecilio Burlejo ad id invitatus eſſet. *Tomum* vero *ſecundum*, licet jam cIↄ Iↄc, ut ex *epiſt. CXLVII & CLV* ad Pe-

ad Petrum Puteanum patet, coronidem ei impoſuerit, edi noluit, quæcunque etiam machinæ eidem propterea admoverentur, moleſtiam invidiam, obtrectationem atque odium a malevolis reformidans. Ne tamen intercideret, apographum fideliſſime exſcriptum (archetypo, quod in Bibliotheca Cottoniana conſervatur, apud ſe retento) tanquam ſacrum depoſitum Puteani fidei & curæ concredidit. Ut vero inſigne hoc opus perfectius multisque additamentis, quæ ab ipſa Camdeni manu profecta ſunt, auctius prodeat, curaturum ſe aliquando pollicetur doctiſſimus *Smithus.*

Denique emenſo pene vitæ ſpatio, Camdenus, ut de patria, de poſteris, atque de literis in univerſum poſt ultima etiam fata bene mereretur, de inſtituenda *hiſtoriarum prælectione* in Academia Oxonienſi cogitationes ſuſcipiebat; quod cum Academiæ gratum fore comperiſſet, virum Cl. *Degoreum Whearum*, Collegii Oxonienſis nuper ſocium, ad virorum illuſtrium commendationem, ad munus hoc obeundum nominabat, illi & ſucceſſoribus poſt tertium annum (nam primo XX libras, ſecundo XL percepturi erant) *CXL librarum ſterlingarum* ſalario in perpetuum aſſignato, id quod factum anno CIↃ IↃC XXII. Atque ita cum teſtamentum prius condidiſſet, librosque ſuos omnes, tam manuſcriptos quam impreſſos, & quicquid erat librariæ ſupellectilis, nobiliſſimo viro, *Roberto Cottono* Equiti & Baronetto transſcripſiſſet, relictis tamen amicis etiam aliis in ſui memoriam legatis variis A. 1623 die 9 Novembris, anno ſeptuageſimo ætatis nondum expleto, in villa ſua Chiſilhurſtana vitam cum morte commutabat, maxima exequiarum pompa, prout decebat, elatus. Poſt mortem ipſius decretum ab illuſtri Academia Oxonienſi eſt, ut *propter ſummam in academiam Oxonienſem munificentiam* in numerum benefactorum adſciſceretur, & cum cæteris benefactoribus, Regibus & Reginis, Archi-Epiſcopis & Epiſcopis, regnique Proceribus & Magnatibus, ſtatis ſolennitatibus, quas religioſe obſervat Academia illa, expreſſo nomine recenſeretur.

Jam, cum ad *Epiſtolas* ipſas acceſſerimus, notandum ante omnia eſt, non Camdeni tantum, quæ minimam ipſarum partem faciunt, ſed & Virorum eruditiſſimorum ad Camdenum, ut G. Becheri, Iſaaci Caſauboni, Davidis Chytræi, Jani Gruteri, J. Hottomanni, M. F. Limerii, Juſti Lipſii, Friderici Lindenbrogii, Pauli Me-

rulæ

magnificum ſibi ereptum dolens, contra Britanniam Camdeni anno ciɔ iɔ XCIX librum calumniis refertiſſimum evulgabat, quaſi *Camdenus*, quæ fraudi eſſent Britanniæ, in eodem ſcripſiſſet; cui tamen anno ſequenti reſpondebat ipſe, adverſarii objectionibus abunde ſatisfaciens. Neque abſterreri ſe criminationibus ejusmodi ſinebat, ut non porro de patria bene mereretur; nam anno ciɔ iɔc III ex ſua Bibliotheca auctores rerum Britannicarum, *Aſſerium Menevenſem, Anonymum de vita Gulielmi Conquaſtoris, Thomam Walſinghamium, Thomam De la More, Gulielmum Gemeticenſem, & Giraldum Cambrenſem*, aut primum edebat, aut ad fidem MSS. Codicum emendatos noviterque perpolitos in publicum ſiſtebat. Sed & jam anno ciɔ iɔc *Inſcriptiones* varias, Epitaphia varia, & quicquid in cippis inſignium depictum invenerat, ac præcipue monumenta, quæ in templis ſacellisque collegiorum Academiæ Oxonienſis, & in Baſilica S. Petri Weſtmonaſterienſis proſtantia conſpiciuntur, excudi ſuppreſſo nomine ſuo fecerat. Cumque, ut fama pervulgatum eſt, a Pontificiarum partium viris pulveraria illa conjuratio facta eſſet, nemo, quam *Camdenus*, aptior reperiebatur, qui rem illam ſtylo facili, ſed gravi tamen eo & ad rem accommodato, ſeculorum memoriæ traderet. Unde ex verſione ejus prodiit celebris liber, qui *Actio in Heinricum Garnetum, Societatis Jeſuiticæ in Anglia Superiorem, & cæteros* &c. inſcribitur. Poſtquam vero anno ciɔ iɔc VII. ultima vice, ſed multis acceſſionibus auctam & emendatam *Britanniam* emiſiſſet, honeſtum jam ſenectuti otium quærens, *Cheſilburſtum* oppidum ad decimum lapidem a Londino diſſitum petebat, ut ſibi nimirum viveret, atque ad placidam mortem ſeſe componeret. Ubi tamen ab hoc tempore, quod ſubjectæ *epiſtolæ* docent, ejus amicitiam ambitioſe admodum expetebant, qui vel in Anglia vel alibi terrarum ad eruditionis aliquam laudem adſpiraverant; quos inter præter ſupra numeratos, *Peireſcius, Bongarſius, Columna, Limerius, Petrus Puteanus, Janus Gruterus, And. Schottus & alii plures*, amore atque obſervantia cumprimis ipſum proſequebantur. Anno demum ciɔ iɔc XV *Annales rerum Anglicarum & Hibernicarum regnante Eliſabetha ad annum ſalutis* ciɔ iɔ *LXXXIX* Reipublicæ literariæ exhibebat, poſtquam jam ab anno ciɔ iɔ XCVII a Gulielmo Cecilio Burlejo ad id invitatus eſſet. *Tomum* vero *ſecundum*, licet jam ciɔ iɔc, ut ex *epiſt. CXLVII & CLV*

ad Pe-

ad Petrum Puteanum patet, coronidem ei impoſuerit, edi noluit, quæcunque etiam machinæ eidem propterea admoverentur, moleſtiam, invidiam, obtrectationem atque odium a malevolis reformidans. Ne tamen intercideret, apographum fideliſſime exſcriptum (archetypo, quod in Bibliotheca Cottoniana conſervatur, apud ſe retento) tanquam ſacrum depoſitum Puteani fidei & curæ concredidit. Ut vero inſigne hoc opus perfectius multisque additamentis, quæ ab ipſa Camdeni manu profecta ſunt, auctius prodeat, curaturum ſe aliquando pollicetur doctiſſimus *Smithus*.

Denique emenſo pene vitæ ſpatio, Camdenus, ut de patria, de poſteris, atque de literis in univerſum poſt ultima etiam fata bene mereretur, de inſtituenda *hiſtoriarum prælectione* in Academia Oxonienſi cogitationes ſuſcipiebat; quod cum Academiæ gratum fore comperiſſet, virum Cl. *Degoreum Whearum*, Collegii Oxonienſis nuper ſocium, ad virorum illuſtrium commendationem, ad munus hoc obeundum nominabat, illi & ſucceſſoribus poſt tertium annum (nam primo XX libras, ſecundo XL percepturi erant) *CXL librarum ſterlingarum* ſalario in perpetuum aſſignato, id quod factum anno CIↃ IↃC XXII. Atque ita cum teſtamentum prius condidiſſet, librosque ſuos omnes, tam manuſcriptos quam impreſſos, & quicquid erat librariæ ſupellectilis, nobiliſſimo viro, *Roberto Cottono* Equiti & Baronetto transſcripſiſſet, relictis tamen amicis etiam aliis in ſui memoriam legatis variis A. 1623 die 9 Novembris, anno ſeptuageſimo ætatis nondum expleto, in villa ſua Chiſilhurſtana vitam cum morte commutabat, maxima exequiarum pompa, prout decebat, elatus. Poſt mortem ipſius decretum ab illuſtri Academia Oxonienſi eſt, ut *propter ſummam in academiam Oxonienſem munificentiam* in numerum benefactorum adſciſceretur, & cum cæteris benefactoribus, Regibus & Reginis, Archi-Epiſcopis & Epiſcopis, regnique Proceribus & Magnatibus, ſtatis ſolennitatibus, quas religioſe obſervat Academia illa, expreſſo nomine recenſeretur.

Jam, cum ad *Epiſtolas* ipſas acceſſerimus, notandum ante omnia eſt, non Camdeni tantum, quæ minimam ipſarum partem faciunt, ſed & Virorum eruditiſſimorum ad Camdenum, ut G. Becheri, Iſaaci Caſauboni, Davidis Chytræi, Jani Gruteri, J. Hottomanni, M. F. Limerii, Juſti Lipſii, Friderici Lindenbrogii, Pauli Merulæ

rulæ, Abrahami Ortelii, Nicolai Fabricii Peireſcii, Petri Puteani, Thomæ Savilii, Franciſci Svveertii, Jacobi Auguſti Thuani, Jacobi Uſſerii, Degorei Wheari aliorumque ad ipſum literas exhiberi, ut facile liceat colligere, multa hic, quæ eximiæ frugis ſunt, eſſe obventura. Erunt quæ ad *Criticos* pertinent, ut cum Caſaubonus *Epiſtola XL* de *Origine* vocis *Britanniæ* contra Camdenum diſputat; cum Jo. Iſaacus Pontanus *Epiſt. LXVI* contendit cum Tacito, *Britannorum Gallorumque ſermonem* haud multo olim fuiſſe diverſum, ſed concedi ſibi etiam vult, Britannorum eorundem ſermonem olim (ſi non & hodie) dialecto tantum ab Æſtiorum, hoc eſt, Germanorum idiomate dev aſſe. Ad *Philologiam* ſacram ſpectat, quod *Epiſt. CLXIV* narrat Peireſcius, inventam ab aliquo partem *Bibliorum*, literis majuſculis ſcriptorum, quæ excellentes infimæ vetuſtatis præ ſe ferat notas; alicubi enim in margine notari, fideliter eadem transſcripta & correcta eſſe ad exemplar aliquod ab ipſius Originis manu emendatum, & in alio loco animadvertitur, ipſa hæc Biblia ad veterum Tetrapla eſſe correcta. *Rei numariæ* ſtudioſos juvabunt literæ, quæ a Nicolao Fabricio Peireſcio exaratæ ſunt, utpote in quibus frequenter de antiquis numismatis agit, cumprimis, quæ circa aliquot nummos Britannicos *Epiſt. LXXVI* cum Camdeno diſputat. Sed multo plura inveniuntur, quæ ad *Hiſtoriam* referenda ſunt. Talis eſt diſquiſitio, quam ipſe Camdenus cum Lipſio *Epiſtola LII. & LIII de Conſtantini Magni patria* inſtituit; Camdeno ipſius natales Britanniæ ſuæ aſſerente, ac Cedrenum & Nicephorum aliter ſentientes graviter refutante; Lipſio autem contrarium ſentiente, & Julii Firmici, cum Nicephoro Conſtantinum Tarſi Bithyniæ natum eſſe aſſeverantis, auctoritatem adſtruente. Ita Georgius Carleton *Epiſt. LXXX* doctiſſime in veterem traditionem inquirit, qua *Ulyſſes* peregrinatione ſua usque in inſulam Britannicam veniſſe dicitur. *Formam Galliæ*, quam anno 1614. ſequentibusque annis habuit, accurate depingit Limerius *Epiſt. CII, CIV, CVIII*, ubi quæ in celeberrimis regni comitiis contra Papæ poteſtatem tunc acta atque decreta ſint, fideliter narrat. Ejusdem argumenti ſunt Epiſt. CXIII, CXIV, CXXVII, &c. In primis delectabunt literæ Petri Puteani n. *CXCVII.* & J. Hottomanni n. *CXCVIII.* in quibus *obitum* ſummi viri *Jacobi Auguſti Thuani* referunt. Non minus & ex *Hiſtoria Eccleſiaſtica* aliqua hic occur-

runt,

runt, qualia ſunt, quæ de *Patricio* Hibernorum Sancto, tum a Jacobo Uſſerio *Epiſt. CLXXXVIII*, tum a Thoma Rivio *Epiſt. CCI* diſſeruntur. Elegans quoque eſt *judicium*, quod *de hiſtoria Concilii Tridentini* tum Petrus Puteanus *Epiſt. CCXVIII & CCXXX*, tum Nicolaus Fabricius Peireſcius *Epiſt. CCXXI* ferunt. Ex *Politicis* ſunt, quæ Theodorus Gothofredus *Epiſt. CXLVI* de *prærogativa Regis Galliæ præ Hiſpano habet*. Nec *Mathematicæ* ſtudioſi hic non reperiunt, quod ad ſuum forum referre queant; huc enim ex *Epiſt. LXXXIX* defenſio *Aſtrologiæ judiciariæ* pertinet. Denique Phyſici offendent, quod ſuum eſt, cum *Epiſt. XLVI* de incremento & decremento fontis alicujus mirabilis ad Novam Villam narrationem aliquam hic legent.

Literis adjuncta eſt *Appendix*; in qua n. 1. *Animadverſiones in Jacobi Auguſti Thuani hiſtoriam* ſiſtuntur, in qua res Scoticæ narrantur. N. 6. exhibetur *Teſtamentum Jacobi Auguſti Thuani*, quod & in fine deſcriptionis vitæ Thuaneæ jam legitur. N. 18. Peireſcius Seldenum docet de *antiquo Martyrologio*, vivente Liberio Papa concinnato, quod apud ſe ſit, & in quo non tantum ſententia Seldeni de Natali Domini VIII Cal. Jan. confirmetur; ſed & in quo Calendarium Conſtantini, imaginesque aliquæ antiquæ cum Faſtis Conſularibus contineantur. Denique ſubjungitur *Apparatus* Annalium Camdeni ab anno 1603 ad 1623.

EFEMERIDE VATICANA PER I PREGI ECcleſiaſtici d' ogni giorno dell' auguſtiſſima Baſilica di S. Pietro in Vaticano; dall' Abbate Carlo Bartolomeo Piazza, Conſultore della Sacra Congregazione dell' Indice & Arciprete di S. Maria in Coſmedin.

i. e.

Diarium Vaticanum; ſeu Recenſus eorum, qui auguſtiſſimam S. Petri Eccleſiam in Vaticano venerabundi viſitarunt, juxta dierum totius anni ordinem adornatus ab Abbate Carolo Bartholomæo Piazza &c.

Romæ, apud hæredes Corbelletti, 1687. in 4. Alph. 4. pl. 20.

INter religioſas illas, quæ toto mundo celebrantur peregrinationes; primas fereſemper tenuit ea, quæ inde a multo tempore Romam ad Baſilicam auguſtiſſimam S. Petri inſtituitur: cujus veneratione Autor noſter motus, peculiari hoc tractatu, utriusque ſexus ac dignitatis cujusq; homines, qui ſanctitate non minus dicti Apoſtoli, quam loci majeſtate invitati huc commearunt, texere catalogum operæ pretium duxit, eundo per ſingulos ſingulorum totius anni menſium dies, quibus Sancti hujus limina cultores devoti adierunt.

In Præfatione ad Lectorem Catholicum mentionem injicit *Franciſci Petrarchæ*, Romanorum in conſcribenda rerum domeſticarum hiſtoria negligentiam, in epiſtola ad Cardinalem Columnam his verbis reprehendentis: *Qui hodie Romanarum rerum magis ignari ſunt, quam Romani Cives? Nusquam minus cognoſcitur Roma, quam Romæ.* Hunc vero, ſi reſurgeret, non amplius ſimilem oſcitantiam Romanis exprobraturum eſſe confidit Autor, cum nihil, ſive res eccleſiaſticas, ſive profanas concernens, utut occultiſſimum atque in locis ſubterraneis latitans, deprehendatur Romæ, quod non hodierno præſertim ſeculo in lucem ſit productum, cumque Erudito Orbe doctorum virorum ſtudio communicatum. Horum nunc veſtigia legere ſe voluiſſe ait, & quo ſuæ erga hanc Urbem reverentiæ argumentum extaret, poſt alia a ſe compoſita opera (libros nempe tres de Hierarchia Cardinalitia, librum de Faſtis, nec non alium de Stationibus Romanis) quædam in honorem Principis Apoſtolorum Petri, de auguſtiſſima ejus Baſilica commentari. Hæc vero eo pro futura ſperat, ut Lectores in memoriam revocent, qui ſtatus fuerit primitivæ Eccleſiæ; quæ Pontificum Romanorum munificentia eccleſiaſtica; quæ devotio erga hanc baſilicam gentium externarum; quæ habuerint fata ſancti Martyres, quorum reliquiæ ibidem aſſervantur: utque inſignioribus Illuſtrium viſitantium factis recenſitis, Templi hujus majeſtas magis magisque exſplendeat, magnificis encomiis & titulis jam olim a Sanctis Patribus celeberrimisque viris aliis exornati.

Opus ipſum in duodecim anni menſes diſpertitum eſt, ex quo inſtituti pro ratione pauca quædam ſpeciminis loco excerpemus.

Pagina

Pagina 3. deſcribitur Theodorici Gothorum Regis adventus in urbem Romam, ac propenſus in S. Symmachum P. R. animus. Ille enim, repudiatis Schiſmaticorum precibus, revocataque ſua de judicando ipſo per Inquiſitorem, quem ſollicitante Senatu Romano urbi immiſerat, ſententia; Cleri populique petito ſatisfacturus, non tantum ſancto Præſuli Synodum in auguſtiſſima Petri æde cogendi, verum & Epiſcopis actiones ejusdem examinandi conceſſit poteſtatem. Quod egregium Regis, barbari licet ac Arriani, Apoſtolicam Sedem tantopere venerantis factum, prætereaque inſignem ipſius in dictam Baſilicam liberalitatem maximis effert laudibus Autor. P. 6. adducuntur veterum æque ac recentiorum Pontificum rationes, quæ eosdem moverunt, ut publicatis conſtitutionibus hujus Templi viſitationem Epiſcopis injungerent, addita quadam Sixti V. Bulla, in qua ſingulis certum tempus, quoad limina B. Petri accedendum, definitur. P. 10. refert Autor, Pontifices Romanos antiquitus mitram, cui unica ſaltem corona impoſita erat, uſurpaſſe. Porro in crypta quadam S. Petri cerni imaginem, tres claves geſtantis, quibus ſummum Pontificum Romanorum regimen, triplexque eorundem poteſtas, Imperatoria nimirum, Regia, ac Sacerdotalis, ex mente Autoris indigitata fuerit, & in quarum locum temporibus ſubſequentibus Urbanus V. uſum triplicis coronæ introduxerit. P. 12. promittit, librum ſe aliquando editurum eſſe, de reliquiis ceteriſque Ædis hujus admirandis. P. 13. tradit, corpus Petri a Marcello reliquisque ejus diſcipulis magnificentiſſime, more Regio, terræ fuiſſe mandatum. P. 44. antiquus mos humeris geſtandi Pontifices Romanos recenſetur, quo hi ab omnibus poſſint conſpici, populoque benedictionem impertire. P. 221. celebrantur baptiſmus, ſepultura ac epitaphium Cedvallæ Regis Saxonum occidentalium, Romæ extincti. P. 230 ſeq. Sixti V. Pontificis Romani magnificentia in exornanda ſtupendis operibus Baſilica hac, ac inſtruenda Bibliotheca Vaticana deprædicatur. P. 255. ſeq. infelicia hujus Templi fata Autor enumerat, tempore Borbonianæ expugnationis A. 1527. d. 5. Maji a milite Cæſariano, imprimis Lutherano, qui exercitui immixtus erat (quamvis Lud. Maimburg. in Hiſtoria Lutheraniſmi omnium ſceleratiſſimos Italos Hiſpanosque extitiſſe pronuntiet) expilati ac indigne habiti,

INter religioſas illas, quæ toto mundo celebrantur peregrinationes; primas fereſemper tenuit ea, quæ inde a multo tempore Romam ad Baſilicam auguſtiſſimam S. Petri inſtituitur: cujus veneratione Autor noſter motus, peculiari hoc tractatu, utriusque ſexus ac dignitatis cujusq; homines, qui ſanctitate non minus dicti Apoſtoli, quam loci majeſtate invitati huc commearunt, texere catalogum operæ pretium duxit, eundo per ſingulos ſingulorum totius anni menſium dies, quibus Sancti hujus limina cultores devoti adierunt.

In Præfatione ad Lectorem Catholicum mentionem injicit *Franciſci Petrarchæ*, Romanorum in conſcribenda rerum domeſticarum hiſtoria negligentiam, in epiſtola ad Cardinalem Columnam his verbis reprehendentis: *Qui hodie Romanarum rerum magis ignari ſunt, quam Romani Cives? Nusquam minus cognoſcitur Roma, quam Romæ.* Hunc vero, ſi reſurgeret, non amplius ſimilem oſcitantiam Romanis exprobraturum eſſe confidit Autor, cum nihil, ſive res eccleſiaſticas, ſive profanas concernens, utut occultiſſimum atque in locis ſubterraneis latitans, deprehendatur Romæ, quod non hodierno præſertim ſeculo in lucem ſit productum, cumque Erudito Orbe doctorum virorum ſtudio communicatum. Horum nunc veſtigia legere ſe voluiſſe ait, & quo ſuæ erga hanc Urbem reverentiæ argumentum extaret, poſt alia a ſe compoſita opera (libros nempe tres de Hierarchia Cardinalitia, librum de Faſtis, nec non alium de Stationibus Romanis) quædam in honorem Principis Apoſtolorum Petri, de auguſtiſſima ejus Baſilica commentari. Hæc vero eo profutura ſperat, ut Lectores in memoriam revocent, qui ſtatus fuerit primitivæ Eccleſiæ; quæ Pontificum Romanorum munificentia eccleſiaſtica; quæ devotio erga hanc baſilicam gentium externarum; quæ habuerint fata ſancti Martyres, quorum reliquiæ ibidem aſſervantur: utque inſignioribus Illuſtrium viſitantium factis recenſitis, Templi hujus majeſtas magis magisque exſplendeat, magnificis encomiis & titulis jam olim a Sanctis Patribus celeberrimisque viris aliis exornati.

Opus ipſum in duodecim anni menſes diſpertitum eſt, ex quo inſtituti pro ratione pauca quædam ſpeciminis loco excerpemus.

Pagina

Pagina 3. deſcribitur Theodorici Gothorum Regis adventus in urbem Romam, ac propenſus in S. Symmachum P. R. animus. Ille enim, repudiatis Schiſmaticorum precibus, revocataque ſua de judicando ipſo per Inquiſitorem, quem ſollicitante Senatu Romano urbi immiſerat, ſententia; Cleri populique petito ſatisfacturus, non tantum ſancto Præſuli Synodum in auguſtiſſima Petri æde cogendi, verum & Epiſcopis actiones ejusdem examinandi conceſſit poteſtatem. Quod egregium Regis, barbari licet ac Arriani, Apoſtolicam Sedem tantopere venerantis factum, prætereaque inſignem ipſius in dictam Baſilicam liberalitatem maximis effert laudibus Autor. P. 6. adducuntur veterum æque ac recentiorum Pontificum rationes, quæ eosdem moverunt, ut publicatis conſtitutionibus hujus Templi viſitationem Epiſcopis injungerent, addita quadam Sixti V. Bulla, in qua ſingulis certum tempus, quoad limina B. Petri accedendum, definitur. P. 10. refert Autor, Pontifices Romanos antiquitus mitram, cui unica ſaltem corona impoſita erat, uſurpaſſe. Porro in crypta quadam S. Petri cerni imaginem, tres claves geſtantis, quibus ſummum Pontificum Romanorum regimen, triplexque eorundem poteſtas, Imperatoria nimirum, Regia, ac Sacerdotalis, ex mente Autoris indigitata fuerit, & in quarum locum temporibus ſubſequentibus Urbanus V. uſum triplicis coronæ introduxerit. P. 12. promittit, librum ſe aliquando editurum eſſe, de reliquiis ceteriſque Ædis hujus admirandis. P. 13. tradit, corpus Petri a Marcello reliquiſque ejus diſcipulis magnificentiſſime, more Regio, terræ fuiſſe mandatum. P. 44. antiquus mos humeris geſtandi Pontifices Romanos recenſetur, quo hi ab omnibus poſſint conſpici, populoque benedictionem impertire. P. 221. celebrantur baptiſmus, ſepultura ac epitaphium Cedvallæ Regis Saxonum occidentalium, Romæ extincti. P. 230 ſeq. Sixti V. Pontificis Romani magnificentia in ex ornanda ſtupendis operibus Baſilica hac, ac inſtruenda Bibliotheca Vaticana deprædicatur. P. 255. ſeq. infelicia hujus Templi fata Autor enumerat, tempore Borbonianæ expugnationis A. 1527. d. 5. Maji a milite Cæſariano, imprimis Lutherano, qui exercitui immixtus erat (quamvis Lud. Maimburg. in Hiſtoria Lutheraniſmi omnium ſceleratiſſimos Italos Hiſpanosque extitiſſe pronuntiet) expilati ac indigne habiti,

biti. P. 288. ſeqq. totus occupatur in extollendo cultu Conſtantini Magni, quem erga S. Petrum teſtatus eſt, ac recenſendis ejusdem donis, quibus hanc Baſilicam, cujus prima fundamenta jecerat, cumulavit. P. 308. ſeqq. litteræ producuntur Angliæ Regis Etelulphi Egberti, quibus Regnum ſuum ſubjectum voluit Sedi Romanæ, exemplo Offæ itidem Angliæ Regis, ab Autore p. 323. commemorati. P. 350 Luitprandi Regis Longobardorum impia facta Autor abominatur, qui expugnata urbe Roma Baſilicam S. Petri ſuis ſpoliaverit theſauris; cujus tamen ſacrilegii paulo poſt filii unici amiſſione, Regnique ac nationis Longobardicæ interitu, pœnas dederit. P. 370 ſeqq. regna ac provinciæ Europæ potiores commemorantur, quæ quondam d. 28. Junii Apoſtolicæ Sedi tributa pendere ſolebant, quorum origines ſimul evolvuntur. P. 385. ſeqq. obſervat Autor, temporibus antiquioribus nulli Epiſcoporum advenarum licuiſſe templum hoc, niſi prius exhibito fidei libello, intrare, eosque Sacerdotum feliciſſimis annumeratos eſſe, quibus ibidem ſacra facere contigiſſet. P. 398. fuga ſiſtitur Attilæ Hunnorum Regis, precibus S. Leonis Pont. Rom. ac interceſſione SS. Apoſtolorum obtenta, quam Joh. Petrus Bellorius in Hiſtoria ſua de hodiernis Pictoribus, Sculptoribus ac Architectis, & ſpeciatim quidem in vita Equitis Algardi deſcripſerit. P. 433. ſtatuitur, S. Mariam Magdalenam in caverna ſeu crypta Maſſilienſi per XXX annos vitam continuis pœnitentiæ operibus transegiſſe; cum tamen *Joh. Launojus* in libro de commentitio Lazari, Magdalenæ ac Marthæ in Provinciam appulſu, ceu ex ipſo titulo apparet, neget ullum ejusdem in oras iſtas adventum. P. 437. mentio injicitur celebris iſtius donationis Comitiſſæ Mathildis, cui Urbanus VIII ex gratitudinis lege, ſtatuam marmoream, in S. Petri Baſilica cum ſequenti Epitaphio erigi curavit: *Urbanus VIII. Pont. Max Comitiſſæ Matildi, virilis animi Fœminæ, Sedis Apoſtolicæ propugnatrici, pietate inſigni, liberalitate celeberrimæ, huc ex Mantuano S. Benedicti cœnobio translatis oſſibus, gratus æternæ laudis promeritum monumentum poſuit A. 1635.* P. 528. habetur iterata Regni Anglicani oblatio Romanæ Sedi A. C. 1213 a Johanne Rege Angliæ facta; ac in ſequentibus explicatur, quid per Denarium Petri intellectum fuerit: certa nimirum pecuniæ ſumma, quæ

per

per totum Regnum coacta, Romam in tributi fidem mittebatur, quam Angli lingua ſua *Romaneſcat* vocitabant; legem vero de ratione erogandi latam *Denelage*, quod idem ac lex datorum. P. 845. ratio redditur, cur primitivæ Eccleſiæ Chriſtiani nudas tantum cruces, absque imagine Chriſti in iis pendentis, venerati fuerint. P. 571. docet Autor, in hac tantum Baſilica Pſalmos Davidicos verſionis Hieronymianæ Romæ cani, quos elegantiſſimo typo duobus tomis Pariſiis recudi curaverit Eminentiſſimus Card. Franciſcus Nerli, cum A. 1673 Nuntium ageret Pontificis apud Galliarum Regem. P. 615. recenſetur occaſio ſcripti a Tertulliano libri de Corona militis, quem Clerus Romanus ob aſſumtum Montani dogma odio habuit. P. 641 obſervatur, Pontifices Romanos ſemper mitratos aliorum Legatos audiiſſe, quo majorem ſibi conciliarent venerationem. P. 673. habentur dedicatio ac privilegia hujus Baſilicæ: p. 678 coronatio Pontificum Romanorum: p. 704 ritus pallia diſtribuendi: p. 736 ratio denominationis Lapidis ſcelerati: p. 748 ingreſſus Reginæ Sueciæ in hanc Baſilicam: denique p. 751 deſcribuntur cerimoniæ in benedictione gladii pileique adhibitæ, quibus utuntur ac ornantur ſummi copiarum duces, quo ſtrenue adverſus Romanæ Sedis hoſtes, infideles maxime, pugnent. Reperiuntur & alia curioſitati legentium inſervientia. Verum iſta prompſiſſe impræſentiarum ſufficiat.

THE TREASURY OF THE MATHEMATICKS, containing Variety of uſe full Practices in Arithmetick &c,

h. e.

Gazophylacium Mathematicum, continens varias utiles praxes Arithmeticas &c. auctore Johanne Taylor.

Lond. apud W. Freeman, 1687 in 8. Plag. 33, cum tab. æneis 8.

Quamvis infinita pæne ſunt, quæ Matheſis ſuo complexu continet, non irritum tamen ſumere laborem cenſeri debent, qui hanc ſcientiam exiguos coercent intra libellos, Geographos imitati, orbem terrarum in exili tabula repræſentantes. Diſcentium enim conſu-

ſunt commodis, qui principio refugiunt a magnæ molis voluminibus, ſine faſtidio vero ad illa accedunt, poſtquam imbuti jam ſunt primis rudimentis. Quem etiam ſcopum ſibi præfixum habuit doctiſſ. Auctor, qui in gentis ſuæ uſum gazophylacium edidit Mathematicum. Nam quindecim capitibus & 22. plagulis (reliquas enim Canones Sinuum & Logarithmi complent) complexus eſt Arithmeticam, Geometriam, Trigonometriam, Aſtronomiam, Geographiam, Navigationem, Geodæſiam, Stereometriam, Gnomonicam, Architecturam militarem, Tacticam, Caſtrametationem & Pyroboliсam. Adhibuit autem brevitati quoque perſpicuitatem, & figuris æneis plurimis omnia illuſtravit.

JUVENALIS REDIVIVUS.

To jeſt,

SATYRY albo Przeſtrogi do Náprâwy rzadu, y Obyczájow w Polſcze naleza ce 1691 in octavo.

h. e.

Satyræ vel Admonitiones ad emendationem regiminis & morum in Polonia pertinentes.

Eſt hæc altera hujus Opuſculi editio, cum prior fuerit in folio; utraque vero ἀδέσποτος, ac inſuper absque loci & typographi nomine. Prior lucem viderat regnante Jo. Caſimiro anno 1652, a quo prohibitum fuiſſe dicitur, ne liber is publice venalis proſtaret: diſtractis tamen prioris editionis exemplaribus, hæc altera nuper adornata eſt, ſed ea multis erroribus auctior, qui commiſſi ſunt a typographo Germano, nec Polonici idiomatis plena cognitione inſtructo; in quadam videlicet urbe non incelebri Regalis Pruſſiæ.

Author Operis habetur Vir generis, dignitatis, & eruditionis claritate illuſtriſſimus, Lucas Opalinius, Palatinus quondam Poſnanienſis, idem ipſe, qui Romano ſermone ſcripſerat librum *De Officiis*, in Hollandia primum, curante Forſtero, Bibliopola Dantiſcano, typis editum. Præſens Opuſculum tanquam ſolius Patriæ ſuæ utilitati

utilitati dicatum, conſcripſit Author patrio ſermone, ita quidem ut oratio numeris, at non ſimul rhythmis (ut Polonica fert Poëſis) eſſet illigata; quo majori libertate, quæ prima eſt Polonæ Nobilitatis gloria, corruptos ſui temporis mores inſectaretur.

In Operis præfatione ait Author, deliberantem ſe, quidnam potiſſimum ſtylo ſuo ſcripturiente pertractandum ſuſciperet, a depravatis hominum moribus pertractum eſſe, ita ut eorum conſideratione, in animo ſuo coorta, fecerit *indignatio verſum.* Commemorat deinde univerſim vitia hujus ferrei, immo lutei ſeculi, palamque proteſtatur, hæc tantummodo ſe impetere velle, non autem ullam perſonam ſingulatim: harum famæ, prout hominem Chriſtianum, & filium Catholicæ Eccleſiæ decet, detrahere ſe nolle, ſed unice corruptis moribus medelam ferre cupere. A ſe dicta univerſim, quisque conſcius ſibi adplicet, ſuosque defectus ipſemet emendet: exiſtimaturum boni plurimum a ſe præſtitum iri, ſi unus alterve hoc ſuo labore ad meliorem frugem revocatus fuerit; quemadmodum & unius peccatoris converſionem gaudium Angelis parere, ſacer Codex atteſtatur. Opuſculum ſuum ait merito dici poſſe *Iconem animorum aut ſpeculum,* in quo quilibet proprios, ut & Author ipſe ſuos defectus contemplari poſſit.

Totius opuſculi œconomia hæc eſt. Quinæ Satyrarum decades in totidem libros diſtributæ ſunt, ita tamen, ut in illis nullus ordo, quem natura argumenti quodammodo depoſcebat, ſervatus fuerit, ſed earum ſingulæ velut fortuito collocatæ videantur. Earum vero nonnullæ cum Paradoxa, tum Effata philoſophiæ moralis exegeticum in modum pertractant, aliæ defectus Reipublicæ perniciosos commemorant, iisque opportuna remedia ſapienti conſilio ſuggerunt: aliæ nationis totius, aliæ ordinis Senatorii, Equeſtris, Militaris, Eccleſiaſtici, Religioſi, Civium & Opificum vitia attingunt: ubi tamen Author proteſtatur paſſim, ſe nequaquam ejus conditionis homines omnes univerſim cenſoria virgula notare velle, ſed in unoquoque ſtatu probos, qui ubique minime deſiderantur, excipere.

In horum tractatione ſingularis elucet Autoris prudentia in conſiliis, in dictis gravitas, elocutio minime fucata ſed nativa fluens vena, & quidem dialecto, quam Polonus genuinam agnoſcat. Sunt

& ſales

& ſales interdum pro rei exigentia adſperſi cum judicio; tum vitiorum graphicæ deſcriptiones, ac cenſuræ, quibus (quod laudem maxime commeretur) ſubnectuntur ubique opportuna remedia, itemque exempla, cum e domeſticis, tum exteris Hiſtoriis petita: videas interdum inſertas veterum ſententias, nunc ſoluta, nunc ligata oratione Latina, quanquam id perparce, nec niſi dum res ipſa id poſtulare videbatur.

JOANNIS BAPTISTÆ PALMÆ NEAPOLITANI *in Geometriam Exercitationes.*

Neapoli ex nova Sociorum officina, 1689, in 4. plag. 16.

TRactatus iſte, qui illuſtris Magliabechii ſtudio ad nos pervenit, centum propoſitiones continet, circa ſectiones rectarum, triangula aliasque figuras rectilineas, circulos & inſcriptas circulorum, occupatas, ex quorum multivaria collatione, diverſæ proprietates enatæ, breviter, dilucide & oſtenſive, proprio ab Autore Nobiliſſimo Marte demonſtrantur. Quarum quidem argumenta ſigillatim enarrare hic ſuperſedemus; quod & prolixum nimis foret: lectionem tamen ſedulam & attentam non poſſumus non illis commendare, qui in evolvendis addiſcendisq; Elementis *Euclideis*, quorum ſex priorum præſens liber luculentum ſupplementum eſt, operam ſuam collocant: quemadmodum & de Autoris ingenio, cujus juventuti hoc debemus, ubi porro ſtudiis Mathematicis inſtiterit, præclara quæque nobis non temere pollicemur.

SENATUS POPULIQUE ANTVERPIENSIS NOBILITAS, ſive ſeptem Tribus Patriciæ Antverpienſes.

A. 1689 in 12. Plag. 4.

SEptem illæ Tribus Patriciæ, quibus fere ſolis in celeberrima urbe aditus olim ad omnia publica patuiſſe creditur, ſunt VOLCART, WILMAERS, HOBOKEN, BODE, ALEYN, PARE, & IMPEGEM. Harum inſignia in hoc libello exhibentur, & e ſingulis Viri quidam fama illuſtres nominantur. Subjicitur Prætorum, tum qui Marchiones ſalutantur, tum qui Ammani, catalogus, ab initio ſeculi duodecimi ad hæc usque tempora; nec non Faſti Conſulares ab A. 1409, usque A. 1690. Appendix indicem exhibet Vicecomitum Antverpienſium, (quem Vicecomitatum Dynaſtiæ de Dieſt innexum per duo jam ſecula poſſedit Domus Naſſovica, & hodie Potentiſſimus Magnæ Britanniæ Rex Wilhelmus III, velut Baro de Dieſt, poſſidet) & Commiſſariorum, qui a Belgarum Principibus annuatim ad renovationem Senatus Antverpienſis deputari conſueverunt.

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II. Sect. IV.

ANGLIA SACRA: SIVE COLLECTIO HISTORIARUM antiquitus ſcriptarum, de Archiepiſcopis & Epiſcopis Angliæ a prima Fidei Chriſtianæ ſuſceptione ad annum 1540. Pars II. plures antiquas de Vitis & rebus geſtis Præſulum Anglicorum Hiſtorias ſine certo ordine congeſtas complexa.

Londini, impenſis Richardi Chisvvel, 1691. in fol.
Conſtat 8. Alphab.

TOmus hic ſecundus varia monumenta antiqua ad hiſtoriam Eccleſiæ Anglicanæ ſpectantia, & in primis de vitis & rebus geſtis Archiepiſcoporum Angliæ agentia, eaque hactenus, ve ἀνέκδοτα, vel minus accurate edita complectitur. Et primum quidem locum occupat *Vita S. Aldhelmi* Sciréburnenſis Epiſcopi, ſcripta a *Guilielmo Somerſet*, cœnobii Malmesburienſis Bibliothecario & Præcentore, cujus quatuor libros de Pontificibus Anglorum Londini A. C. 1596. cum aliis quibusdam Scriptoribus Anglicanis Henricus Savilius vulgavit, quintus autem, quem hæc S. Aldhelmi Vita conſtituit, nunc primum Viri doctiſſimi & patriarum rerum ſtudioſiſſimi Henrici Whartoni cura e tenebris emergit. Quamvis enim hactenus plerisque perſuaſum fuerit, Vitam iſtam Aldhelmi a Guilielmo Malmesburienſi compoſitam jam in Seculis Benedictinis ſec. 4. part 1. p. 726. editam fuiſſe, quod & ipſe Mabillonius credidit, ut ex ejusdem præfatiuncula apparet; deprehenſum tamen fuit, Vitam Aldhelmi a Mabillonio ex codice Cottoniano exſcriptam & luci publicæ expoſitam, compendium tan-

tum illius Vitæ continere, nec genuinum Guilielmi opus exhibere; quod etiam Baleo incognitum fuiſſe ex eo colligi poteſt, quod Gulielmi Malmesburienſis opera recenſens, Vitam Aldhelmi ab his verbis auſpicari dicat: *Beatus Aldhelmus Saxonica*; his enim verbis non integra Aldhelmi Vita, quam Gulielmus contexuit, ſed Vitæ illius epitome a Mabillonio data inchoatur. Errorem autem hunc alio errore cumulavit Baleus, etſi errantem pro more Pitſeus ſecutus fuerit, cum librum Gulielmi de Antiquitatibus Malmesburiæ ab ejusdem libro de Aldhelmi Vita diverſum exiſtimavit. Cum enim Aldhelmus Malmesburienſe cœnobium fundaverit, ſimul cum vita & miraculis Aldhelmi ſtatum Malmesburienſis cœnobii deſcribere Gulielmo placuit. Cæterum cum Gulielmus Malmesburienſis libro ſuo de vita Aldhelmi non paucas monaſterii Malmesburienſis chartas inſeruerit, de dubia & ſuſpecta fide chartarum hujusmodi diſſerendi occaſionem nactus Cl. Whartonus, chartas, quæ ante exitum ſeculi ſeptimi ſcriptæ perhibentur, nec non eas, quæ ab iſto tempore usque ad Regis Edgari tempora Latine ſcriptæ ſunt, ſpurias deprehendi obſervat; occaſionem ejusmodi chartas confingendi duplicem recenſet, unam, quod, cum Normanni ab Anglis rationem exigerent, quo jure & titulo fundos ſuos poſſiderent, monachi, ad tuendam ſuam poſſeſſionem, ejusmodi chartas confingere coacti fuerint; alteram, quod cum Gulielmus Normannus monaſterium S. Martini de Bello abs ſe fundatum ab omni jurisdictione epiſcopali exemiſſet, poſtea monachi confictis antiquorum Pontificum & Regum chartis, ad eandem libertatem adſpiraverint. Ad calcem Vitæ Aldhelmi ſubjicitur *S. Odonis* Archiepiſcopi Cantuarienſis *Epiſtola*, quam Vitæ Wilfridi Archiepiſcopi Eboracenſis a Fridegodo metrice conſcriptæ, & absq; hac Odonis epiſtola a Mabillonio in Seculis Benedictinis editæ præmiſit. Hanc Odonis Epiſtolam ſequitur *Goſcelini monachi S. Auguſtini Cantuarienſis Hiſtoria minor de vita S. Auguſtini Anglorum Apoſtoli*, quam Dacherius in appendice ad Lanfranci opera, ſed autoris nomine deſtitutam & integro capite mutilam ediderat. Minor autem hiſtoria dicitur reſpectu majoris ab eodem Goſcelino elaboratæ, & in Actis Benedict. ſec. 1. vulgatæ. Hunc Goſcelinum ex monaſterio ad S. Bertini fanum in Angliam ab Anſelmo accitum, primo apud Rameſiam ſub Hereberto Abbate, poſtea apud S. Auguſtini

Can-

Cantuar. cœnobium Vitam monaſticam duxiſſe tradit Baleus. Vorſius autem inverſo ordine Cantuarienſem primum & poſtea Rameſienſem monachum fuiſſe ſcribit. Utrumque a vero aberrare notat Whartonus, & ex Gulielmo Malmesburienſi certiora prodit. Varia præterea ejusdem Goſcelini ſcripta recenſet, & hiſtorica totidem pæne verbis ex Beda deſcripta animadvertit. Goſcelini hujus hiſtoriam minorem de vita Auguſtini, cui trium Archiepiſcoporum Cantuarienſium Vitæ ab anonymo quodam Poeta verſibus elegiacis breviter deſcriptæ adjiciuntur, excipiunt *Vita S. Bregvvini, S. Odonis, S. Dunſtani* & *S. Elphegi*, Archiepiſcoporum Cantuarienſium, cum tractatu *de translatione S. Elphegi*. Hæc omnia ab *Osberno Præcentore & Suppriore Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis* ſcripta fuiſſe Whartonus antea cenſuit, & p. 73. non alium ſcriptis iſtis autorem, quam Osbernum adſcripſit. Verum in præfatione notat, ſe poſtea *Bregwini Vitam* in *Johannis Tinmuthenſis* Sanctilogio inveniſſe & deprehendiſſe, quod Johannes ille Tinmuthenſis hanc Vitam ex uberiori Eadmeri commentario, retentis utplurimum ejusdem verbis, hauſerit. Non minus *S. Odonis Vitam* a ſe editam Osberno perperam tribui animadvertit. Etſi enim vitam Odonis ab Osberno ſcriptam Gulielmus Malmesburienſis teſtetur, nec alium vitæ Odonis ſcriptorem Baleus memoret, eundemque ſub Osberni nomine Mabillonius in Seculis Benedict. vulgaverit, ejusdemque autoris nomen codex Cottonianus præfixum habeat; *Eadmero* tamen hanc Odonis Vitam reſtitui debere, cui in antiquo Collegii Corporis Chriſti Cantabrigienſis codice vindicetur, Whartonus obſervat, cui ſententiæ favet, quod Vita Odonis, quam Gulielmus Malmesburienſis Osberno tribuit, cum ea, quam ſub Osberni nomine Mabillonius etſi dubitanter vulgavit, ipſo Mabillonio fatente, nonnullis in locis minus conveniat. Relinquuntur ergo Osberno Vita Dunſtani & Elphegi, cum Hiſtoria de translatione S. Elphegi. Et *Dunſtani* quidem *Vitam* in duos libros diſtribuit Osbernus, quorum primus de ejus vita, ſecundus de miraculis poſt mortem editis agit. Uterque in Actis Sanctorum Antverpienſibus tom. 4. Maji p. 359. & in Actis Sanctorum Ord. Benedicti ſec. 5. p. 659. legitur. Verum cum ſecundus liber ad hiſtoriam parum conferat, Whartono primum tantum librum & prologum ſecundi libri edere placuit. *Elphegi* autem *Vitam* quantum attinet, epitome tantum

Illius vitæ eſt, quæ a Surio d. 19. Aprilis exhibetur. & a Baronio aliiſque ſub Osberni nomine allegatur. Et quamvis Henſchenius & Papebrochius tom. II Sanctorum Aprilis genuinum Osberni opus de vita Elphegi evulgaverint, hiſtoriam tamen de translatione Elphegi integram non habuerunt, ſed ex Hiſtoria eccleſiaſtica Harpsfeildii maxima ſui parte mutilam dederunt. Quamobrem Whartonus & vitam Elphegi, & hiſtoriam de ejus translatione integram edidit. *Vita Anſelmi* Archiepiſcopi Cantuarienſis, quæ proxime ſequitur, autorem habet *Johannem Sarisburienſem*, qui præter hanc Vitam, Polycraticum ſeu de Nugis Curialium tractatum, & Vitam Thomæ Becket Archiepiſcopi Cantuar. & epiſtolas varias aliaque a Baleo allegata poſteris reliquit. Adhæſit hic Johannes tribus ordine Archiepiſcopis, Theobaldo, qui ipſum teſtamenti ſui, a Whartono ex archivis eccleſiæ Cantuarienſis editi, curatorem conſtituit, Thomæ, & Ricardo, in cujus famulitio dum verſaretur, Carnotenſis eccleſiæ Epiſcopus A. C. 1176. electus eſt. Scripſit librum de vita Anſelmi, quem ex libris Eadmeri de vita & miraculis Anſelmi integrum ferme compilavit, jubente Thoma, qui in Concilio Turonenſi A. C. 1163. eo conſilio librum hunc Papæ obtulit, ut Anſelmus Sanctorum albo inſcriberetur, ceu conſtat ex bulla Alexandri III, quæ huic Vitæ ſubjuncta legitur, quamvis canonizatio Anſelmi tum dilata & ab Alexandro VI. demum perfecta fuerit. Bullæ huic Alexandri III. additur etiam *Epiſtola Anſelmi ad Paſchalem*, quam ex codice MSC. vetuſto bibliothecæ Lambethanæ Whartonus reſtituendam cenſuit, cum in editione operum Anſelmi, quam A. 1675. Gabriel Gerberonius adornavit, vitiata prodierit. Ante Johannem Sarisburienſem vitam Anſelmi ſcripſiſſe *Eadmerum* diximus, quæ cum apud Surium d. 21. Febr. & in omnibus fere Anſelmi operum editionibus legatur, Whartonus tantum nonnulla ejus Vitæ capita in omnibus editionibus omiſſa hic exhibere voluit, quibus alia nonnulla Eadmeri ſcripta adjunxit, nempe *Vitam S. Bregwini* Archiepiſcopi Cantuar. cujus epitomen a Johanne Tinmuthenſi concinnatam ſupra notavimus, *Vitam S. Oſwaldi* Epiſcopi Wigornienſis & Archiepiſcopi Eboracenſis, & *Vitam Dunſtani* Archiepiſcopi Cantuar. quam Surius d. 19. Maji perperam Osberto (Osbernum ſupra laudatum dicere voluit) inſcripſit, cum tamen Vita Dunſtani ab Osberno ſcripta ab ea, quam Surius publica-

vit. diverſa ſit. Quod etſi Papebrochius in Commentario prævio ad Vitam Dunſtan. bene viderit, in eo tamen erravit, quod Vitam a Surio editam Osberto Weſtmonaſterienſi monacho aſſignaverit, cum vere Eadmero debeatur. Cum autem Eadmerus in hac Vita multa referat, quæ etiam apud Osbernum leguntur, ea Whartonus prætermiſit. Vitis iſtis ab Eadmero ſcriptis annectitur ejuſdem *Epiſtola ad Glaſtonienſes de corpore S. Dunſtani*: accedunt *Scrutinium de Corpore S. Dunſtani, Willelmi Warham* Archiepiſcopi Cantuar. *epiſtola de corpore S. Dunſtani, Nicolai epiſtola ad Eadmerum de primatu ſedis Eboracenſis in Scotia*, & *Eadmeri epiſtola ad Wigornienſes monachos de electione Epiſcopi*. Pergimus ad *Vitam S. Wolſtani* Epiſcopi Wigornienſis, quæ etſi in codice MSC. Cottoniano Senato Bravonio tanquam autori adſcribatur, & Baleus quoque Senatum, cui ab antiquo urbis Wigorniæ nomine Bravonii cognomentum addit, vitam Wolſtani literis conſignaſſe tradat; celeberrimus tamen Angliæ hujus Sacræ Editor hanc Vitam *Gulielmo Malmesburienſi* vindicare minime dubitavit, cum & epiſtola nuncupatoria & ipſa Vita autorem ſuum prodat. Cum autem in tribus his Gulielmi de Vita S. Wolſtani libris multa occurrerent, quæ lectori potius tædium creare & huic Angliæ Sacræ collectioni inanem molem addere, quam hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtudioſis aliquid utilitatis afferre potuiſſent, integra nonnunquam capita in deſcribendo hoc opere omittere Whartonus veritus haud fuit. *Vita* autem *Gundulfi* Roſtenſis Epiſcopi, quam ex alio codice Cottoniano Whartonus dedit, quem autorem habeat, incertum eſt, niſi quod a monacho Roſſenſi Gundulfi coætaneo ſcriptam conſtet. *Vitam Roberti Betun*, Epiſcopi Herefordienſis, a *Willelmo de Wycumba* ſcriptam & in duos libros digeſtam, duo codices, alter Cottonianus, alter Lambethanus ſubminiſtrarunt, in eo diverſi, quod hæc Vita in Lambethano codice Henrico Wintonienſi, in Cottoniano Reginaldo Priori nuncupetur, unde duplicem prologum huic Vitæ præfixum videas. Et in hac etiam Vita miracula quædam prætermittere doctiſſimo Editori religio non fuit. Subnexa eſt huic Vitæ Succeſſio Priorum Lanthoniæ, ex hiſtoria Prioratus Lanthoniæ MSC. in bibliotheca Cottoniana, quam ex eodem codice in Monaſticum ſuum Dugdalius tranſtulit. *Vitam Roberti Groſthead* Lincolnienſis Epiſcopi carmine elegiaco a *Ricardo* monacho Bardeni-

enſi ſcriptam, reſectis craſſioribus fabulis & inanibus floſculis, ex Collegiatæ Weſtmonaſterienſis Eccleſiæ bibliotheca Whartonus exſcripſit, totam omiſſurus, quippe ſalebroſam nec publica luce dignam, niſi argumenti dignitas eam commendaſſet, & alia elegantius ſcripta nusquam invenire potuiſſet. Adjecit huic Vitæ *Elogium Roberti ex ineditis Annalibus de Lanercoſt* excerptum, nec non *Epiſtolam Decani & Capituli S. Pauli Lond. ad Clementem V. Papam de canonizando Roberto. Epiſtolam Giraldi Cambrenſis de laudibus Roberti. Indiculum ſcriptorum Roberti editorum & ineditorum, Narrationem de Roberto ex Johannis Tinmuthenſis* hiſtoria aurea MSC. depromptam, & *Propoſitionem hujus Roberti de viſitatione Diœceſis ſuæ.* Sequitur, ut ad cætera hujus voluminis monumenta progrediamur, *Vita Hugonis Nonant* Epiſcopi Coventrenſis & Lichfeldenſis, ex Giraldi Cambrenſis Speculo eccleſiæ MSC. deprompta; *Vita Willelmi Wickham* Epiſcopi Wintonienſis, & *Thomæ de Bekinton* Epiſcopi Bathonenſis & Wellenſis, autore *Thoma Chaundlero* Cancellario Oxonienſi; *Vita Henrici Le Spenſer* Epiſcopi Norvvicenſis, quæ deſumpta eſt ex MSC. commentario *Johannis Capgravii* de illuſtribus Henricis; quem Whartonus in tres partes diviſum indicat, quarum prima de Henricis Imperatoribus Germaniæ, ſecunda de Henricis Regibus Angliæ, tertia de aliis illuſtribus Henricis agat, quos inter etiam Henricus Spenſer; cujus Vitæ Whartonus ſubjungit *Ricardi Scrope* Archiepiſcopi Eboracenſis *Articulos adverſus Henricum IV. Angliæ Regem*, nec non *Clementis Maydeſtone* Hiſtoriam de martyrio ejusdem Ricardi. Hoc Martyrium excipiunt monumenta quædam *Giraldi Cambrenſis*, quibus doctiſſimus Editor, præmiſſa rerum a Giraldo geſtarum chronologia, lucis aliquid addere voluit. In ea tamen emendari cupit, quod Giraldum A. C. 1150. natum dixit, cum poſtea annum 1146 ejus natalem fuiſſe deprehenderit. Monet porro, hunc Giraldum, etſi virum alias ſapientiſſimum, ſomniis & viſionibus nimium indulſiſſe, & Silveſtris Merlini vaticinia ſeu potius deliria Latine vertiſſe, ſcriptis ſuis intexuiſſe & ſummo ſtudio coluiſſe, & inde forte Silveſtris cognomen obtinuiſſe, quod ab æmulis contumelioſe ſibi datum queratur, niſi forte ejus inimici hoc cognomine eum tanquam hominem in barbaris regionibus natum & agreſtibus moribus præditum perſtringere voluerint. Sunt autem Giraldi ſcripta, quæ nunc prodeunt, ſequen-

ſequentia: *Libri duo de vita Galfridi Archiepiſcopi Eboracenſis; liber de vitis Epiſcoporum Lincolnienſium; copula tergemina ſeu tractatus de vitis ſex Epiſcoporum coætaneorum; epiſtola ad Stephanum Langton Archiepiſcopum Cantuarienſem; epiſtola ad Capitulum Herefordenſe de libris a ſe ſcriptis; catalogus brevior librorum ſuorum; liber ſecundus de deſcriptione Walliæ, ſeu liber de illaudabilibus Walliæ; retractationes; libri 3. de rebus a ſe geſtis, & diſtinctiones ſeptem de jure & ſtatu Menevenſis eccleſiæ; vita S. Davidis Archiepiſcopi Menevenſis.* De reliquis Giraldi libris ſive editis, ſive ineditis, Whartonus in præfatione agit. Inter inedita eſt *Gemma eccleſiaſtica*, quæ quaſi integrum Theologiæ & diſciplinæ eccleſiaſticæ corpus complectitur; *Speculum eccleſiæ*, ſive de monaſticis ordinibus & variis religionibus eccleſiaſticis, in quo opere monachorum inſcitiam, nequitiam, aliaque vitia inſectatur; quod eo minus mirandum, cum tanto odio monachos proſecutus fuerit, ut quod ipſe in epiſtola quadam teſtatur, in quotidianis precibus hanc deprecationem ſæpius & ipſe ingeminaverit, & familiaribus ſuis itidem ingeminandam commendaverit: *a monachorum malitia libera nos Domine.* Sunt etiam inter Giraldi opera nondum hactenus edita *Symbolum electorum*, ſeu epiſtolæ variæ a ſemetipſo collectæ, & *de Principis inſtructione diſtinctiones tres*, in quibus præter alia vitam & res geſtas Henrici II. Angliæ Regis ab ineunte ætate usque ad obitum deſcripſit. Ita autem deſcripſit, teſtante Whartono, ut ad proſcindendam Henrici famam nimis proclivis fuerit, & arcanam quandam Henrici hiſtoriam contexere voluiſſe videatur. Verum hæc de Giraldi ſcriptis retuliſſe ſufficiat, cum ex Giraldi epiſtola de ſcriptis ſuis & indiculo breviore, & dialogo ſeptimo de Menevenſi eccleſia, plura peti poſſint. Adjecit autem Whartonus Giraldi ſcriptis in hoc volumine editis Carmen *M. Simonis de Fraxino* Canonici Herefordenſis M. Giraldo transmiſſum, & ejusdem Conqueſtionem & Compaſſionem pro amico læſo, & in convitiantem Deteſtationem; item additamenta ad *Vitam S. Davidis* ex ejusdem Vita per *Ricemarchum* Epiſcopum Menevenſem ſcripta; *Annales breves eccleſiæ Menevenſis*, ab Anglorum adventu ad annum 1278; *Vitam Davidis II.* Episc. Menevenſis ab anonymo autore ſcriptam; *Vitam S. Dubricii* Archiepiſcopi urbis Legionum, autore *Benedicto* monacho Claudioceſtrenſi; *Vitam S. Teliavi* Epiſcopi Landavenſis, autore *Galfrido* alias

Ste-

Stephano Landavenſi, & alia quædam monumenta ad eccleſiam Landavenſem ſpectantia. Claudunt hoc AngliæSacræ volumen *Radulphi de Diceto* Decani Londinenſis *Hiſtoria de Archiepiſcopis Cantuarienſibus* a prima Sedis fundatione ad A. 1200, & *Henrici* Archidiaconi Huntindonienſis *Epiſtola de Epiſcopis & Viris illuſtribus ſui temporis*. Et Radulphum quidem quantum attinet, incertus primum fuerat Whartonus, num hæc hiſtoria a ſe edita eadem ſit, quam Jameſius in Collegio corporis Chriſti aſſervari & hunc titulum præ ſe ferre ſcripſit: *Liber de Doroberuenſibus Archiepiſcopis directus a Radulpho de Diceto Londonienſis eccleſiæ Decano*; quem codicem ſe nunquam vidiſſe in præfatione aſſerit. Poſtea vero codicis illius inſpiciendi copiam habuit, & a ſuo codice diverſum reperit, &, ſi præfatiuncula & extrema pars epiſtolæ Cæleſtini, in qua deſinit, dematur, omnia ex Radulphi hiſtoriis, a Twisdeno inter X. Scriptores Hiſtoriæ Anglicanæ vulgatis, verbatim deſcripta deprehendit. Quamobrem in epiſtola dedicatoria ad Wilhelmum Aſſavenſem id lectores ſuos latere noluit; ubi etiam Jameſii, Pitſei & Voſſii errorem notat, qui Annales Epiſcoporum Dorobernenſium Stephano inſcripſerunt. Quem errorem inde natum obſervat, quod librarius quidam Annales Stephani de rebus geſtis Ricardi Angliæ Regis deſcribere voluerit, ideoque primo codicis folio hunc titulum appoſuerit: *Annales Stephani Archiepiſcopi*; ſed deſcripto titulo ceſſaverit, & in ſequenti folio Radulphi hiſtoriam deſcripſerit. Henrici autem Huntindonienſis epiſtola A. 1145. ſcripta, ex libro X. Hiſtoriæ Anglorum ab Henrico illo contextæ hauſta eſt. Et integrum quidem opus Henrici XII. libris abſolvitur, quorum 8. priores, qui Regum Anglorum hiſtoriam usque ad A. 1154. continent, Henricus Savilius vulgavit; nonus de Sanctis Angliæ & eorum miraculis agit; decimus inter alia epiſtolam ad Walterum, quam Dacherius tom. 8. Spicilegii ſui, & nunc iterum Whartonus publicavit; undecimus ſatyras & epigrammata; duodecimus denique hymnos ſacros, luſus amatorios, & diverſi generis carmina complectitur. Idque animadvertere Whartono placuit, ne quis cum Baleo & Pitſeo unicum Henrici opus in plura diſcerpat. Hæc de ſecunda Angliæ Sacræ parte dicta ſufficiant. Tertia aget de Archiepiſcopis & Epiſcopis Eccleſiarum Cathedralium, quas Canonici ſeculares & regulares poſſederunt, a prima fidei ſusceptione usque ad

A. 1540.

A. 1540. Eidem inſeretur inſignium cœnobiorum 28, quorum Abbates loca in ſuperiori Ordinum Angliæ conſeſſu obtinuerunt, ſucceſſio. Cui ſi quis partem quartam de Archiepiſcopis & Epiſcopis univerſis ab A. 1540. usque ad noſtra tempora adjungat, Angliam ſacram ſuis numeris conſummatum iri VVhartonus aſſerit, quamvis tertiam, nedum quartam, ob adverſam Patroni ſui fortunam, & per eam ſubtracta ſibi ſubſidia & præmia, ſpondere non audeat. Nos autem Viro doctiſſimo, ne opus bene cœptum deſerere cogatur, meliorem fortunam apprecamur.

P. I. BERONICII, POETÆ INCOMPARABILIS, Quæ extant, P. Rabus recenſuit, & Georgarchontomachiæ notas addidit &c.

Roterodami apud Petrum vander Slaart, 1691. in 8. Plag. 12.

MOnſtrum hominis *Beronicius* ille fuit, cujus nomen ex *Antonii Borremanſii* Variarum Lectionum libro, Amſtelodami A. 1676. edito, & capite quidem illius ſexto, Orbi Erudito primum innotuit; patria, quam ut proderet, adduci nunquam potuit, adhuc ignoratur, nec unquam fortaſſe pateſcet. Si vitam ſpectes, quam vagabundus in ſordibus & crapula exegit, miſeraque morte (in paludem ebrius, ut veroſimile eſt, lapſus, aquaque ac limo ſuffocatus) Medioburgi in Selandia finivit, beſtiæ fuit quam homini ſimilior: ſin felicitatem ingenii, & carminis Græci, Latini, Gallici, ex tempore fundendi promptitudinem reſpexeris, videri poteſt communem hominum ſortem ſupergreſſus. Fuerit ergo *incomparabilis poëta* (quo eum titulo clariſſimus *Rabus*, cui carminum ejus, quæ ſuperſunt, editionem debemus, mactare non dubitavit) cum poetarum forte nemo ſit futurus, qui ſcurrili & cynico vitæ genere comparari cum eo cupiat; pauci vero inveniantur, qui pari cum eo ingenii capacitate dicam an fœcunditate gaudeant. Totum *Horatium*, *Virgilium*, *Juvenalem*, *Homerum*, ad verbum edidicerat, verteratque velut in ſuccum & ſanguinem: furore autem poëtico cum percitus ipſe eſſet, verſus, nec ineptos quacunque de materia prompſiſſe dicitur, ac recitaſ-

citaſſe ea celeritate, ut ſcribendo eos aſſequi vix quisquam potuerit. Ex quo factum, ut nonnullis magiæ ſuſpectus haberetur: quos quidem *Rabus* noſter explodit, principiis, ut videtur, *Balthaſaris Beckeri* innutritus, cujus *Mundum Faſcinatum* (de quo videantur Acta noſtra A. 1692. p. 19. 542, & A. 1693. p. 313.) opus illuſtre & ſapientiæ ac eruditionis plenum vocat. Cæterum, quæ *Beronicius* ipſe in chartam conjecit carmina, ſtudioſe conquiſivit doctiſſimus *Rabus*, dignaque merito habuit, quæ in faſciculum collecta cum Orbe Erudito communicarentur. Præcipuum inter ea illud eſt, quo bellum a ruſticis Zelandiæ adverſus Magiſtratum ſuum anno 1672. geſtum Beronicius deſcripſit, *Georgarchontomachia* titulo inſignitum, quodque notis ſuis *Rabus* illuſtravit. Res ipſa, & ut illa tempeſtate, a modica colonorum ſeditioſorum manu, urbs ipſa Medioburgum fuerit expugnata, ex *Petro Falckenerio*, *L. Sylvio* aliisque illorum temporum ſcriptoribus ignota minime eſt, ut palam adeo ſit, non fabulam ſed veram hiſtoriam enarrari. Aſt nemo fortaſſe accuratius eam poſteritati tradidit, quam Beronicius, αὐτόπτης ipſe, qui minutiſſima quæque eleganti & faceto hoc carmine complexus eſt, digniſſimo quod ab omnibus legatur. Nec reliqua legiſſe pigebit, quæ inter eminent, quibus Celſiſſimi Arauſionenſium & Naſſoviorum Principis (Potentiſſimi hodie Magnæ Britanniæ Regis) in Zelandiam A. 1668. adventum, & ex ea diſceſſum celebravit. Nihil addimus, præter epitaphium Beronicio a *Buzereo*, Poeta inſigni, Belgico ſermone poſitum.

Hier leit een vvonderlijke geeſt:
Hy leefde en ſtierf gelijk een beeſt:
Het vvas een miſſelyke Sater:
Hy leefde in vvijn, en ſtierf in't vvater.

Quod Latine ſic expreſſeris:

Hic jacet in varia Vates mirabilis arte,
Beſtia qui vivus, qui moriensque fuit:
Quem juvit ſatyris homines perſtringere ſalſis:
Vitam cui vinum præbuit, unda necem.

HISTORICA DESCRIPTIO, COMPLECTENS VItam ac Res geſtas Beatiſſimi Viri GULIELMI WICAMI, quondam Vintonienſis Epiſcopi, & Angliæ Cancellarii, & Fundatoris duorum Collegiorum, Oxoniæ & Vintoniæ.

Oxoniæ e Theatro Sheldoniano A. MDCXC in 4.
Conſtat 17½ plag.

GUlielmus hic *Wicamus*, cujus frequens in hiſtoria Anglorum mentio, quemque alii *Perottum* (licet diverſum hunc a noſtro eſſe Auctor paulo poſt oſtendat) alii *Longum* appellare maluerunt, natus non illuſtri quidem, ſed honeſta tamen ſtirpe dicitur, in pago ſui nominis Comitatus Suthantonenſis A. C. 1324. Cum vero nobile in ipſo & ad ſumma quæque natum ſe ingenium exſereret, Nicolaus Uvedallus eum Vintoniæ cum ſuis aliorumque nobilium liberis a quodam Gallo grammaticis præceptis imbuendum curavit, mox artibus, queis puerilis ætas ſolet, probe inſtructum ad Academiam Oxonienſem miſit, ubi per quinquennium mathematicis cumprimis diſciplinis, tum & juri Cæſareo diſcendo ſedulam navavit operam, non neglectis interim puriori Latinæ linguæ elegantia, Theologia etiam ac Jurisprudentia Eccleſiaſtica; cujus inſigne dedit ſpecimen libro abs ſe ſcripto, in quo Monachos a licentiore vivendi genere ad veteris diſciplinæ ſeveritatem revocavit. Abſtractus inde, Uvedallo Suthantonienſis provinciæ præfecto fuit ab epiſtolis, idemque munus trienio poſt apud Edingtonum Vintonienſem Epiſcopum, Magnumque Angliæ Theſaurarium, & apud Regem ipſum denique Edvvardum III geſſit. Qui cum ſingularem Geometriæ & Architectonicæ in eo peritiam cognoviſſet, non modo quatuor caſtrorum ei cuſtodiam, ſed & imprimis caſtri Windeſoriæ ejus conſilio exſtruendi præfecturam commiſit; quin & propenſionem ejus ſingularem erga ordinem ſacerdotalem cernens, Decanum eum S. Martini, Secretarium, & privati ſigilli Cuſtodem, mox *Edingtono* mortuo A. 1367. Vintonienſem Epiſcopum, eodemque anno ſupremum Cancellarium & ſacratioris Concilii Præſidem conſtituit. Gliſcebat tum invidia, qua univerſum Cleri nomen, ex eo, quod omnia pene regia munera atque civi-

Lib. I. c. 1.

c. 2.

c. 3.

c. 4.

lis officia ab Ordine Eccleſiaſtico adminiſtrarentur, odio eſſe cœperat; quod ſentiens *Wicamus*, ſigillum Regi ultro in manus dedit, ſeque munere, quod geſſerat hactenus, abdicavit. Neque tamen ſic effugere potuit, quin a Johanne Lancaſtrenſi Duce repetundarum primo accuſatus, turpiſſimorum deinde criminum ageretur reus, bonisque omnibus indicta licet cauſa exueretur: quæ vero contumelia majori non ita multo poſt honori ipſo fuit, crimine in ipſum ejus auctorem recidente. Interim ſupremum Eduardus diem obierat, & videbatur ſibi quidem Wicamus defunctus eſſe turbis forenſibus, ceterum gravioribus poſt menſes aliquot implicitus, novisque criminationibus fuit impetitus, quas Auctor ad ſeptem capita reductas toto *libro ſecundo* enumerat, ſimulque quæ ad ſingula regeſſerit, & quibus innocentiam tutatus fuerit Wicamus, prolixe exponit. His autem ex malis ut ſe emerſit, nihil aliud egit, quam ut literas, quo poſſet modo, juvaret. Idcirco animum ad condenda duo Oxonii & Vintoniæ Collegia adjecit, & Oxonienſis quidem d. 5. Martii A. 1379. fundamenta jacta, opusque intra ſeptennium A. nempe 1386. abſolutum; Vintonienſe vero d. 26. Martii A. 1387. inchoatum, d. 28. Martii A. 1393. abſolutum, velut ſeminarium Oxonienſis eſſe voluit, unde in Oxonienſe poſtmodum adoptarentur, quorum egregia in literis bonisque artibus fuiſſet induſtria. Manſitque poſtea hoc inſtitutum (quippe de omnibus legitime fuerat proſpectum) & ita feliciter ceſſit, ut Rex Henricus VI, poſtea Etonæ atque Cantabrigiæ ampliſſima Collegia ad exemplum ejus voluerit condi. Wicamus vero nondum fatigatus, poſtquam Richardo II. regnante denuo per triennium Cancellarii ampliſſimo munere functus eſſet, Eccleſiæ quoque Cathedralis, quæ Vintoniæ eſt, navem a fundamentis exſtruxit, aliaque inſignis munificentiæ ſpecimina ſubinde exhibuit. Et quamvis paulo poſt in publicis Regni comitiis A. 1397. læſæ majeſtatis ab invidis accuſaretur, tertium tamen Regis Judicumque abſolutus ſententiis, quod vitæ erat reliquum, Eccleſiæ divinoque cultui impendit, procul a negotiis civilibus remotus. Ita tandem teſtamento condito, & 6270. libris ad eleemoſynas aliaque pietatis promovendæ exercitia deſtinatis, A. C. 1404, ætatis 81, diem obiit ſupremum. Sepultus in ſacello templi Vintonienſis, quod ipſe ſibi quondam ſtruxerat, comitantibus omnibus no-

bilibus,

bilibus, & maxima vulgi frequentia, omniſque ejus laudum atque nominis honos, quicquid etiam invidia intentare ipſi allaborarit, inconcuſſus manſit. Unde fruſtra eſſe Auctor probat Monachum *Albanum*, cum aliis quibusdam eum ſecutis, qui vel literarum expertem, vel ſervum aut ingenio ſervili fuiſſe, vel perpetuas cum Lancaſtriæ Duce inimicitias geſſiſſe, vel meretricis opera ad Epiſcopatum evectum, & paulo poſt exilio mulctatum diu extra regnum agere neceſſe habuiſſe, ſint calumniati.

MARS GOTHICUS, SIVE TRACTATUS HISTORICUS, exhibens veterum Gothorum militiam, potentiam, arma, machinas, exercitationes bellicas, acies, caſtrametationes, &c. autore Matthæo Prætorio, Præpoſito & Parocho Starogardienſi, VVieropolienſi, Gorenſi, &c. Sac. Reg. Maj. Polon. Hiſtorico & Secretario.

Typis monaſterii Olivenſis. S. O. C. imprimebat Jo. Jac. Textor, A. 1691. fol. 1. Alphab. 7. plag.

ORbem *Gothicum* a clariſſimo Autore A. 1688. editum, & a nobis Tomo hoc II. Supplementorum, Sectione I. recenſitum, excepit *Mars* iſte *Gothicus*, quem nunc producemus. In eo univerſam Gothorum militiam ex inſtituto deſcripturus Autor, præmittit ante omnia fortiſſimæ hujus gentis celebrationem, quæ ad bellum ſtrenue obeundum usque adeo promtam ſeſe exhibuerit, ut inter ipſa munera matrimonialia, arma etiam numerata fuiſſe deprehendantur, eademque ad connubia non ſecus ac ad prædam contenderit, a præludio quodam bellico hæc auſpicari ſolita. Quibus declaratis, ad manus ſumit ipſa Gothorum arma, telam ordiens in capite I. a defenſivis, ubi eos potiſſimum refutat, qui Caribus, Græciæ populis, primam armorum inventionem tribuunt, ſeducti, ut cenſet, ex eo, quod juxta linguam Scytho Gothicam *Caras*, ſeu, ut ſcribatur noſtro tempore, *Karas*, bellum denotet. Inde enim potius hanc gloriam Gothis concedendam opinatur, a quibus etiam populus Romanus multa ad diſciplinam militarem pertinentia in uſum ſuum hauſerit. Hinc de corporibus ad expeditius ſuſcipienda prælia maximam partem ut

plurimum nudatis nonnihil differit, & ex armorum apparatu præ reliquis *galeam* de corio & pelle ferarum confectam ob oculos Lectori ſiſtit, totum ſæpe rictum leonis, vel urſæ, aut ſimilis feræ, ſeu potius pellem, qua caput feræ involutum fuerit, capiti humano impoſitam eſſe notans, una cum ipſis dentibus, ita ut ſuperior pars rictus partem frontis, inferior maxillas non ſine horrore contegeret, quibus omnibus in ſuprema parte non raro duo cornua adjecta fuerint. Aliam eſſe ab hac ſtatuit *caſſidem*, & cur criſtæ hanc exornarint, diſpicit. Nec omittit *loricas*, & *ſagum*, quam poſtremam vocem nec Gallicam nec Græcam origine arbitratur, ſed a Polonico *Saja*, quod militare iſtiusmodi amiculum indicet, derivat. Variam hinc *ſcutorum* materiam & formam apud Romanos, Germanos, Gallos, Britannos, Gothos, Rugios, diverſam examinat, memoratque honorem ſcutis olim habitum, & eorundem inſignia, imprimis notatu dignum eſſe reputans, quod Gothi durante bello textilis anguis, pace vero parta, agni figuram ſcutis clypeisque ſuis inſculpere conſueverint. Capite II. arma offenſiva appendit, *arcum* nempe una cum impoſitis *ſagittis*, quarum aciem ſæpius viperina ſanie cum ſanguine humano mixta illi tinxerint, unde mors confeſtim vel e leviſſimo earundem tactu conſecuta ſit. *Gladios* a lævo femore ſuſpenſos, & hunc deinceps uſum ad Romanos, Gallos, Teutonesque ſimiliter derivatum fuiſſe docet, cum ſinguli antea ad dextrum latus enſem geſtaverint. *Lanceas frameasque* dum depingit, duo hæc vocabula e lingua Gothis vulgari unice derivat. *Telorum* genera quænam vocitata fuerint *ancones*, quæ *ſecures*, quæ *ſaunia*, inquirit. *Kutos* apud Dionem nominatos venditat pro telo ejusmodi, quod merito fuſtem dixeris. Parilem in modum *contum* fuiſſe ait telum, quo uſi fuerint maxime Nobiles, Principes, imo & ipſimet Reges, & cujus uſus necdum in Sarmatia apud ſupremos Nobilitatis & Regiæ Maieſtatis anteambulones Mareſchallos penitus defierit. Ea etiam curioſe indagat, quæ apud autores de *romphais*, *ſparis*, *groſphis*, reperiuntur; ſingulis enim his vocabulis certa tela indicari judicat. Caput III. machinas Gothorum bellicas in medium producit, *currus* puta *falcatos*, adhibitosque in contrariam partem *tribulos* ſeu *murices ferreos*, quos definit Autor per propugnaculum quatuor palis confixum, quod, quo-

quomodocunque abjeceris, conſtiterit, & erecto quarto palo infeſtum maximopere camelis equisque & elephantis hoſtium ſeſe præbuerit. Huc refert quoque *eſſedas*, *carros* item, quos veteres vocarint *carraginem*, ac imprimis *teſtudines*, *ſcutarias* non minus atque *arietarias*, & harum varias figuras ſtructurasque, *turritarum & ambulatoriarum* diſtinctionem, ſubverſos arietum impetus per *malleolos & falaricas*, teli genera ignem ipſis inferentia. Multum quoque in hunc uſum contuliſſe dicit *culcitras*, *laqueos*, *lupos*, *centones*, *tollenones*, *aggeres*, aliaque iſtius generis remedia quamplurima. Poſtmodum declaratur, quales machinæ olim fuerint *falces*, *vineæ*, *cauſiæ*, *plutei*, *terebra teſtudinaria*, *muſculi*, ſpeciem arietum præ ſe ferentes; de *ſcalis*, de *ſambuca*, de *exoſtra*, nonnihil inſerit, ac prolixiorem ſemet exhibet in deſcribendis *cuniculis*, quos indagare feliciſſimo cum ſucceſſu didicerit Trypho Alexandrinus. Multa quoque de *baliſtis* narrat, pariterque de *onagris*, *ſcorpionibus*, de *telis* e machina *miſſilibus*, ac præcipue *plumbatis*, &c. Qua ratione flumina in bello Gothi trajecerint, diſquirit, ac præ cæteris confectum ex utribus inflatis pontem ab oblivione vindicat. In Capite IV. ad militem Gothicum procedit, florentem ubivis maximam copiarum potentiam, Attalique exercitum milites 1000000 complectentem encomio inſigni mactans. Quomodo in militum delectu ad ætatem imprimis reſpexerint ii, quibus cura iſta demandata fuerat, probeque intenderint, ut ex vultu, oculis, ac omni membrorum conformatione tyrones officia boni bellatoris impleturi ſeligerentur; quomodo ſtaturæ proceritatem in milite illi æſtimarint, ac viciſſim dulciarios, linteorios, aucupes, piſcatores, a bellandi munere excluſerint; quomodo cognitam animi morumque integritatem anxie quærentes, militem domeſticum extraneo plerumque antepoſuerint, ſubinnuit. Laudat eorum in gradu, in curſu, in ſaltu, in natatu, maturas exercitationes, ſanitatemque continuis armorum exercitiis & caſtrorum mutatione conſervatam; nec parum extollit veterum in indaganda loci ſalubritate ſagacitatem, & uſurpata adverſum ſerpentes aquasque inſalubres remedia. Equis illos inſediſſe refert, nullo unquam ephippio ſubſtrato, mulieresque ipſas facit equites ac eſſedarias, quæ plauſtris in modum caſtrorum circumſtructis deſuper in hoſtes depugnarint.

Cen-

Certa fixaque ſtipendia militaria Gothos ſuis dediſſe inficiatur, & idcirco morem illum approbat, quem hodieque Sereniſſimus Elector Brandenburgicus in Pruſſia aſſervet, quo peculiares agri militibus in bello decertaturis adjudicentur, ipſis inſuper in præda, ſi quam obtinuerint, haud difficulter acquieſcentibus. Pœnas militum & leviores & graviores magno numero recenſet. Ex legibus militaribus eas refert, quæ tempore Theodorici, Regis Gothorum, cum is in Italia regnaret, in uſu ibidem fuiſſe credantur, quasque olim Ruffus Græcus collegerit, ipſe autem interprete Joanne Leunclavio Amelburno acceperit. Caput V. officia Gothorum militaria enumerat, quomodo *Principes* rei militaris diſtincti a *campiducibus*; quomodo cum eligerentur, ſcuto impoſiti & ſuſtinentium humeris vibrati fuerint; quomodo electionem hanc auſpicia & ſortes præceſſerint, declarans. Adjunctos his fuiſſe obſervat *Comites*, maturi viros ingenii, & qui rerum bellicarum pariter atque œconomicarum perſpectam ſatis notitiam fidemque obtinuerint. Nec virorum modo, ſed etiam mulierum conſilio autoritateque omnem ſæpe rei militaris nervum protenſum fuiſſe ſuperaddit. Cæteros officiales, v. g. *ſigniferos*, *teſſerarios*, *tubicines*, *cornicines*, *buccinatores*, ſuo encomio, licet breviori, haud dedignatus. In capite VI. quod ultimum eſt, Pyrrhum Epirotam, artificio metandi caſtra exactiſſimo celeberrimum introducit; figuram caſtrorum, quam Gothi communiter rotundam ſeu orbicularem elegerint, commendat; Deos ante conflictum conſuli ſolitos, præſagia non minus equorum, quam mulierculas fatidicas, producit; de Romanorum aciebus contra Gothorum acies inſtructis ex Arriano verba plurima mutuatur; & de oblatis poſt victoriam ſacrificiis ac Gothorum poſt eandem moderatione quædam inſpergit, inque conciſiori militiæ navalis deſcriptione tandem deſinit. De cætero, ut ſuum hunc Tractatum Potentiſſimo Poloniarum Regi, Johanni III, ſubmiſſe conſecravit Noſter, ita Carmen Panegyricum, quod in Herois hujus laudem, poſt liberatam ab obſidione Turcarum ultima Viennam, Michael Antonius Hacki, Abbas Olivenſis Reverendiſſimus, decantavit, ſub finem ab eo ſuperadditum cognoſcimus.

A LETTER FROM MR. HUMPHRY HODY, TO a Friend.

i. e.

Epiſtola ab Humfredo Hody ad Amicum ſcripta, in qua diſſeritur de collectione quadam Canonum, qui fraudulenter omiſſi dicuntur in libello contra ſchiſma.

Oxonii apud A. Piſſy, 1692. in 4. Plag. 6.

Edidit anno 1691. clariſſimus Hody *Novi Anglicani ſchiſmatis redargutionem*, *i. e. Tractatum ex hiſtoriis Eccleſiaſticis, quo oſtenditur Epiſcopos, injuſte licet depoſitos, orthodoxi ſucceſſoris communionem nunquam refugiſſe;* quem inter manuſcripta Bodlejana repererat, Latinumque fecerat: & præfatione præmiſſa Epiſcopos Anglicanos tunc depoſitos, ad tenendam communionem cum ſucceſſoribus ſuis hortatus eſt. Videantur *Acta Erudit. anni 1692. p. 235.* Inde male audiit quibusdam, qui eundem codicem manuſcriptum inſpicientes animadverterunt, annexam iſti tractatui eſſe Canonum ejusmodi collectionem, qui contra editoris ſcopum facere viſi ſunt. Traducentes igitur Hodium, anſam dederunt amico ipſius, ut quæ perceperat, ad ipſum perſcriberet. Huic jam reſpondet Hodius, ac refert, Tractatum nuper editum, olim a ſe deſcriptum eſſe ex Barocciano manuſcripto, & neutiquam tunc ſuſpicatum ſe eſſe, ex ejusmodi occaſione aliquando emiſſum a ſe iri. Si ergo pertineant iſti ad Tractatum canones, errorem eſſe ſuum, fraudem minime, aſſerit: imo dubitare ſe, utrum pars ſint iſtius Tractatus; quandoquidem non raro plures in uno manuſcripto codice reperiantur tractatus diverſiſſimorum, tum autorum, tum rerum, nec obſtet, quod una eademque manus eosdem transſcripſerit. Ut vero plenius ſatisfaciat Hody amico ſuo, recenſet canones ibi collectos, brevique paraphraſi docet, minime ipſi contrarios eſſe Tractatui, imo magis congruere. Sunt etenim Canon Apoſtolorum XXXI, Concilii Gangrenſis VI, Concilii Antiocheni V & XV, Concilii Carthaginienſis XI, Concilii Conſtanti-

 nopol.

nopol. primi & ſecundi canones XIII, XIV, XV, edit. Bevereg. Hos aliqua ratione ſchiſma improbantes, in theſi cum Tractatu edito convenire aſſerit, quamvis in hypotheſi abeant, quæ eſt: *adhærere Epiſcopo orthodoxo, licet Anteceſſor inique fuerit ejectus.* Cæterum ejusdem Tractatus manuſcriptum aliud extare in Gallia, colligit ex Cote-
p. 15. lerii *Monumentis* Eccleſiæ Græcæ, Tom. 3. p. 645, dicentis: *offendiſſe ſe in opuſculo nunc inedito, olim ſi Deus dederit edendo, de celebri ſchiſmate ob Joſephum Presbyterum, hæc verba:* Ταῦτα εὕρηται ἐν τῷ τοῦ ἁγίου Νίκωνος δευτέρῳ βιβλίῳ, ἐν μιᾷ τῶν Μεθοδίου ἐπιστόλων: quæ ipſa verba Græca in Tractatu a ſe edito reperiri, & probare, illud ipſum eſſe opuſculum, quod Cotelerius deſignaverit, ſibi perſuadet Hodius, ea de re a Dodvvello monitus.

Alteram epiſtolæ partem adverſariis ſuis impendit Hodius, poſtulatque, ut ſchiſma Epiſcopi depoſiti cum orthodoxo ſucceſſore
p. 19. 38. non communicantis, defenſuri probent: 1. Civili Magiſtratui non competere facultatem deponendi Epiſcopos; 2 Schiſma ejusmodi veterum exemplis adſtrui. Et poſtquam contrariam his ſententiam ſuam eſſe profeſſus eſt, vindicat dicta Cypriani, quæ adverſariis videntur Epiſcopum omni eximere jurisdictioni civili.

p. 41. Sub finem corrigit ſententiam ſuam de autore Tractatus, quem ſuſpicatus erat fuiſſe *Nicephorum Calliſti.* Hoc enim antiquiorem eſſe, ita colligit: Tractatus iſte ſcriptus eſt occaſione ſchiſmatis, Joſepho ſedem Conſtantinopolitanam tenente. Arſenius autem, A. 1266. depoſitus ab Imperatore Michaele Palæologo, ſucceſſorem habuit Germanum, & hic ſponte cedens Archiepiſcopali ſede, locum dedit Joſepho, a quo diſſedit Arſenius & plebs monachique plurimi; non enim niſi tres Epiſcopi, Alexandrinus, Theſſalonicenſis & Sardenſis ab ipſius ſteterunt partibus. Jam vero videtur Hodio, ſub initium ſchiſmatis hujus compoſitum eſſe tractatum iſtum; minimum ante Arſenii mortem, quam contigiſſe ſtatuit ultimo Septembr. A. 1273. In vivis autem fuiſſe Metropolitam, in cujus gratiam conſcriptus erat libellus, ex ipſo elucere putat. Et ſchiſma denique coaleſcens anno 1275. anteceſſit, Hodio noſtro judice, tempora Nicephori Calliſti,
p. 42. qui 36. annos natus Andronico, Michaëlis Palæologi filio, & quidem jam ſeni, adeoque ſeculo demum ſubſequente, hiſtoriam ſuam Eccleſia-

cleſiaſticam dedicavit. Ne vero alicui verba interpretis, *ætatis flos & vigor*, ſcrupulum de Imperatoris ſenectute moveant, docet in Græco legi ἄνθος ὥρας, & *florem venuſtatis* deſignare; quibus verbis adblandiens Nicephorus, non vegetam Imperatoris ætatem commendet, ſed floridam complexionem ſeu temperamentum corporis optimum.

A TRUE ACCOUNT OF THE AUTHOR OF A BOOK entituled Εἰκὼν βασιλική.

i. e.

Narratio vera de libro, cujus titulus Εἰκὼν βασιλική, ſeu Imago Caroli I. Angliæ quondam Regis, Authore Antonio VValkero. Theol. D. & nuper Rectore Fyfieldenſi in Eſſexiæ Comitatu.

Londini apud Nath. Ranevv. 1692, in 4. Plag. 5.

ERuditiſſimi Jacobi Regis non indoctus filius Carolus, fortunæ ludibrium, ſeu potius divinæ providentiæ monumentum, a ſubditis ſuis rebellibus regnis exutus, oppugnatus, captus, & tandem privatus vita, illuſtria non ſolum eruditionis ſuæ, verum etiam pietatis reliquit documenta. Proſtant enim opera ejus, magno volumine comprehenſa, apud Anglos vere regia; inter quæ eminet libellus Εἰκὼν βασιλική. Nemo putavit hactenus, tot egregie dicta, preces, ſuſpiria, ſententias, ab alio quam Rege ſapiente, pio & afflicto potuiſſe dici & ſcribi. Sed aliter viſum Authori noſtro. Is enim non Regem Carolum, ſed *Gaudenum* S. Th. D. & olim Worceſtrienſem, poſt etiam Exonienſem Epiſcopum, facit iſtius libelli authorem; ſi duo excipias capita, quæ D. Duppæ Epiſcopo Saliſburienſi aſſeruit. Iſte autem (Gaudenus) Regi familiariſſimus talem adornavit ipſius Imaginem, Regique miſit, cum eſſet in inſula Vecti pacis tractandæ cauſa, ubi Rex perlegens, ſua etiam manu quædam correxiſſe creditur. Negavit id D. Hollingsvvorth, & Regi aſſeruit tractatum iſtum: ſed reſpondet Walkerus, quanquam Gaudenus omnia ſummo celarit ſtudio, nec aliud quicquam de genuino innotuerit Autore, attamen

Gaudenum oſtendiſſe ſibi varias ejusdem libri partes, defendiſſe etiam contra objectionem ſuam, ſcilicet quod ſic orbi maligne impoſiturus eſſet, Regis perſonam ſingens, imo eadem abutens: reſpondendo, libelli titulum erudire lectorem, non regem eſſe autorem, ſed alium quempiam: nemo enim, dixiſſe, ſuam ipſius pingit imaginem. Et denique tempore alio cum Gaudeno adiviſſe ſe Sarisburienſem Epiſcopum, qui a Gaudeno conſcripta perlegens juſſerit, ut de decreto contra preces communes, & repulſa, qua Carolus Concionatores ſuos aulicos ſecum habere fuit prohibitus, duo etiam formaret capita, ſed mox verba ſua corrigens, iſta themata ſibi ipſi pertractanda ſervaverit, Gaudenum ſolummodo monens, ut in iis, quæ cœpiſſet, pergeret. Conſtituunt autem themata iſta in libello capita 16. & 24. Præterea Hollingsvvorth oppoſuerat Walkero diploma a Rege Carolo II. conceſſum bibliopolæ Opera Regia Caroli I. curanti, ubi omnia iſto volumine contenta eidem aſſeruntur Carolo I. Reſpondet Walkerus, non accurate verborum obſervari momenta in Cancellariis, æque ac, ſi concederetur typographo omnia Davidis opera imprimendi facultas, is vero pſalmos ſingulos excuderet, minime tamen ſequeretur, omnes Davidis eſſe. Non autem latuiſſe Carolum II, iſtum libellum neutiquam Patris ſui eſſe fœtum, colligit Walkerus ex eo, quod Dux Eboracenſis rem omnem habuerit cognitam, & Comes Angleſey ſcripto reliquerit verba iſta: *Carolus II Rex, & Dux Eboracenſis, in ultimis ſeſſionibus Parlamenti anno 1675, cum exhiberem ipſis in domo ſuperiori libellum iſtum manuſcriptum, in quo apparent emendationes quædam & immutationes ipſius Regis Caroli I. manu propria facta, affirmarunt non eſſe autorem ejus Regem dictum, ſed Dr. Gaudenum Exonienſem Epiſcopum: idque hic conſigno, ut & alii veritatem cognoſcant, manuque meo confirmo. Angleſey.* Objectiones varias contra hoc teſtimonium produxerat Hollingsvvorth, ſed diluit omnes Walkerus, concluditque obſervatu dignam eſſe providentiam Divinam, quæ voluerit in medio inimicorum conſervare ſchedas iſtas, atque permittere, ut ſub Regis nomine prodirent in publicum: nunc autem ita diſpoſuerit, ut Regis opus non eſſe, clare pateat. Quare & iis, qui hujus narrationis editionem curavere, viſum eſt dignum, eandem minime ſupprimere, licet autor illius Antonius Walkerus, morte præventus, eandem ipſe cum orbe erudito communicare nequiverit.

A Col-

A COLLECTION OF ENGLISCH VVORDS &c.

i. e.

Collectio verborum Anglicanorum, quæ vulgo non occurrunt: una cum eorundem ſignificationibus & originibus. Per Johannem Rajum, Regiæ Soc. Sodalem. Editio ſecunda auctior.

Londini, apud Chriſt. Wilk. 1691. in 12. Pl. 10.

GEntes in orbe linguis diſcriminari, & linguas variis dividi dialectis, quis ignorat? Imo non ſolum dialectos admittunt gentes ſingulæ, verum etiam unaquæque provincia ſibi familiaria uſurpat vocabula. Hinc clariſſimus Rajus Angliam peragrans collegit, quæ tum in Meridionali, tum Septentrionali plaga reperit vocabula, utriusque incolis non uſurpata, & anno 1674. eadem edidit. Nunc a bibliopola rogatus, & ab amicis nonnullis quos recenſet præfatio, inſigniter locupletatus, de novo recudi fecit iſtum libellum, in duas diviſum partes, quarum prima Septentrionalium exhibet vocabula, poſterior Orientalium & Meridionalium; & quidem juxta Alphabeticum ordinem. Addidit præterea catalogum verborum, quæ cum Wallorum lingua conveniunt, & Gloſſarium Northumbricum, docetque per varias ſermonis mutationes Anglicanam linguam ab illis deſcendiſſe.

Appendicis loco ſunt enarratio errorum & defectuum in Alphabeto Anglicano, & hiſtoria quorundam mineralium. Hanc facile ſicco tranſire poſſumus pede; illam non pariter. Queritur enim Author, 1. deeſſe Alphabeto gentis ſuæ aliquas tum vocales, tum conſonantes; e. g. vocales a, o, u, diverſimode, i. e. clare & aperte, obſcure item & quaſi per diphthongum pronunciari, eadem vero ſemper ſcribi ratione. Neceſſe itaque eſſe ut in gratiam infantum & peregrinorum nova iſtarum literarum fingeretur forma, quo eo facilius hanc addiſcere poſſint linguam. Non poſſumus quidem Viri eruditi reprehendere deſiderium; quanto enim linguam Anglicanam diſcentibus impedimento ſit iſta unius vocalis diverſa pronunciatio, be- p. 153.

 ne me-

ne meminimus. Addimus autem, an non potius levi nota diverſa iſta lectio innui debeat, quam novus ſingi character. Apud Polonos triplex reperitur *a*, quorum prius obſcurum nude ponitur, alterum lineola (a) notatum, clarum eſt, tertium (ą) quaſi adjectum Hebræorum ע habet. Sic etiam duplex c, e, l, u, s, & z triplex occurrit, lineola vel puncto ſingulis probe diſcretis, adeoque etiam ab infantibus facile dignoſcendis. 2. Queritur Autor, abundare linguam Anglicanam c, q, x, w, y, & putat literas iſtas eliminandas eſſe, quoniam c aut cum s congruat in pronunciatione, aut cum k, pro diverſitate vocalium inſequentium: q nihil aliud ſit quam cu, & vv idem ac oo, quod Græci per ou efferant: x denique aperte ſit ex cs compoſita litera, & y vocalis ab i vix quicquam differat. Verum de his, ut & de aliis gentis ejus diphthongis literisque, quæ vel non leguntur, vel aliter pronunciantur, adeoque ex mente Raji in ſcriptione immutandæ & omittendæ forent, nihil difinimus.

PENTAS DISSERTATIONUM THEOLOGICArum de Imputatione peccati alieni, exhibita a Joanne Kahler, S. Theol. D. ejusdemque ut & Mathemat. ac Metaphyſ. Prof. Ordin. in Academ. Rinthelenſi.

Rinthelii, typis Godofredi Caſpari Wächter.
A. 1688. in 4. plag. 11½.

QUomodo primi Parentes venenoſo velut halitu omnes poſteros contaminarint, ſuaque apoſtaſia hos ſimul traxerint in caſum, quæſtio eſt non parum agitata inter diverſarum Religionum ſocios, ac eam tanto magis dignam Reverendus quoque Autor noſter cenſuit, quam ventilandam ſibi accuratius proponeret. Et ejus quidem expoſitionem quinque Diſſertationibus complexus eſt, quarum *prima* generalis velut nuncupanda videtur in eandem introductio; quandoquidem e variis exemplis iſtud ibi eruit, quod in foro etiam humano actiones alienæ non minus in præmium ac in culpam imputari ſoleant; quodque in foro divino idem debeat procedere, ex immutabili juſtitia ſupremi Numinis declarat, utpote quæ peccatum inultum trans-

tranſmittere nequaquam poſſit; ut adeo mirum haud ſit, punitos eſſe Protoplaſtorum poſteros, cum præterea & ipſi a criminis participatione liberari nequeant. Quam aſſertionem ubi contra Pelagianos, Socinianos, & Remonſtrantes, ex loco illo claſſico Rom. V. v. 12. ſq. probavit, ipſum modum, quo id contigerit, ſummatim indicat: quem Auguſtinus quidem adverſus Julianum reſponſo valde implicito inſinuaverit, ſed quem ipſe ita exponendum cenſeat, ut dicamus, Adamum ſuſtinuiſſe tutoris aut procuratoris vicem, cujus voluntas utique ad pupillos pertinuerit: quin eum Principem quaſi noſtrum ac Regem fuiſſe cum Deo paciscentem; abſurdum ergo fore & ridiculum hunc ſubditum, qui propter incommoda & calamitates ex fœdere a Principe inito ac rupto ortas multum quereretur. Quod vero in hoc pacto Adami acceptatio ejusmodi quærenda veniat, qua voluntas ejus voluntas noſtra, & hinc amiſſio juſtitiæ nobismet ipſis facta fuerit culpabilis, exinde probat, quod alias pacti nomen obtinere hæc Dei ordinatio non poſſet, quo ipſo tamen expreſſe veniat Hoſ. VI, 7. Interim nonnullas Socini atque Curcellæi objectiones in antecaſſum refellit, & quæ moneri circa hanc rem ab aliis ſueverunt, in ſubſequenti Diſſertationum quaternione ſtrictius perſequitur; *ſecundam* auſpicatus a conſenſu Eccleſiarum, Lutheranæ, Reformatæ, & Romano-Catholicæ circa imputationem peccati Protoplaſtorum: ubi tamen Pontificios refutat, qui, quod peccatum originale vel ipſa ſit Adami prævaricatio, vel in ſola iſta & unica transgreſſionis Adamiticæ imputatione conſiſtat, aſſerant, & iſtud potius ab hac ad eam rationem diſcernendum eſſe ait, juxta quam alias effectus a cauſa, & permanens a tranſeunte diſtinguatur. Viciſſim eos ex Calvinianis refutat, qui quondam docuerint, naturam peccati originalis ita conſiſtere in ſola corruptione hæreditaria omnes homines afficiente, ut imputatio primi peccati locum neutiquam inveniat; quæ ſententia in Synodo nationali Carentonienſi A. 1644. & 1665. publico decreto condemnata fuerit. Hoc autem cum adverſus Joſuam Placeum, Profeſſorem Theologum Salmurienſem, directum eſſe dicatur, inde quidnam ipſe egerit in hoc negotio, quid alii, ex illorum temporum hiſtoria obſervat. Et quoniam nonnulli ita excuſant Placeum, quod imputationem peccati primi mediatam & conſequentem utique admiſerit, im-

immediatam vero atque antecedentem impugnarit; ſimul quid de hac diſtinctione ſentiendum ſibi videatur, Autor aperit, ac pro immediata potius imputatione depugnat, eandem ex oppoſitione juſtitiæ Chriſti & injuſtitiæ Adami ulterius declarans. Ut enim juſtitia Chriſti imputata certo modo prior ſit juſtitia inhærente, ac prius in Chriſto juſti quam in nobis ſancti dicamur: ita etiam prius in Adamo nos extitiſſe radicaliter & in eodem peccaſſe affirmat, antequam vitioſitatem contraxerimus naturaliter & intime nobis inhærentem. Unde jam ſuapte ſponte iſtud profluat, imputationem illam pro immediata venire venditandam. Ad objectionem: quo modo dici poſſit peccatum Adami immediate imputari, & tamen requiri connatam perverſitatem ad id, ut quis ſit reus æternæ damnationis; reſpondet, immediatam hanc imputationem tum ſolummodo intelligi, ſi referatur ad carentiam juſtitiæ originalis connatamque corruptionem; verum ſi ad omnigenam mortis æternæ conſummationem reſpexeris, illius mediatam ſaltim dari imputationem aſſerit. Nec indocte etiam motos a Placeo ſcrupulos reſolvit, dogmataque Arminianorum, Deum ea propter injuſtitiæ alicujus inſimulari, Gentiles item a profeſſione Chriſtianiſmi abſterreri iſto pacto, ſtatuentium enervat. Quinimo ab ipſis etiam Gentilibus Divini hujus juris, quod in alieni peccati imputatione exercere queat, veſtigia fuiſſe obſervata, in Diſſertatione *tertia*, e teſtimoniis Virgilii, Horatii, Heſiodi, Plutarchi, exemplis item plurimis, quæ & ad vulgum manaſſe hanc perſuaſionem doceant, demonſtrat. Sicuti ad priſcam gentium plerarumque conſuetudinem reſpexiſſe quoque ſanctionem Arcadii & Honorii l. 5. C. ad leg. Jul. Maj. affirmat. Grotium, quod L. II. de J. B. & P. CXXI. §. 13. docuerit, Deum minari, ſe vindicaturum paternam iniquitatem in poſteris, & eandem reapſe vindicare, non vi juſtitiæ, ſed jure dominii pleniſſimi, refutat, ac locum Exod. XX. de liberis parentum impiorum piis etiam accipiendum eſſe monet, qui, licet culpam in ſe proprie non habeant, puniantur tamen in majorem parentum afflictionem, qui pœna iſthac liberis inflicta gravius ſe torqueri ſentiant, aut certe, ſi usque ad pœnæ illius immiſſionem non ſupervixerint, metu tamen ejusdem indubitato futuræ jamjam afficiantur. Exempla autem e ſacris a Grotio ad probandum juris divini pleniſ-

pleniſſimi in hac imputatione exercitium commemorata dum examinat, liberos Achanis utique fuiſſe interfectos dicit, & pro plane innocentibus eos reputare minus ſuſtinet, ſive in Parentis factum conſenſerint, ſive iſtud reticuerint, ſive alio modo inique circa id ſe geſſerint; ubi ſimul, qua ratione totus populus reus Achanis peccato factus dicatur, diſquirit. Eundem in modum nec Saulis filios, nec populum a Davide numeratum innocentes pronunciat; quamvis rurſus in exemplo poſteriori judicium divinum tanto ſeveriorem a Davide vindictam per populi punitionem ſumens apparere arbitretur. Cumque inſuper Grotius affirmet, Deum non uti ea ſeveritate adverſus impiorum parentum liberos, niſi in ſceleribus in ſui præciſe contumeliam perpetratis; cum legem Deut. XXIV, 16. a piis Regibus in puniendis perduellibus obſervatam laudet; cum eandem a Joſepho & Philone valde commendari aſſerat: in contrarium oſtendit Autor, Deum etiam hoc modo puniviſſe in liberis flagitia adverſus ſe immediate non commiſſa; id quod ex pœna peccatum Chami, adulterium Davidis, crudelitatem Perſiæ Principum adverſus Danielem inſecuta manifeſtum ſit. Allegatam vero legem non moralem eſſe ſed judicialem; Joſephi denique & Philonis ſententiam nonniſi in humanis judiciis laudem promereri ſtatuit. Poſthæc aliquot Judæorum teſtimonia, e quibus, quod & iſti paterni ſceleris pœnas in liberos redundare poſſe crediderint, abunde diſpaleſcat, in medium producit, pauciſſimis ſub finem annotans, quod hactenus dicta non niſi de pœnis temporalibus intelligenda ſint, minimeque ad ſpirituales extendi debeant. Redit autem in Diſſertatione *quarta* ad Adamitici peccati imputationem, & imprimis ſententiam Auguſtini ponderat, qui alterum alieno crimine ita obnoxium teneri judicarit, prout aliena fides proſit parvulis. Econtra vero hos propria ſua fide ſalvari docet Autor; qua occaſione & ſalutem infantum ante Baptiſmum decedentium probat, & eos ab utero ſanctos atque fœderatos dici poſſe negat, ſolutis iis argumentis, quæ pro imputatione alienæ fidei & ſanctitatis fœderalis urgeri alias conſueverunt. Ipſam vero Auguſtini opinionem hoc inſuper laborare inconvenienti docet, quod eandem adhibere quis ad ſuffulcienda Iſ. Peirerii de Præ-Adamitis placita haud fruſtra valeat. Quodſi enim quibusdam fides in Chriſtum imputari

dicatur, qui communione ſpirituali cum eodem nondum gaudeant: ſequi omnino, quod non ſit neceſſaria communio aliqua inter Adamum aliosque homines ad hoc, ut ejus delictum illis imputetur, atque ita homines ab Adamo non oriundos nihilominus ab ejus delicto participare potuiſſe; quæ cavillandi anſa præcidatur adverſario contentioſo, ſi hanc de fide aliena hypotheſin ex animo dimittamus. Scholaſticorum tricas circa quæſtionem: quomodo Adami inobedientia poſteris imputetur, cum in his, utpote nondum exiſtentibus, non videatur fuiſſe voluntaria? ſubjungit, easdemque pro inſtituti ſui ratione diſcutit. Diſſertatio *ultima* hanc quæſtionem pertractat: an primum Adami peccatum poſteris ad pœnam & culpam ideo queat imputari, quoniam illis voluntarium fuerit voluntate virtuali, & quod Deus præviderit, poſteros idem fuiſſe facturos, quod fecit Adam, ſi ei coëxtitiſſent? Circa quam expediendam Autor ita occupatus eſt, ut potiſſimum oſtendat, quicquid etiam pro illius affirmativa diverſimode diverſi tradere nitantur, remanere tamen nihilominus difficultates iſtiusmodi, quæ ab eadem amplectenda accuratos veritatis indagatores ſatis valide dimoveant. Interim ad fidem ſufficere nobis affirmat, dici in Scriptura, omnes in Adamo peccaſſe, defectumque juſtitiæ originalis & congenitam concupiſcentiam peccatum appellari, & tale quidem, propter quod rei mortis & natura filii iræ ſimus, licet nemo explicare valeat, quomodo peccatum ſit, & ad culpam imputetur id, quod poſteris voluntate ſua non ineſt; quandoquidem non minus heic atque in aliis credendis ratio ſub obſequium fidei captivari ſummo jure debeat.

AUTEURS DEGUISEZ SOUS DES NOMS etrangers, empruntez, ſuppoſez, feints à plaiſir, chiffrez, renverſez, retournez, ou changez d'une langue en une autre.

id eſt,

Scriptores latentes ſub nominibus alienis, mutuatis, ſuppoſititiis, ad lubitum confictis, per ſiglas denotatis, inverſis, retrogradis, aut ex una in aliam linguam translatis.

Pariſiis, apud Ant. Deſallerium, 1690. in 12. conſtat Alph. 1. pl. 4.

Quo

QUo tardius ad nos hic pervenit liber, eo gratior extitit ob variam rei literariæ & librariæ cognitionem, in quam nos perducit doctiſſimus ejus auctor *Adrianus Bailletus*, Bibliothecæ Lamonianæ præfectus; qui etſi in titulo nomen reticuit, vel e pag. 249. tamen, ubi ſuum *de pueris doctis* commentarium a nobis in Actis menſis Januarii A. 1689. pag. 32. recenſitum allegat, eum auctorem eſſe licet intelligere, & nativa Scriptori huic elegantia ac diffuſa per omne librorum genus eruditio, quam liber hic ſpirat, manifeſtum facit. Hujus quia nulla ad nos e Gallia perferuntur exemplaria, non ingratum elegantiorum literarum ſtudioſis futurum exiſtimamus, ſi haud paullo liberaliori ſtilo delicias has deguſtandas exhibeamus, usquedum ipſius libri copiam nanciſci detur, aut ampliorem recenſum latentium Scriptorum (cujus ſpecimen ſub finem præſentis tractatus a p. 521. usque ad 615. prodit) nec non plagiariorum impoſtorumque aliorum in re literaria collectionem, quam alio tempore ſe daturum promiſit, erudita & curioſa ab induſtria ejus adipiſcamur.

De quo in præſenti agimus liber, in quatuor partes dividitur: quarum *prima* generales quasdam obſervationes circa nominum mutationem, ejusdemve uſum paſſim receptum, tradit. Nomina propria mutationi & inconſtantiæ non minus, ac aliæ res humanæ, expoſita eſſe, nec mutationem eorum ab ipſis ſemper, qui iſta gerunt, provenire, ſed ab ſequentibus ſeculis aut aliis gentibus pro lubitu fieri, *capite I.* oſtendit; inque exemplum ejus rei varias primi omnium ſcriptoris Moſis appellationes adducit, diverſa pro gentium & linguarum diverſitate nomina ſortiti, quorum quadraginta & plura p. 14. 15. profert. Uſum hunc mutandorum nominum valde antiquum eſſe, *cap. II.* probat, nec ab Abrahamo, & Sara, Jacobove, queis Deus ipſe nomina mutaverit, ſed inde usque a Babelica linguarum confuſione acceſſit: indeque manifeſtum eſſe aſſerit, neutiquam Deum ſibi hoc jus nominum immutandorum reſervare voluiſſe, ſed potius id liberum hominibus reliquiſſe, iſtamque apud Ebræos conſuetudinem hinc invaluiſſe. A qua nec Salvatorem noſtrum abhorruiſſe ait, qui Petro & Zebedæi filiis alia, quam habuerant ante, impoſuerit nomina. Ab Ebræis tranſit ad Ægyptios, quorum rex Pharao nomen *Pſont homphanech*, ſeu potius *Sophompanea*, Joſepho dederit: ab

ab his porro ad Chaldæos, Aſſyrios & Babylonios, Phœnicios, Arcadas, Perſas, tandem etiam Græcos; inter quos Nicanor, Grammaticus Alexandrinus, peculiari ſcripto (æque ut Philo inter Ebræos) nominum mutationem fuerit pleniſſime exſecutus, ſed quod temporum iniquitate perierit. Modos peculiares nominum mutandorum iis uſitatos, qui libros ſive ingenii monumenta ſcriptis conſignarunt, iisque nomina præfixerunt, *cap. III.* exponit, & ut Meleſigenes poſtea dictus fuerit *Homerus*, Ariſtocles ab humerorum latitudine *Plato*, Tyrtanus ob eloquii ſuavitate *Euphraſtus* & deinceps *Theophraſtus*, Priſcus ob ſeveritatem morum curamque reipublicæ *Cato* Malchus *Porphyrius* nec non *Baſilius*, annotat. Inde de ratione nominum ab auctoribus, qui libros ſcripſerant, iis præfigendorum diſſerit p. 27. 28 29. eamque adverſus eos, qui vitio vertunt, tuetur: ex ejus autem neglectu factum docet p. 31. ut plagiarii vera auctorum nomina reticuerint, ſuaque appoſuerint; alii impoſtores auctoribus, quorum fama eximia erat, alios libros adſcripſerint. Hac occaſione differentiam anonymorum, plagiariorum, & impoſtorum a pſeudonymis tradit; qui & allonymi, heteronymi & cryptonymi dicuntur (p. 34.) & nemini imponunt, neque aliis ſua ſurripiunt, ſed abſque omni fraude & cujusquam damno deliteſcunt. Horum ætatem non antiquiorem eſſe ſeculo octavo exiſtimat pag. 36: maxime autem frequentes extitiſſe eos poſt Carolum Magnum affirmat, qui maxime decorum putarint fictis ſub nominibus libros conſcribere. Donec abuſus inde ſuborientes veritus Paulus II. ſeveris interdictis iſtum morem coercuit, veritus ne ab his, qui literariæ ſocietatis participes novis nominibus appellabantur, aliquid in ſe mali cuderetur, ad quod evitandum metonomaſiam prorſus tollere ſtuduit, *cap. IV.* Quam tamen tolerandam eſſe Auctor exiſtimat p. 39. ſi intra terminos olim conſtitutos conſiſtat: unde nec hodie amplius lis moveatur iis, qui nomina ſua, quando libros emittunt, occultant. Eventus tamen *cap. V.* memorat, quibus mutatio nominis, pro varietate circumſtantiarum, vitio aut carere poſſit aut laborare; in eamque rem M. Ant. Majoragium allegat, qui egregie cauſam in hoc argumento dixit; Cuiacium autem notat, in Zacharia Furneſtero improbantem, quod ipſe ſub *Mercatoris* nomine adverſus Robertum commiſit. Tandem conclu-

cludit, ſi maxime excuſari queat Pſeudonymorum ratio, minus tamen eſſe probandam: & ex iis potiſſimum tolerandos eos, qui loco proprii nominis appellativo ſunt uſi, *Abbatis*, *Academici*, *Advocati*, *Canonici*, *Conſiliarii*, *Doctoris*, *Nobilis*, *Officialis*, *Philoſophi*, *Prædicatoris*, *Theologi*; eos item, qui appellationem virtutis cujusdam, humilitatis modeſtiæve, præ ſe ferunt, ut *Hamartolus*, *Idiota*, *Incognitus*, *Peregrinus*, *Aſceta*, *Dacrianus*, *Chriſtodulus*, *Peccator pœnitens*, *Fidelis Subditus*, *Diſcipulus*, *Philadelphus*, *Timotheus*, *Sincerus*, *Simplicius*, *Verus*, *Modeſtus* &c. Nimium rigidos pſeudonymorum inſectatores, e quibus Rich. Montacutium & Michaelem Marollium nominat, ſtatuentes quod hi, qui aliud ſibi nomen ſumunt, baptiſmati renuncient, improbat p. 51 ſimulque p. 52 Jac. Thomaſium & Theoph. Spizelium reprehendit, ejusdem criminis reos eſſe ſtatuentes cum plagiariis & impoſtoribus aliis pſeudonymos. Contra quos leg. unicam Cod. de mutatione nominis Lib. IX. tit. 25. allegat, qua Impp. Diocletianus & Maximianus Juliano reſcribunt: *mutationem nominum periculoſam innocentibus non eſſe; itaque mutare nomen, vel prænomen, ſive cognomen ſine aliqua fraude, licito jure, minime prohiberi.* Quid juſtum igitur prohibitumve per civiles ſit leges, dum *cap. VI.* explicat Auctor, decretaque Principum circa hanc nominis mutationem adducit; mandatum regis Henrici II. d. 26. Martii a. 1555. promulgatum eandem ob cauſam, nequaquam eruditos attingere, ſed ſolum Nobiles, quibus interdicatur ſuum mutare nomen, ne exinde rixarum turbarumve in familiis exiſtant cauſæ, monet. Eccleſiaſticas ſanctiones & civiles, cumprimis autem Concilii Tridentini decreta e Seſſ. 4. & 108. nec non Galliæ Regum placita *cap. VII.* exponit, quibus ne quis Scriptorum nomen ſuum immutet reticeatve interdicitur. Sed diverſimode tamen eadem exponit, nec unquam obſervatas fuiſſe has ſanctiones obſervat, quin imo privilegiis regiis libros anonymos & pſeudonymos plurimos prodiiſſe munitos. Ac ne quis forte putet, iſtud privilegium veluti competere Eccleſiæ Gallicanæ libertati, ut decretis Concilii Tridentini obnitatur; oſtendit, etiam in aliis Imperiis, ubi Concilii illius auctoritas valet, nihilominus ab eccleſiaſticis quoque viris ſcripta omiſſis auctorum nominibus, vel aſſumtis aliis, prodire. In cujus rei fidem exemplum allegat Caniſii

Z 3 p. 3.

p. 73. qui octavo poſt promulgatum iſtud decretum Tridentinum anno nimirum 1554. primus e Societate ab Ignatio fundata, cum approbatione ipſius non minus ac Ferdinandi Regis, publice librum ediderit, ſæpius poſtea recuſum. Eadem ratione Stephanum Gardinerum ſub *Conſtantii* & *Witi*, Bellarminum ſub *Matthæi Torti*, *Adolphi Schulkenii* & *Franc. Romuli*, ipſum Pontificem Alexandrum VII, ſub *Erneſti de Euſebiis*, alios ſub aliis nominibus impune ſcripta emiſiſſe; ac in ſola Jeſuitarum Societate, omiſſis aliorum Ordinum ſacrorum anonymis, ultra quingentos anonymos, ducentos pſeudonymos, obſervatos eſſe iis, qui Bibliothecas ejus adornarunt, p. 75. Æquum igitur p. 82. cenſet, omiſſo nomine auctoris quandoque libros evulgari, quod ſpectandum ſit, non quis, ſed quid dicat; ac proinde interdum ſatius ſit occultari nomen auctoris, quando ingenia lectorum ita comparata ſunt, ut cognito auctore de ipſa re minus libere minusque prudenter judicent.

Parte *ſecunda* expendit Auctor cauſſas, ob quas Scriptores nomina interdum immutent; & *cap. I.* generalem, in hominum ingenio ad mutationem proclivi, ac cujusvis arbitrio, collocat; ſpeciales poſtea recenſens. Et *capite* quidem *II. primam* adfert, amorem antiquitatis profanæ, quo excitati fuerint multi ad capienda nomina veteribus Græcis vel Romanis uſitata; credentes ſe haud injuria imitari debere eos, qui in Ordinem ſacrum allecti nomen a nativitate ſibi impoſitum novo commutant. Ejusmodi enim imaginem referre ait Sodalitium Esquilinæ, quod vocant, ſive iſtam eruditorum ſocietatem tempore Pauli II Pontificis, cui originem haud dubiam debeant Societates illæ in Italia literariæ, vel Academiæ, p. 90. 91. Iſtos vero antiquitatis amatores Auctor in tres claſſes diſpeſcit: quarum primam ii conſtituunt, qui nomen cognomenque ſuum prorſus ſuppreſſerunt, antiquo ſurrogato; ut Petrus Calaber fecit, non aliam niſi *Julii Pomponii Læti* appellationem usque ad mortem uſurpans, niſi quod interdum *Sabini* etiam nomen ſibi arrogavit. Quem ſecuti alii, e. g. *Philippus Callimachus Experiens*, *Titus Alexander*, *Fabius Vigil*, *Petrus Apollonius Collatius*, *M. Ant. Coccejus Sabellicus*, adeo vera ſua ſuppreſſerunt nomina, ut ne divinare quidem ea nunc quisquam valeat, p. 92.; quibus accenſendi ſint & ii, qui ad tempus tan-

tantum *Octavii Cleophili*, *Marci Licinii*, *Papyrii Cenſoris*, *Quinti Januarii Frontonis*, *Julii Pomponii Dolabellæ*, *Attici Secundi*, *Horatii Gentilis* nominibus fuerunt uſi, tempore Cardinalium Richelii & Mazarini, p. 93. Alteram claſſem abſolvunt, qui prænomini in baptiſmate ſibi impoſito aliud aut Græcum adjunxere aut Romanum; qua ratione Antonius de Lebrixa *Ælium Antonium Nebriſſenſem Grammaticum*, Andreas Reſendius *Lucii* & interdum *Angeli* adjecto nomine ſe appellari voluit, quem poſtremum Chr. Eſcobar imitatus eſt p. 94. & in Gallia Florens Chriſtianus, Henrici IV ſtudiorum rector & Bibliothecæ cuſtos, *Quinti Septimii* nomina ſuis præſcribens, p. 95. Eadem ratione Demochares Reſſonæus *Antonii Monchiaceni*, & Charondas *Ludovici le Caron* nomina ſuis attexuit, p. 97. Tertia in claſſe conſpiciuntur, qui nomen in baptiſmate acceptum prorſus rejiciunt, & gentile ſubſtituunt, ut Petrus Valerius *Pierius Valerianus*, Petrus Tiara *Petrejus*, Perezius *Petrejus*, Duſæ, Lernutius, Gruterus, Druſius, Bodecherus, Rutgerſius, Hautenus, Paſſeratius, Baiſius, Morellus, Gulielmius, Cunradus, Cornarius, Antoniatus, Svvola, Dubravius, Pannonius, & complures alii, pro Johanne *Janus*, Jo. Paulus Pariſius *Aulus Janus Parrhaſius*, qui Mariæ nomen tulerunt *Marii*, qui Lucæ *Lucii*, qui Jacobi *Jacchi*, qui Dominici *Domitii*, qui Ignatii *Egnatii*, appellari voluerunt, quod hæc nomina propius antiquitati convenire cenſerent. Nomen *Tanneguy* gentilitium in *Tanaquilis* mutatum a Fabro non improbat p. 105. Exemplum eorum, qui nomina ſua retinentes novum acceſſiverunt, præbere ait p. 105. Joannem Pontanum *Joviani*, & Jacobum Sannazarium *Actii Sinceri* nomina adoptantes; de Nicolao enim Leonico Thomæo non ſatis ſibi perſpectam eſſe rationem affirmat p. 106. *Capite III.* affertur *ſecunda* cauſſa occultationis nominis, prudentia; dum Pſeudonymi rationem invenire ſtuduerunt id, quod animo conſtituerant, melius, ſi laterent, exequendi. Paulum ipſum propterea nomen ſuum, cum ad Judæos ſcriberet, diſſimulaſſe, nec iſtud epiſtolæ ad Ebræos præfixiſſe, ne iſti forte præjudicata de ipſo opinione, cuncta quæ ſcriberet, aſpernarentur, ſed ut ſic, tecto auctore, melius ſe inſinuaret veritas, neve aliorum Judæorum odio exponerentur hi, qui Chriſtianam religionem fuerant amplexi; quæ Chryſoſtomi, Clementis Alexandrini, Euſebii, & Hieronymi ſenten-

tentiæ convenire p. 109. affirmat. Vincentii Lirinenſis exemplum an huc trahendum ſit, p. 112. 113, diſquirit. Plurima dari noſtra patrumque ætate exempla obſervat, eorum cumprimis, qui contra hæreticos calamum ſtrinxerunt, quive conciliatorum partes ſibi ſumentes, diverſa ſacra profitentes ad eandem cultus conſuetudinem revocare allaborarunt, *Simplicis & Sinceri Chriſtiani* nominibus tecti. Hos inter excellere ait p. 115. *Veranium Modeſtum Pacimontanum*, quem Calvinus crediderit eſſe Franciſcum Balduinum, cum fuerit Georgius Caſſander p. 116. *Tertia* cauſa *capite IV.* refertur ad timorem Scriptorum, qui verentur aperte cum adverſario potente agere, & contra eum ſcribere qui proſcribere poteſt. Quemadmodum in Anglia ſub Eduardo VI. & Eliſabetha ſcriptoribus Pontificiis, & in eodem regno hodie prudentioribus uſitatum refert diverſa gerere nomina p. 120. 121. Socinianis ubique terrarum exoſis, ſi nomina ſua occultent, haud exprobrandum p. 122. putat. Pallavicino tamen auctori *Divortii caleſtis* (Italice ſcripti libri) male ceſſiſſe ſuum ſtudium annotat p. 126. *Quartam* rationem *capite V.* allegat, pudorem ea publicandi, quæ loco iſti, quem quis tenet, ſeu ordini, non ſatis videntur convenire. Qua ratione ſub adſcititiis *Leonis Adulſi* Noel Failus, Conſiliarius in Parlamento Britannico, Franc. Sagonus ſub *Matthæi Butingii*, Theophilus Folengus ſub *Merlini Coccaji*, Cherubinus Bozzomus ſub *Berniesqui Boncherii*, Lopez de Vega ſub *Thomæ de Burgillos*, Hieronymus Savonenſis ſub *Olmerii Michelis*, Gabriel Tellez ſub *Tyrſi de Molina*, nominibus dignitatem ſui ordinis, quam facetis amatoriisve libellis imminui credebant, velare studuerunt, p. 132. 133. 134. Contrariam rationem Hiſpanos & Italos tenere obſervat, qui majori ſubinde opprobrio ducant, libros ſacros piosque, quam profanos & amatorios, vero ſuo nomine addito, evulgare: quemadmodum Hyacinthus Villalpandus Marchio Oſſeræ non erubuerit nomen ſuum præfigere ſcriptis perſona ſua omnino indignis; quod tamen velamento *Fabii Clementis* texerit, vitam S. Eliſabethæ, Hungariæ Reginæ, publici juris faciens, p. 135. ad quem modum Petrus Aretinus etiam libris ſuis non optimæ notæ haud dubitaverit nomen ſuum præfigere, quod reticuit tamen, & *Partenii Etiri* nomen præpoſuit paraphraſi Pſalmorum pœnitentialium, & Sancto-

rum

rum aliquot a ſe deſcriptis vitis, pag. 136. Refert huc quoque Principes quosdam doctos, qui indignum forte ſua dignatione ſcribendorum librorum ſtudium rati, nomen ſuum iis præmittere noluerunt; ſicut Imp. Hadrianus libertorum aut domeſticorum ſuorum nomina ſcriptis a ſe libris præfixit, & Auguſtus Dux Luneburgicus *Guſtavi Seleni* nomine commentarios inſignivit, qui occultam ſcribendi rationem & ſcacchorum ludos exponunt; quorum neuter Principali cura indignus eſt, p. 137. *Capite VI.* cauſa affertur *quinta*, quod diſſimulatione veri nominis, quidam humile ſuum genus abſcondere, alii ex humili in altura ſe erigere iſtud poſſe cogitarunt. Hoc vero improbat Auctor, & minus ex voto ceſſiſſe Pomponio Læto Sabellico, aliisque Italis, Guilielmo item Poſtello apud Gallos, oſtendit p. 143. p 144. Laudat tamen *Robervallium*, qui ruſtico parente natus, & in prima ætate paſcendis pecoribus victum quærens, excellentiſſimus Mathematicus evaſerit, vero nomine Ægidius Perſona dictus, a pago alterum illud nomen bona cum Domini iſtius venia ſumſerit, crebro autem ſuæ & parentum ſuorum fortunæ tenuitatem commemoraverit, p. 146. Improbat Joannem Antonium, ludimagiſtrum Imolenſem, qui ut e nobili Flaminiorum gente ſe ortum eſſe aliis perſuaderet, *Marci Antonii Flaminii* nomen ſibi attribuerit, p. 148. Cui addendum cenſet Aldum Manutium, qui & *Baſſiani & Romani*, & *Pii* cognomina ſuis attexuerit ſubinde, p. 150 Bartholomæum quendam Ferrarienſem *Ferrini* nomen adoptaſſe in honorem ſoceri, divitis mercatoris, qui ferrariam exercebat, p. 151. annotat. *Sextam* cauſam *capite VII.* in eo verti docet, quod nonnulli ſignificationem nominis ominoſi, & auribus minus grati, tollere cuperent. Tale apud veteres fuiſſe *Lurconis*, *Gurgitis*, *Nepotis*, p. 155. 156. obſervat. Diſnemandium ob hanc rationem (quod Lemovicenſium dialecto eum notet qui jentaculis gaudet) iſtud nomen aſpernatum fuiſſe, & *Aurati* ſe appellari maluiſſe, nihilominus filiam Magdalenam docto viro qui *Goulu*, Latine *Gulonius* vocabatur, elocaſſe, p. 156 *Vatablus* qui ſe dici voluit, vero nomine *Oüate blè* appellatum eſſe, pag. 157. notat. Animalium nominibus homines, & cumprimis Romanos, olim fuiſſe inſignitos, nemo ignorat: hæc tamen, ut & alia humilia & abjecta, multis noſtro ſeculo minus commoda fuiſſe viſa, Auctor tradit. ac

propterea Petrum Picam ſeſe *Pium*. Theophilum Vitulum *Viaudum* Hieronymum Bock ſeu Hircum *Tragum*, Capreolos *Chevreuos*, Pullain ſive Pullos *Paulinos*, Adr. Tournebueſ *Turnebum*, Franc. Juacum *Junium & Agmonium* dici voluiſſe; cum tamen veteres Romani non abhorruerint a nominibus Verris, Scrofæ, Porcii, Suilii, Muris, Capræ, Hirci, Tauri, Caballi, Aſinii, Bruti, Belluti, Beſtiæ, Bubulci, Fullonis, Latronis, Capitonis, Calvi, Frontonis, Naſonis, Luſci, Coclitis, Strabonis, Pæti, Labeonis, Chilonis, Balbi, Blæſi, Vari, Valgi & ſimilibus appellari. *Septimam* cauſam *capite VIII* Auctor a ſtudio accerſit, exquirendi aliorum judicia de re quadam vel nova prorſus, vel cujus ſucceſſus non ſit certus: cujus exemplum præbere Gregorium Nazianzenum ait p. 173. qui cum librum de Fide ſcripſiſſet, quaſi auctoris neſcius aliorum de eo ſollicitavit judicia, exemplo Apellis poſt tabulam latentis; ſub quo titulo celebris inter Germanos mathematicus Chriſtophorus Scheinerus e Soc. Jeſu Auguſtæ Vindelicorum A. 1612. ſcriptum edidit, in quo aliquot Solis maculas, ſtellasque antea non obſervatas expoſuit, primæ earum obſervationis Galilæo de Galilæis ambiguam reddens gloriam, pag. 175. Pro *octava* cauſa *capite IX.* aſſertur modeſtia ſcriptorum, qui quod e libris famam non aucupantur, latere malunt, exemplo Moſis & plerorumque ſacrorum Scriptorum Veteris & Novi teſtamenti, qui ſoli Deo gloria verbi relicta ipſi nomen ſuum reticuerunt, p. 181. Multos etiam Chriſtianos veteres ignotos voluiſſe deliteſcere potius, quam præſcriptis nominibus pietatis & induſtriæ monumentis inclareſcere. Cujus humilitatis illuſtre exemplum præſtet inſignis *de Imitatione Chriſti* liber, de cujus auctore Benedictinorum & Canonicorum Regularium concertationes maxime memorabiles & longas in republica literaria exiſtere p. 182. annotat. Huc & eos pertinere ait, qui parænetica, aſcetica & myſtica ſcripta ediderunt, vel nullo vel alieno nomine iis præſcripto, mentis ab omni faſtu alienæ teſtificandæ cauſa, v. g. *Idiotæ, Dacriani, Hamartoli, Tapini*, aut etiam aliarum virtutum declarandarum ergo, ut *Veri, Sinceri, Optati, Ductoris, Firmiani, Eubuli, Evangeli Fulgentii, Flori de ſancta Fide, Eugenii, Euſebii, Athanaſii, Vincentis, Philareti, Philalethis, Simplicii Peregrini, Philadelphi, Phileremi, Anaſtaſii, Chriſtoduli, Theophili, Timothei.*

Quo

Quo poſtremo nomine *Timothei* Salvianum, Epiſcopum Maſſilienſem, ſæculo quinto, quatnor libros *ad Eccleſiam catholicam toto orbe diffuſam* inſcripſiſſe p. 188. monet, iſtamque nominis mutationem adductis ex ipſo Salviano rationibus tuetur, uſque ad p. 200. *Nonam* cauſam apud nonnullos in pietate & animi devotione collocatam eſſe *cap.* X. putat, dum amore Dei, ejusque gloriæ ſtudio, ad Eccleſiæ emolumentum, vitam quam mutarunt nominis commutatione teſtatam facere quidam ſtudent: quod potiſſimum eos agere, qui relictis ſeculi ſtudiis Ordinem ſacrum ingrediuntur, obſervat. *Capite XI.* mutationis nominum *decima* cauſa, eaque minus laudabilis, affertur, fraus & impoſtura, qua ſimplici turbæ imponitur, & fidei ejus illuditur. A patre mendacii hos inſtigari, qui in angelos lucis ſe transformant, dum præſtantium auctorum nomina ſibi ſumunt, ſua reticent, ait p. 205. Nec eos tamen prorſus damnat, qui exemplo Raphaelis angeli, nonſolum hominis formam induti, ſed & Azariæ nomen gerentis, ad inſtruendos tanto commodius alios, nomen veteris Scriptoris ſibi ſumunt; ſicut Vigilius Tapſenſis *Athanaſii* nomine uſus eſt, adverſus SS. Trinitatis hoſtes calamum ſtringens; quod ipſum nomen quum & ſibi imponeret Bullingerus, æque ac Eraſmus *Cypriani* de duplici martyrio ſcribens, non adeo feliciter rem geſſerint, p. 209. Ad periclitandas ſtili & ingenii vires *Ciceronis* nomen ſuo ſcripto Carolum Sigonium præfixiſſe, p. 210. dicit. Iis autem, quorum mens ſit mala, objicit Auctor verba Apoſtoli 2. Cor. 11. v. 13. 14. 15. p. 211. obſervatque tempore renaſcentium literarum ejusmodi falſarios extitiſſe plurimos; quos cum fabuloſis illis cujusdam inſulæ in Archipelago brucolacis, ſeu falſis reſuſcitatis p. 214. comparat, qui a dæmonibus animati, ceu reducti eſſent in vitam, præternavigantibus imponunt. Demum *Cap. XII.* reliquæ quatnor cauſæ breviter delineantur; quarum *undecima* eſt tædium gloriæ ex libris redundantis; *duodecima* liberius maledicendi occaſio, & cuivis pro lubitu inſultandi impunitas; *decima tertia* impietas & effrenis licentia; *decima quarta* animi libido & ad hæc latibula proclivitas. Atque hæc nunc quidem de duabus prioribus libri partibus dicta ſuffecerint. De duabus poſterioribus proxima ſectione dicemus.

PYROLOGIA TOPOGRAPHICA,

i. e.

De Igne Diſſertatio juxta loca, cum eorum deſcriptionibus, Dominici Bottoni Leontini, in publico Neapolitano Gymnaſio primarii Philoſophiæ Lectoris.

Neapoli, apud D. A. Parrinum & M. A. Mutium, 1692. in 4.
Conſtat plag. 36. ſchem. 8.

QUandoquidem admiranda valde ignis eſt natura, quippe qui, cum confector & conſumptor ſit omnium, ad vitæ tamen uſus vel maxime requiritur, merito doctiſſimi nonnulli viri ad illum inveſtigandam omnem ſuam operam contulerunt. Quorum in numerum referendus jam nobis eſt clariſſimus Pyrologiæ Topographicæ Auctor, qui non nudam in illa locorum ignibus abundantium enarrationem adtulit, ſed multa præterea; quæ perobſcuram de ignis natura quæſtionem illuſtrare poſſunt. *Libro* enim *primo* ignem undique diffuſum eſſe, atque ultro quaſi oculis ſe noſtris ingerere demonſtrat, variis obſervationibus adductis, ad quas illæ quoque pertinent, quibus A. 1670. Meſſanæ apud ſepulcrum ſacræ ædis S. Minervæ de mercede, poſt ingentem pluviam, cadavera flammas emittere, nec non calculoſorum arenam, quæ talci ad inſtar lucidas moleculas continet, exſiccatam & igne calefactam noctu inſigniter ſcintillare animadvertit. Deinde veterum pariter ac recentiorum de igne placita ſuis momentis ponderat: Utrum ſcil. ſubſtantia ſit ignis, an accidens? Num calor, flamma, lux & fumus nihil aliud ſint quam ignis? Actune ille ſit in mixtis, an potentia? A ſulphure num differat? Ignis particulæ minimæ ex punctis Zenonis utrum ſint conflatæ, an indiviſibiles, & quam habeant figuram? Tandem vero cenſet ignem corpus eſſe, ejusque particulas plerisque mixtis, præſertim ſulphuri, actu ineſſe, quamvis diſperſas; calorem, flammam, lucem & fumum nihil eſſe, quam particulas igneas varie modificatas; diſceptationem autem de conſtitutione molecularum ignearum prima, eſſe temerariam, cum ſenſi-

enſibus, a quibus omnis noſtra cognitio ducat originem, conceſſum non ſit in creationis penetrare myſteria. Eadem ſequentibus in libris, prout fert occaſio, uberius explicantur, & in *ſecundo* quidem, qui de ignibus cœleſtibus agit, ea quæ ad lucem; ut pote quæ in ſideribus maxime conſpicua eſt, declarandam faciunt; proponuntur. Eam enim nihil aliud eſſe putat doctiſſimus Bottonus, quam corpuſcula ex lucido corpore perpetuo emanantia; & per corporum diaphanorum poros non interruptos nec tortuoſos ad oculos noſtros adfluentia; Voſſiumque poroſitatem corporum negantem confutans, lucem eſſe ſubſtantiam, quia terminus creationis fuit, ſecundum c. 1. Geneſios, aſſerit. Porro fixas ſtellas cum Sole igneas eſſe propriaque coruſcare luce, imo & Cometas ignes eſſe affirmat; Planetas vero a Sole mutuari lumen, ab ejusque pervadi corpuſculis igneis, quæ atmoſphæram quaſi luminis circa illos componant. Utrum vero ſphærica, ut probabile eſt, ſint corpora cœleſtia, non liquere ſatis dicit, cum etiam flamma conica, eminus ſpectata per tubum opticum, rotunda adparere ſoleat. Cæterum maxime neceſſarium ad ſuſtentandum ignem & lucem eſſe aërem & motum; ex lampyridibus confirmat, quæ ſi alas illorum colligaveris, non amplius lucent. Hac etiam occaſione varias recenſet a ſe obſervatas cicindelarum ſpecies, *alatas* nempe, tam ſine vaginis, (in quibus ovarium innumeris ovis repletum deprehendit) quam cum vaginis alaribus, & *reptiles* ſubvirides ſex pedibus inſtructas. Inprimis autem alatæ quadrupedis, quæ alas vaginis ſulcis incluſas habet, ſtructuram magna cum diligentia indagavit, quæ tamen, externam ſi ſpeciem ſpectes, non differt, niſi pedum numero, ab illa, quam *Act. Erudit. Supplem. Tom. 1. Sect. 9. p. 443.* exhibet. Quod vero ad fabricam interiorem attinet; ipſa verbis clariſſimi Auctoris concepta hæc eſt: *Conflatur hac alata lucula ex octo quadratulis, quæ ſicut & alæ in tenuiſſimas deſinunt fibrillas, hæque in unum conſpirant ramulum, qui ad pulmones tendit, usque ad ſpinam, unde naſcitur. Quadratula hæc cuti cartilaginea alligantur, quæ ex illis adinvicem ſuperimpoſitis media quadam tenuiſſima membranula ſunt connexa, ut elaſtica quaſi vi ad invicem conſtringi, dilatari, ac ubique ad motuum varietatem contorqueri poſſint: quorum quadratulorum extima pars nigra ac*

 diapha-

diaphana quadam lanugine circumdatur, adeo ut villoſi ſerici ſpeciem referat, in inferiori parte, qua ad ventrem ſpectat, eadem quæ ſupra quadratula obſervantur, ſed ſuperioribus molliuſcula. Inter ſeptimum & octavum quadratulum lucida veſicula ſituatur, quæ conſtrictione obſcuratur, dilatatis vero quadratulis noctu refulget, & ad quadraginta circiter paſſus lucem ſuam ſpargit. Hujus lucis color ſulphuris flammæ eſt analogus, ſicut ille ocellorum cæruleæ flammæ ſpiritus vini, & noctu absque ullo lumine externo commode microſcopio videri ſinit. (V. tab. III.) *Obſervavit porro, lucidam materiam extractam ex nitedula adhuc ſplendere, imo & igni admotam concremataq; ſuccingente pellicula nitorem vivide ſpargere, ac & ita exſiccatam & uſtam lucidam materiem per longum tempus detinuit; & majori indagine proſequens vaſi vitreo aqua pleno repoſuit, ubi immerſam adhuc ſplendentem in aqua ipſa vidit.* Hinc autem efficit, in corpore quidem cicindelæ arcte concluſum liquorem continuo alarum & quadratulorum motu indigere ut luceat, e corpore autem exemptum aëriq; expoſitum ab hoc & æthere agitari, ut alio motu organico non indigeat. Quoniam etiam lampyris recipienti incluſa, & poſt ſubtractum aerem convulſionem paſſa lucere deſiit, & ab inſpirato nitri fumo vires lucemque recuperavit, nitrum quoque ad ignem lucemque plurimum conferre colligit. *Tertius* liber de ignibus terreſtribus agens, ignes tales ſubterraneos dari ex thermis locisque plurimis ardentibus confirmat. Hunc tamen non ubique vigere ſtatuit Auctor, ſed ubi materiæ ad concipiendum ignem aptæ copia præſto eſt; & obſcurum eum quidem eſſe, dum ſub terra eſt, nec flammantem, niſi quando maxima vi erumpit per montes ignivomos. Defendit quoque contra Alph. Borellum communicationem ignium ſubterraneorum, quam non intercipiant quæ intercedunt maria (quippe cum ignes dentur mediis in aquis flagrantes, nec non qui ab aquis accenduntur, vel etiam ex pelago ipſo, uti factum A. 1660. prope Santerinium Archipelagi inſulam, erumpunt) nec evertat phænomenon, quod Ætna furente non ſemper exæſtuat Veſuvius, uti Anno 1680. contigit, quoniam obſtruantur quandoque meatus, per quos commercium intercedit inter ignes ſubterraneos. Quod ſi autem de illorum, præſertim qui per montium cacumina erumpunt, pabulo quæras, mare ipſis ſuppe-

ditare



A veſicula.

B tendo, ubi in medio alligantur duo muſculi.

Fig. 4. exhibet ventriculum cicindelæ in cujus latere ſiniſtro adeſt ductus quidam recta ad veſiculam lucidam tendens. Adhuc neſcit, an per illum liquor deferatur, an ut in piſcibus etiam aer per illum canaliculum ſubeat.

A Oeſo-

annuatim, erumpunt) nec evertat phænomenon, quod Ætna furente non ſemper exæſtuat Veſuvius, uti Anno 1680. contigit, quoniam obſtruantur quandoque meatus, per quos commercium intercedit inter ignes ſubterraneos. Quod ſi autem de illorum, præſertim qui per montium cacumina erumpunt, pabulo quæras, mare ipſis ſuppe-

ditare

ditare illud autumat, quandoquidem plerique ardentes montes in oris ſiti ſunt maritimis, ipſumque mare prægnans eſt variis ſalibus ſulphuribusque cum in ipſo natis, tum a fluminibus e terreſtribus mineris adportatis, ut venas bituminis, nitri &c. exeſas reparare poſſit. Tandem locorum ardentium per univerſum orbem deſcriptionem ex *Kirchero* præcipue, & Reverendi Collegæ noſtri *Thomæ Ittigii* Tractatu de Montium Incendiis Lipſiæ A. 1670. edito recenſet, effigiesque Veſuvii pariter ac Ætnæ oculis perluſtrandas proponit.

Declaratio Tabulæ III.

Fig. 1. demonſtrat nitedulam in globo vitreo, ex quo fuit extractus aër. A nitedula in vaſe exhauſto convulſionem patiens. B vas vitreum huic obſervationi appoſitum. C, ſyringa aerem extrahens.

Fig. 2. demonſtrat pulmonem nitedulæ quatuor lobis compoſitum, in cujus extremitatibus quatuor ductuli in unum confluunt & in veſicam lucidam a parte gibba prope inteſtina ſe inſinuant.

A aſpera arteria communem cum œſophago habens tunicam.
B lobus primus dexter.
C lobus ſecundus ſiniſter.
D tertius dexter.
E quartus ſiniſter.

Qui omnes lobi quid pyramidale æmulantur, in quorum extremitatibus verſus inteſtina aliqua punctula nigricantia habentur, quæ omnia in unum congregantur atque ad finem ventriculi abeunt, & in veſicam lucidam tendunt: ſi vero per aſperam arteriam aer inſufflatur, veſica lucida turgere videbitur.

F ductus lobulorum in unum ſe colligentium.

Fig. 3. Oſtendit veſiculam ſplendeſcentem, quæ ex duobus muſculis rhomboidalibus oblique ſe colligentibus componitur, ut humorem in veſica contentum magis aeris motu deturbent.

A veſicula.
B tendo, ubi in medio alligantur duo muſculi.

Fig. 4. exhibet ventriculum cicindelæ in cujus latere ſiniſtro adeſt ductus quidam recta ad veſiculam lucidam tendens. Adhuc neſcit, an per illum liquor deferatur, an ut in piſcibus etiam aer per illum canaliculum ſubeat.

A Oeſo-

A Oeſophagus.
B Ventriculus.
C Ductus recta tendens.
D Pilorus ad dexteram flectens.
E Veſica lucida.

Fig. 5. demonſtrat oculorum cicindelæ ſtructuram globuloſam & retiformem.
Fig. 6. oſtendit quadratulorum ſtructuram.
Fig. 7. Cicindela repens quoad inferiorem partem.
Fig. 8. Cicindela repens quoad ſuperiorem partem.
Fig. 9. Cicindela alata quoad partem ventris.
Fig. 10. Eadem quoad dorſum.
Fig. 11. Alia cicindela alata cum lucida veſica ad duo poſtrema quadratula dilatata, menſe Julio.
Fig. 12. Noctilucam aliam eodem menſe Julii duas ſolas alas internas poſſidentem oſtendit.

D. DANIELIS HEINRICI LIBER DE VITÆ humanæ Termino, & alia ſimilis argumenti ſcripta. Ex Muſeo Hieronymi Dicelii.

Francof. ad Mœnum apud Chr. Genſchium, 1691, in 8.
Alph. 1. pl. 10.

Dimidium fere elapſum eſt ſeculum, ex quo graviſſimum de Vitæ humanæ Termino argumentum diligenti ſtudio excuſſit vir celeberrimus *Daniel Heinrici*, S. Theologiæ, dum viveret, Doctor & Profeſſor in Academia Lipſienſi Primarius & Capituli Mileneñſis Decanus, decem diſputationibus publice propoſitis, quibus orthodoxam ſententiam adverſus varias heterodoxorum mataeologias ſtrenue propugnavit. Diſputationes iſtæ cum non ſine applauſu exceptæ brevique tempore diſtractæ eſſent, de nova & longe auctiore operis illius editione cogitaverat quidem Reverendus Auctor ipſe, annotatis manu propria in exemplari ſuo haud paucis, quæ argumento magis magisque dilucidando inſervirent: ſed ea quominus publicæ luci exponi typorum beneficio poſſet, mors beati Viri impedivit, d. 15. Martii A. 1666. defuncti. Nec adhuc forte nova editio extaret, niſi exemplar Auctoris commodum in manus Viri clariſſimi, Hieronymi Dicelii

cellii incidiſſet, qui ut eadem opera & memoriam præceptoris quondam ſui ac patroni renovaret, & Reipublicæ literariæ prodeſſet, eam tandem nobis dedit laudabili induſtria accuratam luculentisque inſtructam indicibus. Quæ tamen ut grata magis Eruditis accideret, conſultum duxit aliorum quoque Theologorum noſtratium, *Ægidii Hunnii, Johannis Majoris, Balthaſaris Menzeri, Juſti Feurbornii & Joh. Guilielmi Bajeri* de eadem materia commentationes non ubivis obvias adjungere.

RECVEIL D' ARRESTS DV PARLEMENT DE Paris, pris de Memoires de feu Mr. Pierre Bardet, ancien Advocat en la Cour, avec les Notes & les Diſſertations de Mr. Claude Berroyer.

hoc eſt:

Sylloge Decretorum Parlamenti Pariſienſis, e Commentariis Petri Bardeti, Advocati Curiæ veterani deſumta. Cum notis & Diſſertationibus Claudii Berroyeri, ejusdem Parlamenti Advocati.

Tomus I.

Pariſiis apud Theodorum Girardum, 1690. in fol. Conſtat Alph. 7. plag. 1.

NOn heri demum aut nudius tertius inſtitutum illud colligendi celebriora ſupremorum Galliæ dicaſteriorum decreta originem inter eruditos ſumſit, ſed uberem jam eorundem in his Actis meſſem colligere licebit. Ita Anno 1685. p. 61. Frænii Decreta Parlamenti Britannici; eodem An. p. 107. & 154. Luciani Suavis Sylloge Quæſtionum Parlamenti Pariſienſis deciſarum; iterumque iſto anno p. 300. & A. 1688. p. 84. nec non Suppl. Tom. I. p. 393. Ephemeridum fori pars nona, decima & undecima, recenſita repertuntur. Hiſce igitur jure ſuo jungi meretur præſentium collector, tum quod paulo altius Syllogen ſuam repetierit, illamque Anno 1617, adeoque ſex annis ante Ephemerides Audientiarum cœptam, usque ad annum 1642. incluſive (quod filum poſtea Luc. Suavis ab anno 1640. usque ad 1682. continuavit) perduxerit, tum quod multa hic, quæ ab aliis prætermiſſa

 ſunt,

ſunt, præſtitiſſe ſe in *Præfatione* fateatur. Ibi vero latius oſtenſa inter decreta & caſus fictos differentia, quod illa præjudicium forment, hi neutiquam; quosdam ſtatuiſſe, decreta partem conſtituere Juris Gallici, alios contra omnem eorum collectionem periculi plenam putaſſe monet. Perpenſa itaque illorum prius opinione, qui decreta inſtar legum obſervari volunt, tandem concludit, rem judicatam non habere legis auctoritatem, niſi per conſuetudinem approbata, & hæc in actis publicis conſignata ſit. Duas dehinc inter legem & rem judicatam allegat differentias, partim quod hæc decidat præterita, illa futuris normam præſcribat; partim quod lex poſterior deroget priori, in contrariis autem præjudiciis ejuſdem cauſæ interdum poſterius per modum libelli ſupplicis ſive reviſionis actorum revocetur & corrigatur; ſimul admonens, in hiſce non tam ad contrarietatem eorum, quam ad ipſa cauſæ momenta reſpiciendum eſſe. Alteram ſententiam, quod decretorum collectio ſit inutilis & periculoſa, præjudicium quoddam infirmis admodum objectionibus ſubnixum eſſe ait, quarum prior eo tendat, quod ejusmodi collectio ſocordibus quibusdam Jurisprudentiam ex genuinis fontibus haurire nolentibus patrocinetur, cum confuſam quandam e decretis acquirere notitiam ipſis ſit integrum; poſterior vero collectores, ac ſi non adeo exactam, quam debebant, diligentiam iſtis operibus impendant, traducat. At illi quidem occurrit vulgato iſto, propter abuſum haud eſſe uſum tollendum. Eruditos eam utilitatem ex decretis quotidie percipere, quod vel per conſentanea cum principiis in his confirmentur, vel per diſſentanea ipſorum judicium acuatur, anſaque præbeatur, in illorum veritatem ulterius inquirendi; pluribus rurſus declaratis, exempla caſuum vere deciſorum plus efficaciæ & utilitatis habere, quam fictorum factorum ſpecies. Tantum igitur abeſſe, ut decreta quemvis a principiis alienent, ut eo potius faciant, quo tanto frequentius ad illa recurramus eaque ruminemur. Alteri objectioni diſtinguendo ſatisfacit: aut enim ſolum decretum, ſine facti & rationum commemoratione proponitur, & tunc nihil aliud eſt, quam ſpecies facti ſecundum principia deciſa; aut cum circumſtantiis ſuis adducitur caſus, harum vero aliqua omittitur, quo facto ille juxta genuina principia excuti & judicari

judicari debet: utroque tamen caſu utilitati collectionis nullo modo derogatur. Hac occaſione in quoſdam ejus generis collectores (Chenu, Papon, Leveſt) excurrit, eos cum excuſando, tum contra aliorum invectivas defendendo laudibusque extollendo: ſpeciatim autem Editor exponit, duos defectus alias communes, dum vel decreta ex alterius narratione accepta, vel absque omni ordine & circumſtantiis facti decidendique rationibus referre ſoleant, ſedulo evitaſſe Auctorem. Adducit ſimul excuſationes ſuas, cur quædam decreta, quæ alibi æque bene jam publico data ſint, velut ſuperflua reſecuerit, quaſdam vero notas præſentibus addiderit, quæ tam parallelismum & errores auctorum ſimilia tractantium, quam diſſertationes ſuper quæſtionibus principalibus contineant, quarum aliæ decretis ſubjunctæ, aliæ in fine operis per modum additionum annexæ ſunt. Tandem exhibet vitæ curriculum Auctoris, meminitq; quod præ aliis ſubſtitutionum materiam excoluerit, de qua commentaria quædam, ſicut & alia ipſius manuſcripta, editioni a nepotibus deſtinata, extent. Illud inſuper tanquam ſingulare quippiam annotat, quod teſtamentum ſuum anno 1647. compoſitum ſingulis annis reiteraverit ad annum uſque 1685, quo deceſſit, annos natus 94: nam in lucem editus anno ſuperioris ſeculi 91. fuerat. Et hæc ſunt, quæ Editor harum deciſionum in præfatione latius proſecutus eſt, quæ cum ad totius operis argumentum multum faciant, prætermittere nefas duximus; præterea tamen monitu neceſſarium eſſe rati, præter ordinem temporis ubique præmiſſa facti ſpecie, propoſitisque utrinque principalioribus cauſæ momentis, tandem decretum Curiæ ſubnecti; cum illa methodus plerumque hujus commatis ſcriptis familiaris eſſe ſoleat. Nihil itaque amplius reſtabit, quam ut pro inſtituti noſtri more quædam decreta excerpamus, quæ vel non quotidie obvia decidunt, vel a noſtris moribus deflectunt, aut illos confirmant, vel ſpecialem quandam conſuetudinem concernunt. Tomus autem primus, quem jam exhibemus, (alterum daturi proxime) in quatuor libros diſpeſcitur. Libro I. Capite 3. Teſtamentum ſcriptum iratæ matris, ab ea in agone conſtituta & a parocho interrogata, per nudam ipſius declarationem, licet a teſtatrice non ſignatam, revocari poſſe decretum eſt. Cap. 9. Delictum pueri (17. annorum)

tentiæ convenire p. 109. affirmat. Vincentii Lirinenſis exemplum an huc trahendum ſit, p. 112. 113, diſquirit. Plurima dari noſtra patrumque ætate exempla obſervat, eorum cumprimis, qui contra hæreticos calamum ſtrinxerunt, quive conciliatorum partes ſibi ſumentes, diverſa ſacra profitentes ad eandem cultus conſuetudinem revocare allaborarunt, *Simplicis & Sinceri Chriſtiani* nominibus tecti. Hos inter excellere ait p. 115. *Veranium Modeſtum Pacimontanum*, quem Calvinus crediderit eſſe Franciſcum Balduinum, cum fuerit Georgius Caſſander p. 116. *Tertia* cauſa *capite IV*. refertur ad timorem Scriptorum, qui verentur aperte cum adverſario potente agere, & contra eum ſcribere qui proſcribere poteſt. Quemadmodum in Anglia ſub Eduardo VI. & Eliſabetha ſcriptoribus Pontificiis, & in eodem regno hodie prudentioribus uſitatum refert diverſa gerere nomina p. 120. 121. Socinianis ubique terrarum exoſis, ſi nomina ſua occultent, haud exprobrandum p. 122. putat. Pallavicino tamen auctori *Divortii cæleſtis* (Italice ſcripti libri) male ceſſiſſe ſuum ſtudium annotat p. 126. *Quartam* rationem *capite V*. allegat, pudorem ea publicandi, quæ loco iſti, quem quis tenet, ſeu ordini, non ſatis videntur convenire. Qua ratione ſub adſcititiis *Leonis Adulfi* Noel Failus, Conſiliarius in Parlamento Britannico, Franc. Sagonus ſub *Matthæi Butingii*, Theophilus Folengus ſub *Merlini Coccaji*, Cherubinus Bozzomus ſub *Berniesqui Boncherii*, Lopez de Vega ſub *Thomæ de Burgillos*, Hieronymus Savonenſis ſub *Olmerii Michelis*, Gabriel Tellez ſub *Tyrſi de Molina*, nominibus dignitatem ſui ordinis, quam facetis amatoriisve libellis imminui credebant, velare ſtuduerunt, p. 132. 133. 134. Contrariam rationem Hiſpanos & Italos tenere obſervat, qui majori ſubinde opprobrio ducant, libros ſacros piosque, quam profanos & amatorios, vero ſuo nomine addito, evulgare: quemadmodum Hyacinthus Villalpandus Marchio Oſſeræ non erubuerit nomen ſuum præfigere ſcriptis perſona ſua omnino indignis; quod tamen velamento *Fabii Clementis* texerit, vitam S. Eliſabethæ, Hungariæ Reginæ, publici juris faciens, p. 135. ad quem modum Petrus Aretinus etiam libris ſuis non optimæ notæ haud dubitaverit nomen ſuum præfigere, quod reticuit tamen, & *Partenii Etiri* nomen præpoſuit paraphraſi Pſalmorum pœnitentialium, & Sancto-

rum

rum aliquot a ſe deſcriptis vitiis, pag. 136. Refert huc quoque Principes quosdam doctos, qui indignum forte ſua dignatione ſcribendorum librorum ſtudium rati, nomen ſuum iis præmittere noluerunt; ſicut Imp. Hadrianus libertorum aut domeſticorum ſuorum nomina ſcriptis a ſe libris præfixit, & Auguſtus Dux Luneburgicus *Guſtavi Seleni* nomine commentarios inſignivit, qui occultam ſcribendi rationem & ſcacchorum ludos exponunt; quorum neuter Principali cura indignus eſt, p. 137. *Capite VI.* cauſa affertur *quinta*, quod diſſimulatione veri nominis, quidam humile ſuum genus abſcondere, alii ex humili in altura ſe erigere iſtud poſſe cogitarunt. Hoc vero improbat Auctor, & minus ex voto ceſſiſſe Pomponio Læto Sabellico, aliisque Italis, Guilielmo item Poſtello apud Gallos, oſtendit p. 143. p 144. Laudat tamen *Robervallium*, qui ruſtico parente natus, & in prima ætate paſcendis pecoribus victum quærens, excellentiſſimus Mathematicus evaſerit, vero nomine Ægidius Perſona dictus, a pago alterum illud nomen bona cum Domini iſtius venia ſumſerit, crebro autem ſuæ & parentum ſuorum fortunæ tenuitatem commemoraverit, p. 146. Improbat Joannem Antonium, ludimagiſtrum Imolenſem, qui ut e nobili Flaminiorum gente ſe ortum eſſe aliis perſuaderet, *Marci Antonii Flaminii* nomen ſibi attribuerit, p. 148. Cui addendum cenſet Aldum Manutium, qui & *Baſſiani* & *Romani*, & *Pii* cognomina ſuis attexuerit ſubinde, p. 150. Bartholomæum quendam Ferrarienſem *Ferrini* nomen adoptaſſe in honorem ſoceri, divitis mercatoris, qui ferrariam exercebat, p. 151. annotat. *Sextam* cauſam *capite VII.* in eo verti docet, quod nonnulli ſignificationem nominis ominoſi, & auribus minus grati, tollere cuperent. Tale apud veteres fuiſſe *Lurconis, Gurgitis, Nepotis*, p. 155. 156. obſervat. Diſnemandium ob hanc rationem (quod Lemovicenſium dialecto eum notet qui jentaculis gaudet) iſtud nomen aſpernatum fuiſſe, & *Aurati* ſe appellari maluiſſe, nihilominus filiam Magdalenam docto viro qui *Goulu*. Latine *Gulonius* vocabatur, elocaſſe, p. 156 *Vatablus* qui ſe dici voluit, vero nomine *Oüate blè* appellatum eſſe, pag. 157. notat. Animalium nominibus homines, & cumprimis Romanos, olim fuiſſe inſignitos, nemo ignorat: hæc tamen, ut & alia humilia & abjecta, multis noſtro ſeculo minus commoda fuiſſe viſa, Auctor tradit, ac

propterea Petrum Picam ſeſe *Pium*, Theophilum Vitulum *Viaudum* Hieronymum Bock ſeu Hircum *Tragum*, Capreolos *Chevrelios*, Pullain ſive Pullos *Paulinos*, Adr. Tournebuef *Turnebum*, Franc. Juacum *Junium & Agmonium* dici voluiſſe; cum tamen veteres Romani non abhorruerint a nominibus Verris, Scrofæ, Porcii, Suillii, Muris, Capræ, Hirci, Tauri, Caballi, Aſinii, Bruti, Belluti, Beſtiæ, Bubulci, Fullonis, Latronis, Capitonis, Calvi, Frontonis, Naſonis, Luſci, Coclitis, Strabonis, Pæti, Labeonis, Chilonis, Balbi, Blæſi, Vari, Valgi & ſimilibus appellari. *Septimam* cauſam *capite VIII* Auctor a ſtudio accerſit, exquirendi aliorum judicia de re quadam vel nova prorſus, vel cujus ſucceſſus non ſit certus: cujus exemplum præbere Gregorium Nazianzenum ait p. 173. qui cum librum de Fide ſcripſiſſet, quaſi auctoris neſcius aliorum de eo ſollicitavit judicia, exemplo Apellis poſt tabulam latentis; ſub quo titulo celebris inter Germanos mathematicus Chriſtophorus Scheinerus e Soc. Jeſu Auguſtæ Vindelicorum A. 1612. ſcriptum edidit, in quo aliquot Solis maculas, ſtellasque antea non obſervatas expoſuit, primæ earum obſervationis Galilæo de Galilæis ambiguam reddens gloriam, pag. 175. Pro *octava* cauſa *capite IX.* affertur modeſtia ſcriptorum, qui quod e libris famam non aucupantur, latere malunt, exemplo Moſis & plerorumque ſacrorum Scriptorum Veteris & Novi teſtamenti, qui ſoli Deo gloria verbi relicta ipſi nomen ſuum reticuerunt, p. 181. Multos etiam Chriſtianos veteres ignotos voluiſſe deliteſcere potius, quam præſcriptis nominibus pietatis & induſtriæ monumentis inclareſcere. Cujus humilitatis illuſtre exemplum præſtet inſignis *de Imitatione Chriſti* liber, de cujus auctore Benedictinorum & Canonicorum Regularium concertationes maxime memorabiles & longas in republica literaria exiſtere p. 182. annotat. Huc & eos pertinere ait, qui paranetica, aſcetica & myſtica ſcripta ediderunt, vel nullo vel alieno nomine iis præſcripto, mentis ab omni faſtu alienæ teſtificandæ cauſa, v. g. *Idiotæ, Dacriani, Hamartoli, Tapini*, aut etiam aliarum virtutum declarandarum ergo, ut *Veri, Sinceri, Optati, Ductoris, Firmiani, Eubuli, Evangeli Fulgentii, Flori de ſancta Fide, Eugenii, Euſebii, Athanaſii, Vincentis, Philareti, Philalethis, Simplicii, Peregrini, Philadelphi, Phileremi, Anaſtaſii, Chriſtoduli, Theophili, Timothei.*

Quo

Quo poſtremo nomine *Timothei* Salvianum, Epiſcopum Maſſilienſem, ſæculo quinto, quatuor libros *ad Eccleſiam catholicam toto orbe diffuſam* inſcripſiſſe p. 188. monet, iſtamque nominis mutationem adductis ex ipſo Salviano rationibus tuetur, uſque ad p. 200. *Nonam* cauſam apud nonnullos in pietate & animi devotione collocatam eſſe *cap.* X. putat, dum amore Dei, ejusque gloriæ ſtudio, ad Eccleſiæ emolumentum, vitam quam mutarunt nominis commutatione teſtatam facere quidam ſtudent: quod potiſſimum eos agere, qui relictis ſeculi ſtudiis Ordinem ſacrum ingrediuntur, obſervat. *Capite XI.* mutationis nominum *decima* cauſa, eaque minus laudabilis, affertur, fraus & impoſtura, qua ſimplici turbæ imponitur, & fidei ejus illuditur. A patre mendacii hos inſtigari, qui in angelos lucis ſe transformant, dum præſtantium auctorum nomina ſibi ſumunt, ſua reticent, ait p. 205. Nec eos tamen prorſus damnat, qui exemplo Raphaelis angeli, nonſolum hominis formam induti, ſed & Azariæ nomen gerentis, ad inſtruendos tanto commodius alios, nomen veteris Scriptoris ſibi ſumunt; ſicut Vigilius Tapſenſis *Athanaſii* nomine uſus eſt, adverſus SS. Trinitatis hoſtes calamum ſtringens; quod ipſum nomen quum & ſibi imponeret Bullingerus, æque ac Eraſmus *Cypriani* de duplici martyrio ſcribens, non adeo feliciter rem geſſerint, p. 209. Ad periclitandas ſtili & ingenii vires *Ciceronis* nomen ſuo ſcripto Carolum Sigonium præfixiſſe, p. 210. dicit. Iis autem, quorum mens ſit mala, objicit Auctor verba Apoſtoli 2. Cor. 11. v. 13. 14. 15. p. 211. obſervatque tempore renaſcentium literarum ejusmodi falſarios extitiſſe plurimos; quos cum fabuloſis illis cujusdam inſulæ in Archipelago brucolacis, ſeu falſis reſuſcitatis p. 214. comparat, qui a dæmonibus animati, ceu reducti eſſent in vitam, præternavigantibus imponunt. Demum *Cap. XII.* reliquæ quatuor cauſæ breviter delineantur; quarum *undecima* eſt tædium gloriæ ex libris redundantis; *duodecima* liberius maledicendi occaſio, & cuivis pro lubitu inſultandi impunitas; *decima tertia* impietas & effrenis licentia; *decima quarta* animi libido & ad hæc latibula proclivitas. Atque hæc nunc quidem de duabus prioribus libri partibus dicta ſuffecerint. De duabus poſterioribus proxima ſectione dicemus.

PYROLOGIA TOPOGRAPHICA,

i. e.

De Igne Diſſertatio juxta loca, cum eorum deſcriptionibus, Dominici Bottoni Leontini, in publico Neapolitano Gymnaſio primarii Philoſophiæ Lectoris.


Neapoli, apud D. A. Parrinum & M. A. Mutium, 1692. in 4. Conſtat plag. 36. ſchem. 8.

QUandoquidem admiranda valde ignis eſt natura, quippe qui, cum confector & conſumptor ſit omnium, ad vitæ tamen uſus vel maxime requiritur, merito doctiſſimi nonnulli viri ad illum inveſtigandam omnem ſuam operam contulerunt. Quorum in numerum referendus jam nobis eſt clariſſimus Pyrologiæ Topographicæ Auctor, qui non nudam in illa locorum ignibus abundantium enarrationem adtulit, ſed multa præterea; quæ perobſcuram de ignis natura quæſtionem illuſtrare poſſunt. *Libro* enim *primo* ignem undique diffuſum eſſe, atque ultro quaſi oculis ſe noſtris ingerere demonſtrat, variis obſervationibus adductis, ad quas illæ quoque pertinent, quibus A. 1670. Meſſanæ apud ſepulcrum ſacræ ædis S. Minervæ de mercede, poſt ingentem pluviam, cadavera flammas emittere, nec non calculoſorum arenam, quæ talci ad inſtar lucidas moleculas continet, exſiccatam & igne calefactam noctu inſigniter ſcintillare animadvertit. Deinde veterum pariter ac recentiorum de igne placita ſuis momentis ponderat: Utrum ſcil. ſubſtantia ſit ignis, an accidens? Num calor, flamma, lux & fumus nihil aliud ſint quam ignis? Actune ille ſit in mixtis, an potentia? A ſulphure num differat? Ignis particulæ minimæ ex punctis Zenonis utrum ſint conflatæ, an indiviſibiles, & quam habeant figuram? Tandem vero cenſet ignem corpus eſſe, ejusque particulas plerisque mixtis, præſertim ſulphuri, actu ineſſe, quamvis diſperſas; calorem, flammam, lucem & fumum nihil eſſe, quam particulas igneas varie modificatas; diſceptationem autem de conſtitutione molecularum ignearum prima, eſſe temerariam, cum ſenſi-

enſibus, a quibus omnis noſtra cognitio ducat originem, conceſſum non ſit in creationis penetrare myſteria. Eadem ſequentibus in libris, prout fert occaſio, uberius explicantur, & in *ſecundo* quidem, qui de ignibus cœleſtibus agit, ea quæ ad lucem; ut pote quæ in ſideribus maxime conſpicua eſt, declarandam faciunt; proponuntur. Eam enim nihil aliud eſſe putat doctiſſimus Bottonus, quam corpuſcula ex lucido corpore perpetuo emanantia; & per corporum diaphanorum poros non interruptos nec tortuoſos ad oculos noſtros adfluentia; Voſſiumque poroſitatem corporum negantem confutans, lucem eſſe ſubſtantiam, quia terminus creationis fuit, ſecundum c. 1. Geneſios, aſſerit. Porro fixas ſtellas cum Sole igneas eſſe propriaque coruſcare luce, imo & Cometas ignes eſſe affirmat; Planetas vero a Sole mutuari lumen, ab ejusque pervadi corpuſculis igneis, quæ atmoſphæram quaſi luminis circa illos componant. Utrum vero ſphærica, ut probabile eſt, ſint corpora cœleſtia, non liquere ſatis dicit, cum etiam flamma conica, eminus ſpectata per tubum opticum, rotunda adparere ſoleat. Cæterum maxime neceſſarium ad ſuſtentandum ignem & lucem eſſe aërem & motum; ex lampyridibus confirmat, quæ ſi alas illorum colligaveris, non amplius lucent. Hac etiam occaſione varias recenſet a ſe obſervatas cicindelarum ſpecies, *alatas* nempe, tam ſine vaginis, (in quibus ovarium innumeris ovis repletum deprehendit) quam cum vaginis alaribus, & *reptiles* ſubvirides ſex pedibus inſtructas. Inprimis autem alatæ quadrupedis, quæ alas vaginis fuſcis incluſas habet, ſtructuram magna cum diligentia indagavit, quæ tamen, externam ſi ſpeciem ſpectes, non differt, niſi pedum numero, ab illa, quam *Act. Erudit. Supplem. Tom. 1. Sect. 9. p. 443.* exhibet. Quod vero ad fabricam interiorem attinet; ipſa verbis clariſſimi Auctoris concepta hæc eſt: *Conflatur hæc alata lucula ex octo quadratulis, quæ ſicut & alæ in tenuiſſimas deſinunt fibrillas, hæque in unum conſpirant ramulum, qui ad pulmones tendit, usque ad ſpinam, unde naſcitur. Quadratula hæc cuti cartilagineæ alligantur, quæ ex illis adinvicem ſuperimpoſitis media quadam tenuiſſima membranula ſunt connexa, ut elaſtica quaſi vi adinvicem conſtringi, dilatari, ac ubique ad motuum varietatem contorqueri poſſint: quorum quadratulorum extima pars nigra ac*

diaphana quadam lanugine circumdatur, adeo ut villoſi ſerici ſpeciem referat, in inferiori parte, qua ad ventrem ſpectat, eadem quæ ſupra quadratula obſervantur, ſed ſuperioribus molliuſcula. Inter ſeptimum & octavum quadratulum lucida veſicula ſituatur, quæ conſtrictione obſcuratur, dilatatis vero quadratulis noctu refulget, & ad quadraginta circiter paſſus lucem ſuam ſpargit. Hujus lucis color ſulphuris flammæ eſt analogus, ſicut ille ocellorum cæruleæ flammæ ſpiritus vini, & noctu absque ullo lumine externo commode microſcopio videri ſinit. (V. tab. III.) *Obſervavit porro, lucidam materiam extractam ex nitedula adhuc ſplendere, imo & igni admotam concremataq; ſuccingente pellicula nitorem vivide ſpargere, ac & ita exſiccatam & uſtam lucidam materiem per longum tempus detinuit; & majori indagine proſequens vaſi vitreo aqua pleno repoſuit, ubi immerſam adhuc ſplendentem in aqua ipſa vidit.* Hinc autem efficit, in corpore quidem cicindelæ arcte concluſum liquorem continuo alarum & quadratulorum motu indigere ut luceat, e corpore autem exemptum aëriq; expoſitum ab hoc & æthere agitari, ut alio motu organico non indigeat. Quoniam etiam lampyris recipienti incluſa, & poſt ſubtractum aerem convulſionem paſſa lucere deſiit, & ab inſpirato nitri fumo vires lucemque recuperavit, nitrum quoque ad ignem lucemque plurimum conferre colligit. *Tertius* liber de ignibus terreſtribus agens, ignes tales ſubterraneos dari ex thermis locisque plurimis ardentibus confirmat. Hunc tamen non ubique vigere ſtatuit Auctor, ſed ubi materiæ ad concipiendum ignem aptæ copia præſto eſt; & obſcurum eum quidem eſſe, dum ſub terra eſt, nec flammantem, niſi quando maxima vi erumpit per montes ignivomos. Defendit quoque contra Alph. Borellum communicationem ignium ſubterraneorum, quam non intercipiant quæ intercedunt maria (quippe cum ignes dentur mediis in aquis flagrantes, nec non qui ab aquis accenduntur, vel etiam ex pelago ipſo, uti factum A. 1660. prope Santerinium Archipelagi inſulam, erumpunt) nec evertat phænomenon, quod Ætna furente non ſemper exæſtuat Veſuvius, uti Anno 1680. contigit, quoniam obſtruantur quandoque meatus, per quos commercium intercedit inter ignes ſubterraneos. Quod ſi autem de illorum, præſertim qui per montium cacumina erumpunt, pabulo quæras, mare ipſis ſuppeditare

TAB. III. ad Tom
Sect. IV. pag



ditare illud autumat, quandoquidem plerique ardentes montes in oris ſiti ſunt maritimis, ipſumque mare prægnans eſt variis ſalibus ſulphuribusque cum in ipſo natis, tum a fluminibus e terreſtribus mineris adportatis, ut venas bituminis, nitri &c. exeſas reparare poſſit. Tandem locorum ardentium per univerſum orbem deſcriptionem ex *Kirchero* præcipue, & Reverendi Collegæ noſtri *Thomæ Ittigii* Tractatu de Montium Incendiis Lipſiæ A. 1670. edito recenſet, effigiesque Veſuvii pariter ac Ætnæ oculis perluſtrandas proponit.

Declaratio Tabulæ III.

Fig. 1. demonſtrat nitedulam in globo vitreo, ex quo fuit extractus aër. A nitedula in vaſe exhauſto convulſionem patiens. B vas vitreum huic obſervationi appoſitum. C, ſyringa aerem extrahens.

Fig. 2. demonſtrat pulmonem nitedulæ quatuor lobis compoſitum, in cujus extremitatibus quatuor ductuli in unum confluunt & in veſicam lucidam a parte gibba prope inteſtina ſe inſinuant.

A aſpera arteria communem cum œſophago habens tunicam.
B lobus primus dexter.
C lobus ſecundus ſiniſter.
D tertius dexter.
E quartus ſiniſter.

Qui omnes lobi quid pyramidale æmulantur, in quorum extremitatibus verſus inteſtina aliqua punctula nigricantia habentur, quæ omnia in unum congregantur atque ad finem ventriculi abeunt, & in veſicam lucidam tendunt: ſi vero per aſperam arteriam aer inſufflatur, veſica lucida turgere videbitur.

F ductus lobulorum in unum ſe colligentium.

Fig. 3. Oſtendit veſiculam ſplendeſcentem, quæ ex duobus muſculis rhomboidalibus oblique ſe colligentibus componitur, ut humorem in veſica contentum magis aeris motu deturbent.

A veſicula.
B tendo, ubi in medio alligantur duo muſculi.

Fig. 4. exhibet ventriculum cicindelæ in cujus latere ſiniſtro adeſt ductus quidam recta ad veſiculam lucidam tendens. Adhuc neſcit, an per illum liquor deferatur, an ut in piſcibus etiam aer per illum canaliculum ſubeat.

A Oeſo-

A Oeſophagus.
B Ventriculus.
C Ductus recta tendens.
D Pilorus ad dexteram flectens.
E Veſica lucida.

Fig. 5. demonſtrat oculorum cicindelæ ſtructuram globuloſam & retiformem.
Fig. 6. oſtendit quadratulorum ſtructuram.
Fig. 7. Cicindela repens quoad inferiorem partem.
Fig. 8. Cicindela repens quoad ſuperiorem partem.
Fig. 9. Cicindela alata quoad partem ventris.
Fig. 10. Eadem quoad dorſum.
Fig. 11. Alia cicindela alata cum lucida veſica ad duo poſtrema quadratula dilatata, menſe Julio.
Fig. 12. Noctilucam aliam eodem menſe Julii duas ſolas alas internas poſſidentem oſtendit.

D. DANIELIS HEINRICI LIBER DE VITÆ *humanæ Termino, & alia ſimilis argumenti ſcripta. Ex Muſeo Hieronymi Dicelii.*

Francof. ad Mœnum apud Chr. Genſchium, 1691. in 8.
Alph. 1. pl. 10.

Dimidium fere elapſum eſt ſeculum, ex quo graviſſimum de Vitæ humanæ Termino argumentum diligenti ſtudio excusſit vir celeberrimus *Daniel Heinrici*, S. Theologiæ, dum viveret, Doctor & Profeſſor in Academia Lipſienſi Primarius & Capituli Miſenenſis Decanus, decem diſputationibus publice propoſitis, quibus orthodoxam ſententiam adverſus varias heterodoxorum matæologias ſtrenue propugnavit. Diſputationes iſtæ cum non ſine applauſu exceptæ brevique tempore diſtractæ eſſent, de nova & longe auctiore operis illius editione cogitaverat quidem Reverendus Auctor ipſe, annotatis manu propria in exemplari ſuo haud paucis, quæ argumento magis magisque dilucidando inſervirent: ſed ea quominus publicæ luci exponi typorum beneficio poſſet, mors beati Viri impedivit, d. 15. Martii A. 1666. defuncti. Nec adhuc forte nova editio extaret, niſi exemplar Auctoris commodum in manus Viri clariſſimi, Hieronymi Dicelii

calli incidiſſet, qui ut eadem opera & memoriam præceptoris quondam ſui ac patroni renovaret, & Reipublicæ literariæ prodeſſet, eam tandem nobis dedit laudabili induſtria accuratam luculentisque inſtructam indicibus. Quæ tamen ut grata magis Eruditis accideret, conſultum duxit aliorum quoque Theologorum noſtratium, *Ægidii Hunnii, Johannis Majoris, Balthaſaris Menzeri, Juſti Feurbornii & Joh. Guilielmi Bajeri* de eadem materia commentationes non ubivis obvias adjungere.

RECUEIL D' ARRESTS DU PARLEMENT DE Paris, pris de Memoires de feu Mr. Pierre Bardet, ancien Advocat en la Cour, avec les Notes & les Diſſertations de Mr. Claude Berroyer.

hoc eſt:

Sylloge Decretorum Parlamenti Pariſienſis, e Commentariis Petri Bardeti, Advocati Curiæ veterani deſumta. Cum notis & Diſſertationibus Claudii Berroyeri, ejusdem Parlamenti Advocati.

Tomus I.

Pariſiis apud Theodorum Girardum, 1690. in fol. Conſtat Alph. 7. plag. 1.

NOn heri demum aut nudius tertius inſtitutum illud colligendi celebriora ſupremorum Galliæ dicaſteriorum decreta originem inter eruditos ſumſit, ſed uberem jam eorundem in his Actis meſſem colligere licebit. Ita Anno 1685. p. 61. Frænii Decreta Parlamenti Britannici; eodem An. p. 107. & 154. Luciani Suavis Sylloge Quæſtionum Parlamenti Pariſienſis deciſarum; iterumque iſto anno p. 300. & A. 1688. p. 84. nec non Suppl. Tom. I. p. 393. Ephemeridum fori pars nona, decima & undecima, recenſita reperiuntur. Hiſce igitur jure ſuo jungi meretur præſentium collector, tum quod paulo altius Syllogen ſuam repetierit, illamque Anno 1617, adeoque ſex annis ante Ephemerides Audientiarum cœptam, usque ad annum 1642. incluſive (quod filum poſtea Luc. Suavis ab anno 1640. usque ad 1682. continuavit) perduxerit, tum quod multa hic, quæ ab aliis prætermiſſa

 ſunt,

ſunt, præſtitiſſe ſe in *Præfatione* fateatur. Ibi vero latius oſtenſa inter decreta & caſus fictos differentia, quod illa præjudicium forment, hi neutiquam; quosdam ſtatuiſſe, decreta partem conſtituere Juris Gallici, alios contra omnem eorum collectionem periculi plenam putaſſe monet. Perpenſa itaque illorum prius opinione, qui decreta inſtar legum obſervari volunt, tandem concludit, rem judicatam non habere legis auctoritatem, niſi per conſuetudinem approbata, & hæc in actis publicis conſignata ſit. Duas dehinc inter legem & rem judicatam allegat differentias, partim quod hæc decidat præterita, illa futuris normam præſcribat; partim quod lex poſterior deroget priori, in contrariis autem præjudiciis ejuſdem cauſæ interdum poſterius per modum libelli ſupplicis ſive reviſionis actorum revocetur & corrigatur; ſimul admonens, in hiſce non tam ad contrarietatem eorum, quam ad ipſa cauſæ momenta reſpiciendum eſſe. Alteram ſententiam, quod decretorum collectio ſit inutilis & periculoſa, præjudicium quoddam infirmis admodum objectionibus ſubnixum eſſe ait, quarum prior eo tendat, quod ejusmodi collectio ſocordibus quibusdam Jurisprudentiam ex genuinis fontibus haurire nolentibus patrocinetur, cum confuſam quandam e decretis acquirere notitiam ipſis ſit integrum; poſterior vero collectores, ac ſi non adeo exactam, quam debebant, diligentiam iſtis operibus impendant, traducat. At illi quidem occurrit vulgato iſto, propter abuſum haud eſſe uſum tollendum. Eruditos eam utilitatem ex decretis quotidie percipere, quod vel per conſentanea cum principiis in his confirmentur, vel per diſſentanea ipſorum judicium acuatur, anſaque præbeatur, in illorum veritatem ulterius inquirendi; pluribus rurſus declarans, exempla caſuum vere deciſorum plus efficaciæ & utilitatis habere, quam fictorum factorum ſpecies. Tantum igitur abeſſe, ut decreta quemvis a principiis alienent, ut eo potius faciant, quo tanto frequentius ad illa recurramus eaque ruminemur. Alteri objectioni diſtinguendo ſatisfacit: aut enim ſolum decretum, ſine facti & rationum commemoratione proponitur, & tunc nihil aliud eſt, quam ſpecies facti ſecundum principia deciſa; aut cum circumſtantiis ſuis adducitur caſus, harum vero aliqua omittitur, quo facto ille juxta genuina principia exuti &

judicari

judicari debet: utroque tamen caſu utilitati collectionis nullo modo derogatur. Hac occaſione in quoſdam ejus generis collectores (Chenu, Papon, Leveſt) excurrit, eos cum excuſando, tum contra aliorum invectivas defendendo laudibusque extollendo: ſpeciatim autem Editor exponit, duos defectus alias communes, dum vel decreta ex alterius narratione accepta, vel absque omni ordine & circumſtantiis facti decidendique rationibus referre ſoleant, ſedulo evitaſſe Auctorem. Adducit ſimul excuſationes ſuas, cur quædam decreta, quæ alibi æque bene jam publico data ſint, velut ſuperflua reſecuerit, quaſdam vero notas præſentibus addiderit, quæ tam paralleliſmum & errores auctorum ſimilia tractantium, quam diſſertationes ſuper quæſtionibus principalibus contineant, quarum aliæ decretis ſubjunctæ, aliæ in fine operis per modum additionum annexæ ſunt. Tandem exhibet vitæ curriculum Auctoris, meminitq; quod præ aliis ſubſtitutionum materiam excoluerit, de qua commentaria quædam, ſicut & alia ipſius manuſcripta, editioni a nepotibus deſtinata, extent. Illud inſuper tanquam ſingulare quippiam annotat, quod teſtamentum ſuum anno 1647. compoſitum ſingulis annis reiteraverit ad annum uſque 1685, quo deceſſit, annos natus 94; nam in lucem editus anno ſuperioris ſeculi 91. fuerat. Et hæc ſunt, quæ Editor harum deciſionum in præfatione latius proſecutus eſt, quæ cum ad totius operis argumentum multum faciant, prætermittere nefas duximus; præterea tamen monitu neceſſarium eſſe rati, præter ordinem temporis ubique præmiſſa facti ſpecie, propoſitisque utrinque principalioribus cauſæ momentis, tandem decretum Curiæ ſubnecti; cum illa methodus plerumque hujus commatis ſcriptis familiaris eſſe ſoleat. Nihil itaque amplius reſtabit, quam ut pro inſtituti noſtri more quædam decreta excerpamus, quæ vel non quotidie obvia decidunt, vel a noſtris moribus deflectunt, aut illos confirmant, vel ſpecialem quandam conſuetudinem concernunt. Tomus autem primus, quem jam exhibemus, (alterum daturi proxime) in quatuor libros diſpeſcitur. Libro I. Capite 3. Teſtamentum ſcriptum iratæ matris, ab ea in agone conſtituta & a parocho interrogata, per nudam ipſius declarationem, licet a teſtatrice non ſignatam, revocari poſſe decretum eſt. Cap. 9. Delictum pueri (17. annorum)

 patri

patri ad caſtigationem remiſſum. Cap. 11. Teſtamentum ſcriptum poſterius a marito admodum ſene in favorem uxoris juvenis factum, quod clauſulam derogatoriam (in matutinis meditabor in te, Domine, &c.) priori teſtamento inſertam, & quam teſtator ſua manu in poſterioribus ſcriptam eſſe voluerat, non repetierat, pro nullo declaratum. (conf. Lib. II. Cap. 26.) Cap. 15. Proprietarius rem ablatam absq; reſtitutione pretii vindicat. Cap. 26. Teſtamentum perfectum non revocatur per imperfectum, licet teſtator illud expreſſe revocet & annullet, & legata univerſalia a patre naturali filiis ſpuriis ex ſoluta & ſoluta natis, nec non legata particularia concubinæ relicta pro validis declarantur. Cap. 29. Matrimonium banniti in perpetuum, validum eſt quoad fœdus, & liberi ſunt legitimi, incapaces tamen ſucceſſionis paternæ, quæ pertinet ad collaterales, ubi per conſuetudinem confiſcatio locum non habet. Cap. 32. Teſtamentum militis Gallici contra prohibitionem Regis in peregrinis regionibus arma geſtantis, non poteſt dici militare, & propter defectum ſolennitatum nullum eſt. Cap. 33. Teſtamentum reciprocum inter maritum & uxorem non poteſt valide revocari per teſtamentum poſterius unius absque præſcitu alterius. Cap. 46. Minor, qui cautionem in judicio præſtitit, ut pater liberetur carcere, & illum vel rurſus ſiſtere vel ſolvere promiſit, non reſtituitur in integrum. Cap. 50. Donatio inter virum & uxorem ſuperviventi facta, debet eſſe æqualis in terris, ubi jus ſcriptum obtinet, & major ſumma reducenda eſt ad minorem. (ubi additur in fine ſententiæ: plurimis, quos fama & meritum nobiliſſimos in foro produxit, contra Senatus opinionem reclamantibus) Cap. 53. Notho debentur alimenta, & hæredes patris ſumtus ipſi ſubminiſtrare tenentur, quo in collegium chirurgorum recipiatur. Cap. 54. Sponſa reddere tenetur annulos & gemmas a ſponſo ipſi donatas, matrimonio ob mortem ſponſi haud conſummato. Cap. 57. Donatio remuneratoria inter virum & uxorem non revocatur per ſupervenientiam liberorum, conſuetudine Andegavenſi. Cap. 68. Poſthumus inſtitutus & monſtroſus natus cum roſtro ſimiæ & pede biſulco (cui propterea baptiſmus a parocho denegabatur) capax judicatus eſt ſucceſſionis paternæ, & ſubſtitutio pupillaris aperta in favorem matris.

Cap.

Cap. 89 Teſtamentum aliena manu ſcriptum, licet ſignatum a teſtatore & ab ipſo coram notario agnitum, judicatum eſt nullum, exceptis legatis ad pias cauſas. Libro II. Capite 26. Teſtamentum cum clauſula derogatoria non revocari per poſterius, quod illam non repetit, & legata piis locis relicta in poſteriori non eſſe valida, definitum eſt. Cap. 32. Quodam ad mortem condemnato per contumaciam, qui poſtmodum matrimonium iniit, fœmina non poteſt poſcere id, quod conventione matrimoniali ipſi promiſſum eſt, & infantes ex matrimonio illo orti non ſuccedunt ſuo patri & reliquis adſcendentibus. Cap. 39. Præſcriptio viginti annorum in criminibus interrumpitur per ſententiam in contumaciam executioni in effigie datam, quæ durat triginta annis. Cap. 41. Teſtamentum totum manu teſtatoris ſcriptum conſuetudine Engoliſmenſi validũ eſt. Cap. 43. Apud Turonenſes donatio reciproca inter conjuges non revocatur per ſupervenientiam infantis ante tempus legitimum nati & qui ante parentes decedit. Cap. 45. Promiſſio matris in pactis filiæ matrimonialibus de ſervanda inter liberos æqualitate facta, pro irrevocabili habetur. Cap. 47. Maritus non poteſt accuſare queſtlam ob commiſſum cum uxore ſua adulterium, quamdiu hanc in domo ſua retinet, nec eam in ipſo crimine deprehenderit. Cap. 62. Legata pauperibus Reformatæ Religionis relicta Eleemoſynario adjudicantur, ad diſtribuenda illa inter pauperes utriusque religionis. Cap. 65. Ex ſententia in Flandria Hiſpanica lata non poteſt fieri executio in Gallia: ſed Curia ſuper eadem cauſa cognoſcens admiſit traſſantem literarum cambialium ad beneficium ceſſionis bonorum. Cap. 78. Legatum filiæ relictum ad illam maritandam vel habitum religioſum ſumendum, purum, nec conditionale eſt. Cap. 108. Emphyteuta finita emphyteuſi non poteſt repetere impenſas in exſtructionem novorum ædificiorum ab ipſo factas, nec obligatus eſt ea reſtituere in eodem ſtatu, quo fuerunt antiqua. Libro III. Capite 4. Apud Aurelianenſes donatio a marito in liberos uxoris ex præcedente matrimonio collata, nulla judicata eſt. Cap. 11. Filia naturalis & legitima, quæ renunciavit ſucceſſioni patris ſui, non tenetur alimenta præſtare infanti illegitimo defuncti. Cap. 14. Ille qui bonis ceſſit, ſemper & abſque exceptione dierum feſtorum portare debet viridem

 pileum.

pileum. Cap. 15. Majori conceditur reſtitutio in integrum intra tres annos, contra renunciationem ſucceſſionis ipſi delatæ factam, re adhuc integra. Cap. 17. Jus repræſentationis in linea collaterali apud Andegavenſes locum habet in infinitum: condemnato itaque ad mortem incapace ad ſucceſſionem fratris ſibi delatam, liberi ejus cum fratribus defuncti ſuccedunt. Capite 76. Promiſſio matrimonii a minorenni facta non probatur per teſtes. Capite 99. Teſtamentum matris exhæredationem filii continens, annullatur etiam quoad legatum univerſale uni ex liberis ſuis relictum. Capite 102. Pharmacopolæ habent hypothecam privilegiatam ratione medicamentorum, durante morbo, & quidem ſex ſeptimanis ante mortem debitoris erogatorum; bonis autem defuncti ad ſolutionem jam antea ſubminiſtratorum non ſufficientibus, mater debitoris in ſubſidium haud tenetur. Lib. IV. Capite 4. Ubi vulnera haud lethalia fuere, ſive vulneratus ante ſive poſt quadraginta dies decedat, accuſatum pro homicida haud haberi, ſed ad damnum tamen & intereſſe viduæ exſolvendum, non obſtante transactione cum defuncto deſuper facta, condemnandum eſſe, deciſum eſt. Cap. 44. Communio inter conjuges durante matrimonio revocari nequit, & ceſſio juris ſibi competentis, ab uxore liberis mariti ſui ex præcedente matrimonio facta, reputatur pro commodo indirecto mariti ſub interpoſitione liberorum. Cap. 22. Proprietarius tenetur ad damnum & intereſſe ob mortem conductoris, quæ ex ruina ædium accidit. Cap. 44. Apud Aurelianenſes teſtamentum manu amanuenſis notarii ſcriptum, validum eſt.

Excerpta ex Commentariis Mathematico-Phyſicis Pariſienſibus editis anno 1692. d. 29. Febr. & ſqq.

QUamvis difficile admodum ſit obſervare *Veneris cum Sole conjunctionem*, quando tranſit ſuperiorem globi ſolaris partem, ſuis tamen aſſiduis obſervationibus, menſe Novembri anni 1691. factis, id aſſecutus eſt Dominus *de la Hire*, ut facile concludi poſſit, veram conjunctionem Veneris & Solis contigiſſe d. 15. Novembris, hor. 11. 4, pomer. Pariſiis, quam Argoli Ephemerides 6. hor. 37. min.

min. tardius futuram indicabant. Facile quoque hinc derivatur, nodum deſcendentem conjunctionis momento fuiſſe in 13°. 19′. 4″. ♐, ſi cum Keplero ſupponatur inclinatio orbitæ Veneris fuiſſe 3°. 22′. Jam vero ſecundum Rudolphinas tabulas ſi rationes ineas, locum nodi reperies in 14°. 11′. 53″. ♐: patet ergo has tabulas illum 52′, 13″. plus, quam par eſt, promovere. Dominus *Du Vernay* in diſſectione quinque hiſtricum obſervavit *ductum biliarem* in pylorum patere, & ejus extremitatem verſus cavitatem ventriculi converſam, ita ut neceſſe ſit, bilem omnem in illum infundi. Idem in duobus ſtruthiocamelis, in quibus veſicula fellis nulla compareret, ſed duo canales hepatici, majorem ex his in pylorum inſeri animadvertit. Ex quo efficitur, *bilem* ad digeſtionem alimentorum incidendo & diſſolvendo chylum facere, & illa animalia reliquis magis eſſe voracia, in quibus ductus biliaris in ventriculum inſeritur; id quod etiam Veſalii quadam obſervatione in homine facta confirmatur. Invenit quoque ſolertiſſimus ille Vir, *ductum pancreaticum* in hiſtrice, poſtquam emerſit ex inferiore parte pancreatis, inſeri in initium inteſtini jejuni, quod 20. pollices diſtat a pyloro, ubi erat inſertio ductus biliaris: in ſtruthiocamelo vero canalem pancreaticum emergentem ex pancreate medio aperiri in primum reflexum inteſtinorum, diſtantia 3 pedum ab extremitate canalis hepatici majoris; minorem vero ductum hepaticum inſeri ſemper verſus finem illius flexus, 2. pollic. ſupra inſertionem canalis pancreatici. Ex quo conſequitur, neceſſe non eſſe, ut recentiores quidam contendunt, duos illos liquores inter ſe commiſceri, quo in alimenta agere poſſint, cum in exemplis recenſitis bilis agat in chylum per ſpatium non contemnendum, antequam ſuccus pancreaticus ipſi affundatur. Dominus *Sedileau* Pariſiis per triennium obſervavit *quantitatem tam aquæ pluviæ*, quæ ſingulis annis decidit in vas ſtanneum, cujus longitudo eſt 2. ped., latitudo vero & altitudo 1½ ped. quam *evaporationis* quæ contigit in vaſe, cujus longit. 3 ped., latitudo 2 ped. altitudo paulo major 2. ped. cum utrumque vas inſertum eſſet terræ, ſuperi-

periorque ſolum apertura aëris Soliſq; actioni eſſet expoſita; animadvertitque altitudinem aquæ pluviæ, quæ quotannis Pariſiis decidit, eſſe circiter 19. digitorum, ſed evaporationem circiter $32\frac{1}{2}$ digitorum. Dominus *Caſſini* microſcopio *floccos nivis* accuratius inſpiciens deprehendit, ſex radios, ex quibus ordinarie ſinguli componuntur, ſæpe eſſe inſtar ramulorum foliis inſtructorum, & flocculos nonnullos ſpeciem quaſi floris referre. Dominus *Rolle methodum* invenit *reſolvendi Aequationes* omnium graduum, quæ generalibus terminis exprimuntur; *Dn. Varignonius* autem demonſtrationem communem & *ſphæræ & ſphæroidibus ellipticis*, per quam una opera ſingulorum, independenter ab aliis, ſoliditates, & rationes ad alia ſolida parallelepipeda, cylindrica, conica &c. determinantur: quas tamen nimis prolixum foret huc afferre. Dominus Caſſinus eruditam circa *Maſſiliæ longitudinem & latitudinem* disquiſitionem attulit, & poſtquam examinavit Pitheæ Gaſſendique obſervationem nec non Ptolomei placita, ſuisque nec non Domini Chazelles obſervationibus nixus; Maſſiliæ longitudinem cenſet eſſe $25\frac{1}{2}$ grad. Lutetiæ vero $21\frac{1}{2}$ gr. Latitudinem autem Maſſiliæ $43^{\circ}.\ 17'.\ 37''$. Lutetiæ $48^{\circ}.\ 50'.\ 10''$. Quandoquidem vero ex obſervatione Pytheæ deducit, illius tempore diſtantiam Solis ſolſtitialem a Zenith fuiſſe $19^{\circ}.\ 6',\ 46''$, quam ipſe Caſſinus uſus declinatione Solis $23^{\circ}.\ 29'$, reperit eſſe jam $19^{\circ}.\ 48'.\ 13''$, patet, differentiam, qua ante bis mille annos minor fuit diſtantia Solis ſolſtitialis, eſſe $41'.\ 47''$; cujus cauſa utrum mutationi altitudinis poli, an variationi eclipticæ, aut ambabus, vel ex parte etiam errori, qui in obſervatione Pitheæ contigit, tribuenda ſit, alio tempore idem Clariſſimus Caſſinus examinabit.

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II. Sect. V.

DISSERTATIONES ECCLESIASTICÆ, in quibus pleraque ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam & Politicam Hiſpaniæ, Remque Diplomaticam ſpectantia accurate diſcutiuntur. Auctore Fr. Joſepho Perezio, Benedictino, Monacho S. Facundi, Sacrarum Linguarum in Academia Salmantina Profeſſore Ordinario.

Salmanticæ, apud Lucam Perez, anno 1688. in 4.
Conſtant Alphab. 2. plag. 7.

OPtime imprimis de Benedictinis ſuis mereri Auctor in Opere præſenti voluit, veſtigiis adeo Joannis Mabillonii inſiſtens, cujus non Acta modo Sanctorum Ordinis D. Benedicti in Seculorum claſſes diſtributa, ſed veterum quoque Analectorum tomos aliquot eo facientes jam olim commemoravimus. Quamvis autem & ad alia quædam cum eccleſiaſticæ tum politicæ Hiſtoriæ capita inſimul heic Noſter diverterit, maxima tamen ſcriptionis pars Benedictum & Benedictinos reſpicit, prout unusquisque haud difficulter intelliget, qui ad ea, quæ jam dicturi ſumus, paululum attenderit.

Ediderat nimirum *Hermenegildus* quidam *a S. Paulo* duo ſatis grandia volumina, quæ *originem & defenſionem Hieronymianam* inſcripſit, & in iis inter alia aſſeruerat, Benedictinos una cum ſua regula ante A. 1030. Hiſpaniæ fuiſſe ignoratos. Quod ipſum cum ferre non poſſent qui in illo regno tum florebant eruditi, mox prodiit *Gre-*

gorius de Quintanilla, qui ſuo, ceu vocat, *Tabernaculo fœderis* aliquam pro Benedictinis apologiam inſeruit. Paulo poſt hunc inſecutus fuit alius, *Argaiz* nomine, & *Inſtructionem Hiſtoricam* Hermenegildo oppoſuit, ab eo tamen per editam *Inſtructionem præviam* rurſum impugnatus. Quin & ille ſcriptum adhuc aliud ſub titulo *Satisfactionis Hieronymianæ* ſuperaddidit, & ibi ex inſtituto iſtud argumentum proſecutus eſt, ut, quæ adverſus Benedictinos Baronius, Gallonius, & alii, commentati forte fuerant, mirum in modum exaggeraret, ac non ipſum modo S. Benedictum, ſed Ordinis quoque ab eo inſtituti membra paſſim perſtringeret.

Illud vero Auctorem noſtrum præcipue commovit, ut ipſe, provocatus inſuper tot amicorum ſuperiorumque precibus & imperiis, calamo ſuo frena paulo liberius laxaret, & Ordini Benedictino, cui ſe addictum profitetur, honorem priſtinum pro virili aſſereret. Sed antequam negotium, quod præcipuum eſt in iſta controverſia, aggrediatur, Ordinis prius Hieronymiani, cujus regulam Hermenegildus ſequitur, antiquitatem vix tria ſuperare ſecula oſtendit. Divum enim Hieronymum peculiarem ordinaſſe religioſam familiam, aut a ſua ſtatim morte proprios aliquos ſui inſtituti imitatores eo ſub titulo habuiſſe pernegat, ad altum in antiquiſſimis monumentis ſilentium provocans. Quæ interim ab Hermenegildo in contrariam partem allatæ erant rationes, eas fuſius examinat, & de Hieronymo teſtari quidem Eccleſiam non abnuit, quod Bethlehemi cœleſtem quandam vitæ rationem inſtituerit; ex eo tamen nondum confici poſſe exiſtimat, peculiaris eum Ordinis autorem fuiſſe, cum etiam verba illa nihil inferre aliud perquam manifeſtum ſit, quam quod Hieronymus ſive Elianam, ſive Antonianam, ſive Pachomianam, ſive aliam quamvis e multis, quæ tunc in Oriente vigebant, regulam cum ſibi tum ſuis ſedulo obſervandam propoſuerit. Dehinc poſt alia & iſtud pernegat, quod Romæ Hieronymus monaſticum inſtitutum invexerit, ac valde cenſet ridiculum, quod Benedictum ipſum Hieronymianum ille faciat; prout & Simplicianum, Ambroſium, Euſebium Cremonenſem, & Paulinum, inter Ordinis alicujus ab Hieronymo fundati ſocios numerari debere, penitus inficiatur.

Suum econtra Benedictum ex Martyrologii Romani ſuffragio collapſam in Occidente monachorum diſciplinam feliciter reſtituiſſe,

ac

ac mirifice propagaſſe contendit; unde ejus regula ſtatim per Italiam finitimamque Siciliam, per Angliam item & omnem ferme Europam diſſeminata fuerit. Hiſpanos autem inter primos illius aſſeclas numerari debere, e tabulariis fide dignisſimis indubitatum ſtudet reddere. Licet enim omnia omnino privilegia, in quibus Benedictinæ regulæ ante annum 1030. mentio fiat, corrupta eſſe Hermenegildus ſtatuerit, temerarium tamen id aſſertum & maxime injurium Perezius pronunciat. Et cum iſte ad ſuam ſententiam roborandam argumentis quibusdam utatur, ideo ea ſigillatim ſub incudem revocat. Nempe Sanctii Majoris diploma A.D. 1022. evulgatum ille produxerat, e quo inter alia poſſit colligi, Benedictinam vivendi rationem ab eo primum in Hiſpaniam fuiſſe invectam. Noſter vero priſtinæ tantum obſervantiæ & integritati eandem ab hoc fuiſſe redditam reſpondet; ſimiliterque ſe gerit circa objectum Synodi provincialis ad Cojaneam anno 1050. coactæ placitum, quod monaſteriis Benedictinam regulam non prima vice id tum præſcripſerit, ſed ſolum ejus ſtudium accuratius diligenter inculcarit, demonſtrans. Nec quicquam lucrari ait Hermenegildum exemplis doli ac fraudis, quam Benedictini alias admiſerint, ſolicite congeſtis, ſiquidem manifeſtum eſſe hunc paralogiſmum a particulari ad univerſale procedentem quilibet agnoſcat; ſuos interim ab imputato iſthoc crimine immunes præſtare nequaquam omittit. Diplomatum autem abs ſe citandorum auctoritatem prolixe aſſerit, & præcipue San-Facundino tabulario uſurum ſe inpoſterum pollicetur, quod contra objectiones adverſarii ſui vindicat, & antiquitatem ejus minime contemnendam adſtruit. Poſt diplomata diverſa, 50. 60. imo 100. & amplius annis ante memoratum ab Hermenegildo Benedictinorum in Hiſpaniam adventum huic Ordini conceſſa, in medium producit, & præ reliquis quoddam ab Alphonſo A. C. 905. datum contra illius depravationes tuetur. Obtendit tamen Hermenegildus, ſe in quodam manuſcripto Joannis Guardiolæ Benedictini, & Archivo monaſterii S. Facundi præfecti, diploma tale inveniſſe, e quo commendatam æra demum 1117 Alfonſo VI. Benedicti diſciplinam cognoſcere quis valeat. Sed Noſter omiſſa per fraudem illa verba recenſet, quæ iterum, quod iſte eandem non primum in hoc Monaſteriū introduxerit, ſed ibi renovarit, palam edoceant, idemque pluribus poſtea rationibus aliis confirmat. Ut taceamus

ceamus teſtimonia, quæ Benedictinos diu ante epocham ab illo conſtitutam in Hiſpania floruiſſe docent, & e tabulariis Albeldenſibus, Compoſtellanis, Carracedenſibus, Legionenſibus, & Ovetenſibus, longe ſupra fraudem ſociorum ſuorum poſitis, luci ab Auctore exponuntur. Nec parcus eſt in Hiſtoricorum Hiſpanicorum, qui iſthoc parilem in modum adſtruant, ſuffragiis accumulandis; quemadmodum & traditionem iſtam, quæ Ildephonſum, Fructuoſum, martyres Caradignenſes, aliosque tum ante Hiſpaniæ cladem, tum poſt illam florentes, Benedictinos fuiſſe teſtetur, ab elevatione intenta liberat. Imo Gothorum etiam tempore tales ibi religioſos locum inveniſſe ex monaſteriis, quæ ante & ſub initia Saracenicæ tyrannidis, itemque paulo poſt Hiſpaniam ſub Muhammedanorum jugum miſſam, reperta fuerint, demonſtrat; & proinde ne Pulgario quidem adſtipulatur, qui Benedictum, Abbatem Anianenſem, circa annum ſeculi octavi nonageſimum præcepta hæc Hiſpanis attuliſſe, Pellicerium ſecutus finxerit. Sed ut ad Hermenegildum revertatur, ejus, quas vocat, objectiunculis ad eum modum obviam procedit, ut, quod ille quidem vult, nec ſub Carolo demum Magno ac Ludovico Pio, ſeculoque adeo nono, in Gallia ſolum propugnari cœpiſſe Benedictinam regulam, oſtendat, nec eam per Donatum, Monachum Afrum, A. 570. Hiſpanis tanquam antea ignotam præſcribi potuiſſe aſſerat. Cumque lapis in vetere ſarcophago, ubi D. Æmiliani lipſana delituerant, A. 1601. inventus, Sanctum hunc A. 574. obiiſſe, eumque Benedictinum monachum fuiſſe doceat; Hermenegildus vero ne iſto quidem argumento ſe moveri patiatur, multaque contra inſcriptionem factamque pariter illius protractionem obtendat, idcirco in utraque defendenda prolixe occupatus eſt, eademque induſtria diplomatum a Quintanilla productorum, Abarcæ nimirum, qui A. 971, & Sanctii Majoris, qui A. 999. Benedictinos privilegiis donarit, fidem adſtruit. Fruſtra urgeri ab Hermenegildo iſtud argumentum: non, quotquot ſub Benedicti regula militarint, Benedictinos fuiſſe, ſed ad id, ut unus idemque Ordo confletur, requiri, ut qui ad eum ſpectant, uni tantum capiti ſubditos ſe ſentiant. Huic namque evertendo valide id inſervire arbitratur, quod Caſſinenſe & S. Facundi monaſterium Benedictini procul dubio Ordinis fuerint, cum tamen eo tempore congregationum ſub uno capite uſum nondum introductum noverimus. Omnes autem, qui Bene-

Benedicti regulam obſervarint, pro Ordinis ejusdem monachis omni ævo venditatos apud Yepionem, in ſuorum annalium prolegomenis, & Manriquium, in Tractatu quem Tomo Concionum de SS. Ciſtercienſibus præfixit, uberius oſtendi annotat. Fruſtra tandem provocari ad Benedictinam normam in ſimilibus diplomatibus aliis ſilentio præteritam. Cum enim in Hiſpania unam S. Benedicti regulam monachi ſequerentur, hinc factum, ut nomine monachorũ uni Benedictini, & per monaſticam porro regulam una itidem Benedictina intelligeretur; id quod teſtimonia Suareſii, Moralii, Hieronymi Plati, &c. ad votum penitus confirment. Atque ita poſt additas appendicis loco nonnullorum diplomatum, antiquitatem regulæ Benedictinæ in Hiſpania demonſtrantium, & a ſe antea omiſſorum, vindicias, priorem velitationis ſuæ partem Auctor concludit.

In altera Benedictum ipſum ejusque regulam a dicteriis nonnullis Hermenegildi repurgat, vindicatque monumenta eam in rem apud San-Victorium occurrentia, Zachariæ videlicet Papæ diploma, in quo monachorum omnium pater Benedictus appelletur; & Hildegardis teſtimonium, juxta quod ante Patris hujus tempora monachi certa lege caruiſſe memorentur. Speciatim dehinc Hermenegildi objectiones perſtringit, primoque Benedictum adverſus plagii crimen ipſi intentatum tuetur Ejus namque regulam veſtigia aliorum præ ſe ferre haud ire vult inficias, unde & regula Patrum a quibusdam hæc Benedictina nuncupata fuerit; non ideo tamen afflatum divinum heic maxime operoſum negari debere addit, cum Spiritus Sancti gratia, quæ guttatim Patribus prioribus inſpiraverat, ea confertim in hujus omnium juſtorum Spiritu pleni legislatoris ſtylum effuderit. Imo ſi & hanc inſpirationem abfuiſſe dixeris, laudandum nihilominus Benedicti ſtudium, quod ad apis inſtar e variis floribus hoc mel collegerit, quod, quæ in cæteris regulis tanquam vel laxiora, vel rigidiora, vel obſcuriora, vel certis regionibus parum convenientia, occurrebant, ad debitum temperamentum redegerit. Ad morſus item ab Hermenegildo hujus regulæ contentis impactos propius accedit, & cum is eam in cibi ac potus portione præſcribenda paulo largiorem tantumque non profuſam fuiſſe cenſeat, non benignitatis modo hujus rationes exponit, verum etiam ne mediocritatis quidem limites violatos aſſerit. Ut taceamus, quæ de Abbatis menſa a monaſticis diſcreta, deque hu-

jus inſtituti ratione & aliis eo pertinentibus commemorat. De cætero Hermenegildi indignationem a parente in prolem ſimiliter deſcendere, tanto minus miratur, quanto clarius irarum fons appareat, invidia nempe exinde orta, quod Benedictini iis inſignibus Pontificiis utantur, quibus Hieronymiani careant. Inde eſſe, quod hæc monachos haudquaquam decere, & injuſto titulo obtenta fuiſſe pleno ore clamitet; cum tamen & S. Bonifacius conſtructo a ſe monaſterio Fuldenſi, Anſelmus Beccenſi, & qui eo adhuc antiquior, Bertulfus Bobienſi, aliique aliis multa privilegia citra crimen impetrarint. Neque inſignia hæc ullo modo arrogantiam prodere, ſed potius ex eorum ſignificatione a cunctis modeſtiam & moderationem exigi ſubjungit, ac ſpeciatim Benedictinos hac prærogativa, intuitu tot obſequiorum Catholicæ Eccleſiæ nunquam non inſigni cum devotione præſtitorum, ex merito fuiſſe donatos autumat. Eos inſuper fœdifragos & ſuæ regulæ violatores nuncuparat Hermenegildus, quod, cum illa monachos veſtitos & cucullo tectos ſomnum capere decernat, illi contra veſtibus monaſticis depoſitis altum ſtertere conſueverint; quod carnibus, magiſtri ſui interdicto poſthabito, veſcantur; quod alios, ut ſui teporis ſocios habeant, infament. Sed hæc ita amolitur Noſter, ut reſpondeat, ſi quid de regulæ rigore, temporis, regionum, ac perſonarum ratione habita, remiſſum videatur, id ferme inconſulta Sede Apoſtolica non eſſe factum. Nullum autem Ordinem adeo purum haberi & ſanctum, ut, quæ ab aliis eidem objiciantur, pro criminationibus confeſtim venditanda ſint. Humanum recte ab omnibus dici, ſi quis labatur, ſed divinæ virtutis, ſi quis poſt lapſum reſurgat; unde Ordo Benedictinus ſæpius ſe in meliorem formam fuiſſe, probro ſibi haud quaquam ducat. Tandem certorum ex Ordine Benedictino hominum famam, quam antagoniſta hic proſciderat, in integrum reſtituere allaborat, & inter hos præcipue Quatuor-Viros, Sandovalium, Reynerum, Quintanillam, & Yepeſium a vitiis ipſiſmet objectis liberos pronunciat.

Cæterum inſerere heic Auctori placuit nonnihil ex ea Papebrochii clariſſimi Diſſertatione, quæ Sect. I. Tom. II. Actorum Sanctorum menſis Aprilis præmiſſa fuit, ubi diploma quoddam a Dagoberto I. Horreenſi Benedictinarum Virginum Parthenoni, ut creditum eſt hactenus, conceſſum apertæ falſitatis atque ſuppoſitionis arguit.

Id

Id autem ne fraudi ſit ſuo Ordini addictis, cavere Perezius oppido annititur, eaque de cauſa minime diſſimulat, mirari ſe, cur multa in his Actis inter rejectanea a Papebrochio numerentur, quæ tamen e monumentorum maxime genuinorum claſſe exſcindenda minus veniant. Et poſtquam id Geſtorum S. Eleutherii, Actorum Synodi Ratisponenſis, Hiſtoriæque de pecuniæ ſumma in Glaſtonienſem capellam inſumta (quæ ſingula rejecit Papebrochius,) exemplis allegatis confirmavit, ipſas ejus regulas, ad quas diplomata examinari vult, a rei veritate toto cœlo aberrare contendit. Prima ibi hæc eſt; quod diplomata, quæ ab invocatione Dei, Patris nempe, Filii, & Spiritus Sancti, aut, quod multo ſit recentius, ſanctæ & individuæ Trinitatis, non incipiant, pro nothis habenda ſint. Eam oppugnat Auctor noſter, inductis e contrario exemplis aliquot, ubi pro lubitu in invocatione iſta variaverint antiqui, v. g. Siſnandi, Irienſis Epiſcopi, qui ſemel ſub Chriſti nomine, mox in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, iterum in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis; & Odonii II. Regis Hiſpaniæ, qui in Chriſti nomine, in nomine Patris, & Filii, ſimulque ex ambobus procedentis Spiritus Sancti, item in nomine Domini ſcriptiones ſuas inchoaverit. Secundam regulam, quæ monet, ne pro veris ea diplomata agnoſcantur, quæ ante Magni Caroli tempora Indictionem adſcriptam habeant, infringere conatur ex hoc, quod multo ſane ſerius, aut potius nunquam, in Hiſpania Indictionum uſus invaluerit, & tamen illæ in ſinceriſſimis nonnullis diplomatis extra ordinem reperiantur. Idem ergo & in Gallia contingere potuiſſe affirmat, dum nempe ſciolus aliquis eo pacto majus robur diplomatibus conciliari perſuaſum ſibi habuerit. Nec pluris fieri debere addit, quod de anno incarnationis Chriſti ante annum 727. minime uſurpato ſentiat. In Hiſpania enim celebrem illam epocham cum in publicis tum in privatis ſcripturis uſurpari usque ad annum Domini 1383, cum a Joanne I. in publicis Comitiis illius uſus antiquatus, & æra Chriſtiana ſuffecta fuerit, & tamen haud ſemel annis Domini publica inſtrumenta fuiſſe conſignata, ex innumeris privilegiis apparere dicit. Quin & diem Lunæ interdum addi memorat. E charactere literarum & ſcriptionis debile nimis & imbecille argumentum peti ſtatuit, cum uno eodemque tempore miram formarum diverſitatem deprehendas, nemoque adeo ſtupidus ſit, qui in confin-

gendo aliquo diplomate exemplar ævi antiqui ſibi haud proponat. Pluralis numeri appoſitionem veteri ævo inuſitatam fuiſſe negat, cum unum aliquod Sisnandi, Irienſis Epiſcopi, diploma utrumque numerum exhibeat. Uti autem, quæ heic objici fortaſſe queant, diluit, ita tum demum monumenta iſtiusmodi pro nothis venditanda eſſe pronunciat, ſi ea inibi contineantur, in quibus coævos Hiſtoricos deceptos fuiſſe veroſimile haud ſit. Sed ulterius recedit a Papebrochio, ſuſpicante, ideo monachos diplomata ſua paſſim adulteraſſe, quod Proceres quosdam aliosque ſuis prædiis imminentes, regiorum, quæ non habebant, aut certe interciderant, diplomatum terrore objecto compeſcere & deterrere voluerint. Parum enim proceſſuram fuiſſe hanc fraudem, ex membranæ recentioris, characterum a priſcis diverſorum, & ſtyli immutationis facillima cognitione probat. Nec ullam reperiri poſſe rationem ſat prægnantem, quæ monachos ad hunc dolum perpetrandum impulerit, cum certe illorum prædiorum veterem & ante ab omni hominum memoria inviolatam poſſeſſionem valide allegare, cum Reges ipſos, qui tum imperitabant, adire, veraque diplomata antiqua illa confirmantia felici cum ſucceſſu expetere licuiſſet. Et ex his pariter ac aliis, quæ de Veteribus Indictionum non ſat peritis, & fide adeo diplomatum ex iis prave appoſitis nondum dubia; de Kalendarum uſu priſcis haud ita cognito; de Indictionibus ad triplicem modum, Pontificium, Conſtantinianum, & Conſtantinopolitanum, uſurpatis commentatur, patere unicuivis perſuaſum ſibi habet, quam ſevere & inique de Benedictinis diplomatis Papebrochius pronunciarit, & in Mabillonii ſecum eadem ſentientis ſuffragio multum ſe delectat. Interim tabulas quasdam interpolatas & corruptas quandoque reperiri non inficiatur, aſſertumque probat ipſemet adducto duplici Diplomate, quorum alterum a Ferdinando Gundiſalvo M. Caſtellæ Comite, cœnobio Æmilianenſi datum, alterum a Ranimiro I. Compoſtellanis conceſſum credatur, ſed neutrum pro authentico habendum veniat.

Sequitur nunc iterum appendix, eaque gemina. Prior Diſſertationem de *anno obitus S. Benedicti* ſiſtit, de quo jam olim Diatribam Hiſpanico idiomate conceptam Auctor oppoſuerat Joſepho Pellicerio, qui ſcripto contrario, quod *Epactam* inſignivit, ſe defendit. Sed Noſter Diatribæ hujus ſuæ vindicias denuo conſignavit; quas tamen

men edere certis de cauſis diu noluit, jam vero ſcripti utriusque ſummam Latino ſermone comprehenſam cum eruditis communicat. Et iſta eo tendit, ut poſt alias ſententias magno numero allatas rejectasque, ſuam, quæ mortem Benedicti ad annum 543. refert, pluribus ſtabiliat, ac ſimul motas a Pellicerio objectiones refutet. Altera difficultatem de *anno ſupremæ cladis Hiſpaniæ a Saracenis illatæ*, quam multi in A. C. 714. incurriſſe dicant, examinat. Ipſe autem annum hunc fatalem potius ſeptingenteſimum duodecimum fuiſſe probat, & menſem Julium, atque in hoc diem decimum ſeptimum cladi aſſignat. Et cum ex annis Arabicis lucem huic controverſiæ præcipuam affuderit, multi autem ambigant, a quo termino epocha Hegiræ inchoanda ſit, ideo initia illius ab A. C. 622. repetenda eſſe demonſtrat, ac poſtea per occaſionem diſpicit, quoto anno ante epocham Chriſtianam vulgarem æra Hiſpanica originem habuerit: atque hanc quidem 38. annis iſtam antevertere, contra Virum ſuæ gentis clariſſimum, qui 39. annos nominet, defendit. Cæterum cum ſemel de clade Hiſpanica diſputaſſet, non potuit, quin ſub finem monitum aliquod ſubjungeret de libro anno 1600. Granatæ excuſo, hac cum epigraphe: *Vera Hiſtoria Regis Roderici, in qua agitur de præcipua cauſa cladis Hiſpanicæ, &c. auctore Abulcacimo, Taracho, Abentbarico Arabe, ex Arabico idiomate in Hiſpanicum converſa per Mich. de Luna, Granatenſem, Interpretem Regium.* Et eum ſane tanto cum applauſu ab eruditis etiam ſuſceptum teſtatur, ut intra 70. annos ſexies recuſus fuerit. Sed meras inibi fabellas contineri, librumque hunc a nebulone peſſimo confictum fuiſſe, rationibus, quæ totam rem manifeſto conficiant, declarat.

S. AMBROSII MEDIOLANENSIS Epiſcopi Opera ad Manuſcriptos Codices Vaticanos, Gallicanos, Belgicos &c. nec non ad editiones veteres emendata, ſtudio & labore Monachorum Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri. Tomus II.

Pariſiis apud viduam Joh. Baptiſtæ Coignard, 1690. Fol. alphab. 12½.

PRimum Ambroſianæ hujus editionis tomum in Actis A. 1688. p. 64. recenſuimus. Secundus isque ultimus, quem nunc addimus, pri-

mum LIBROS TRES DE OFFICIIS exhibet, quos Benedictini de novis Patrum editionibus hactenus præclare meriti, ex fide manuſcriptorum codicum de officiis Miniſtrorum inſcribunt, nec ſtatim ab Ambroſio ſub exordium epiſcopatus ſui, quod aliquibus viſum eſt, ſed anno demum 391. ſcriptos ſuſpicantur. Hos excipiunt LIBRI TOTIDEM DE VIRGINIBUS, quos Ambroſius ſorori ſuæ Marcellinæ dedicavit, & circa annum 377. compoſuit. Cum autem inter Theologos Romanæ eccleſiæ addictos, de ſtatu virginum in primitiva eccleſia non eadem ſit omnium ſententia, Benedictini noſtri in admonitione huic tractatui præmiſſa non diſſimulant, eorum opinionem, qui ab ipſis eccleſiæ incunabulis virgines & ſolennia continentiæ vota emiſiſſe, & communem in monaſteriis vitam egiſſe contendunt, haud exiguis difficultatibus premi, cum Romanorum leges cœlibatum ſevere interdixerint, neque Chriſtianis religionis cauſa convenire integrum fuerit. Quæ difficultatum repagula Martyrum quorundam Actis removeri minime poſſe animadvertunt, cum Acta illa non levi ſuſpicione, ſed manifeſtis prope indiciis corruptionis arguantur. Quæ autem ex Patribus & Conciliis pro contraria ſententia adducuntur, haud difficulter ad illorum opinionem traduci poſſe ſtatuunt, qui a virginibus privata tantum vota emiſſa,& vitam in paternis ædibus & ſeculari contubernio transactam arbitrantur, vel etiam in virginibus ſimplex tantum propoſitum, quod velo & veſtium modeſtia teſtatæ fuerint, agnoſcunt. Cum autem Innocentius I. in epiſtola ad Victricium duplex virginum genus aſſerat, quorum unum a Sacerdotibus velari meruerit, alterum veli expers in propoſito tamen virginali manſerit, utriusque generis virgines perpetuo virginitatis voto adſtrictas fuiſſe contendunt, & ad ea quæ contra illud perpetuæ virginitatis vinculum ex Cypriano objici poſſunt, reſpondere conantur, ac tandem concludunt, jam inde ab Apoſtolicis temporibus puellas extitiſſe, quæ vel voto vel promiſſo virginitatem ſuam Deo conſecrarent, eaque vota poſtea coram epiſcopis vel presbyteris, vel parentibus, vel tota eccleſia per externa indicia declarari cœpiſſe; ac primum quidem ſacras illas virgines in paternarum ædium ſecretis commoratas, donec ceſſante perſecutionum tempeſtate monaſteria in Oriente ac deinceps etiam in Occidente ingreſſæ fuerint; quod vivendi ſtudium ab Ambroſio adeo adjutum at-

que amplificatum aſſerunt, ut vel primus ſanctimonialium apud Italos parens, vel ſaltem patronus & propagator merito audiat. Non minori ſtudio viduitatis ſtatum Ambroſius commendavit, atque hinc LIBER DE VIDUIS natus, cujus occaſionem & argumentum cum Benedictini breviter indicaſſent, notant *Perkinſum*, qui hunc de viduis librum eo nomine in νοθείας ſuſpicionem adducere voluit, quod cum commentario in cap. 1. ep. ad Romanos pugnare videatur, cujus argumenti futilitatem jam a Riveto deprehenſam obſervant. Perſtringunt quoque Centuriatores, quod librum de viduis ab Ambroſio ſcriptum dubitaverint, craſſa quædam de invocandis ſanctis mortuis illo tractatu contineri cauſati. Cum enim & ipſe Ambroſius in commentario ad Lucam hoc ſcriptum ſuum vel quater allegaverit, & Hieronymus in apologia adverſus Jovinianum Ambroſii librum de viduis memoraverit, de autore hujus libri minime dubitandum eſſe cenſent, indeque colligunt, orthodoxa viſa Ambroſio, quæ Centuriatores tanquam craſſa improbarunt. LIBRUM DE VIRGINITATE, qui proxime ſequitur, aliqui pro poſtrema libri 3. de Virginibus parte habuerunt, aliqui cum tractatu de virginibus tanquam quartum conjunxerunt, alii denique librum ſecundum de viduis eſſe cenſuerunt. Verum hunc librum a priori de virginibus tractatu avelli & libro de viduis poſtponi oportere, doctiſſimi Editores variis rationibus demonſtrant, & inter alia obſervant, quod Hieronymus tres tantum libros de virginibus ab Ambroſio ſcriptos teſtetur, & ipſe Ambroſius totidem a ſe compoſitos aſſerat. Notant præterea tres libros de virginibus in libro de viduis, & librum de viduis in libro de virginitate allegari. Eos autem qui hunc etiam librum de viduis inſcribunt, inde confutant, quod Hieronymus in Apolog. adv. Jovin. unicum Ambroſio librum de viduis attribuerit. Quamobrem hunc tractatum de virginitate inſcribere ipſis placuit. Huic ſubjungunt LIBRUM DE INSTITUTIONE VIRGINIS AD EUSEBIUM, ſive ut in manuſcriptis codicibus appellari ſolet, SERMONEM DE S. MARIÆ VIRGINITATE PERPETUA; quod lemma ratione non caret, cum præcipua hujus tractatus pars in perpetua Mariæ virginitate contra Bonoſum ejusque aſſeclas aſſerenda occupetur. Euſebium autem illum, cujus nomini hic liber in editis Ambroſii exemplaribus nuncupatus

 de-

deprehenditur, etſi in codicibus ſuis manuſcriptis illud deſiderari non diſſimulent, non Bononienſem epiſcopum cum Baronio fuiſſe ſtatuunt, ſed civem tantum Bononienſem, cui cum Ambroſio familiaritatem quandam interceſſiſſe, ex epiſtola a S. Præſule ad illum exarata probant. Sequens tractatus, qui EXHORTATIO VIRGINITATIS inſcribitur, ſermonem Florentiæ in publico cœtu habitum continet, cui Baronius annum 392, noſtri autem Benedictini annum 393. asſignant. Neque dubitant his tractatibus etiam adjungere LIBRUM DE LAPSU VIRGINIS CONSECRATÆ, qui etiam inter Hieronymi opera reperitur. Verum Autor hujus operis Epiſcopum ſe eſſe paſſim indicat, quod Hieronymo minus convenit. Ambroſio *Cocus* hunc tractatum ob eam rationem abjudicat, quod Autor ſcribat, puellam, in quam invehitur, ſi integra virginitate mortua fuiſſet, futuram fuiſſe pro parentum peccatis *hoſtiam vivam Domino propitiatricem*. Verum obſervant Benedictini, ſimilia apud Ambroſium libr. 1. de Virginibus c. 7. legi. Aliud dubium movent *Bellarminus*, *Poſſevinus*, & ex his *Rivetus*, dicentes, c. 8. hujus tractatus ſententiam plane Novatianam haberi, quam Ambroſius duobus de pœnitentia libris impugnavit. Verum Benedictini autorem hujus tractatus Novatiana hæreſi infectum non fuiſſe, inde probant, quod virginem lapſam ad pœnitentiam publicam ſtimulet, & æternas pœnas ſceleri ipſius debitas evitandi ſpem illi faciat. Quamobrem locutiones paulo duriores eo tantum conſilio adhibitas putant, ut majorem commiſſi propudii horrorem lapſæ incuteret, eamque ad pœnitentiæ opera acrius excitaret. Neque eam ob cauſam ex genuinis Ambroſii operibus hunc librum eximendum cenſuerunt, quod Gennadius Nicetam Dacianum dediſſe referat ad lapſam virginem *libellum omnibus labentibus emendationis incentivum*; quo argumento non pauci eruditorum permoti hunc librum Nicetæ vindicandum cenſuerunt. Nihil enim obeſſe cenſent Benedictini noſtri, quo minus etiam Ambroſio occaſio idem argumentum tractandi naſci potuerit, cum apud Baſilium quoque ejusdem argumenti epiſtola legatur. Cæterum, etſi plerique qui de hoc Ambroſii tractatu aliquid tradiderunt, eum pro epiſtola venditaverint, eos tamen erroris facile convinci poſſe ſtatuunt, quod Ambroſius non ſolum lapſam virginem, ſed etiam virginis corruptorem compellat; unde hic tractatus potius inter publicas Ambroſii

broſii conciones, quam inter ejusdem epiſtolas referendus merito judicatur.

Pergimus ad LIBRUM DE MYSTERIIS, qui in Romana editione *initiandis*, in Eraſmiana *de iis qui myſteriis initiantur*, in Amerbachiana *de myſteriis initiandis* inſcribitur. Hunc Ambroſii fœtum genuinum eſſe, Benedictini noſtri minime dubitant. Repertas quidem a ſe referunt literas *Bullingeri* ad Vadianum apud S. Gallum d. 7. Jul. A.C. 1635. datas, quibus adſtruit, librum hunc *nequaquam eſſe Autoris optimi & judicii emunctiſſimi fœturam*, cum & ſtylus differat, & ratio Euchariſtiæ hic aliter, quam in aliis indubitatis Ambroſii operibus tractetur, & tractatio rerum frigidior ſit, quam Ambroſio conveniat, ideoque Eraſmus, etſi judicium ſuum de hoc tractatu diſſimulaverit, eum tamen dubio procul pro mangonis alicujus opere habuerit, & hanc ipſam ob cauſam in poſtremum editionis ſuæ tomum rejecerit. Verum reſpondent Benedictini, hanc de Eraſmo aſſertionem, cum mera ſit hariolatio, explodendam potius quam refellendam videri: cæteris autem rationibus unicam hanc reſponſionem opponunt, quod tractatus hic tanquam catecheſis proprio ſuo charactere gaudeat, cum catecheſes ſimpliciter, perſpicue & ſine motibus edi oporteat. Addunt Bullingerum cenſorem ſcriptorum Ambroſii non admodum idoneum videri, qui extruſo fœtu legitimo ſpurium in epiſtolas Paulinas commentarium admittat. Poſtea etiam argumenta, quibus *Robertus Cocus* & *Johannes Dallæus* hunc Ambroſii tractatum impugnarunt, referunt, & ſubjectis ſuis reſponſionibus Coco & Dallæo *Blondellum, Albertinum* & alios opponunt, quos paucorum e ſuis cenſura inſuper habita, calculum ſuum veritati non ſubtraxiſſe ſcribunt. Librum de myſteriis ob argumenti cognationem excipiunt LIBRI VI. DE SACRAMENTIS, de quorum autore doctiſſimi editores prolixe diſſerunt, proteſtantes, ſe candide & ſepoſito omni partium ſtudio, hanc controverſiam examinaturos eſſe. Ac primum quidem argumenta proferunt, quibus *Albertinus* & alii hos libros Ambroſio ſuppoſitos probare voluerunt, & quid ad ea reſponderi poſſit indicant. Primum Albertini argumentum inde deſumptum eſt, quod autor dubii hujus operis *Roma fideles dici* ſcribat, quaſi illa fidelium appellatio Romæ peculiaris fuiſſet. Reſponderat Natalis Alexander, nec in manuſcriptis melioris notæ, nec in edi-

tionibus accuratioribus vocem Romæ haberi, in reliquis autem editionibus vocem illam non niſi ex errore natam, cum nonnulli vocem *recte*, quæ in manuſcriptis quibusdam exemplaribus abbreviata legitur, male legerint. At Benedictini noſtri huic reſponſioni Nat. Alexandri, ob numerum & antiquitatem manuſcriptorum codicum, in quibus vox Romæ integra legitur, ſubſcribere detrectant, & potius vocem Romæ emphatice poſitam exiſtimant, quaſi Autor dicere voluiſſet, non ſolum in eccleſiis minorum gentium, ſed etiam in omnium nobilisſima, nempe Romana, baptizatos fideles appellari. Non patitur inſtituti noſtri ratio, ut & cætera Albertini & aliorum hoc opus Ambroſio abjudicantium argumenta referamus, quæ poſtquam Benedictini noſtri non invicti roboris eſſe demonſtraſſent, eorum quoque rationes, qui Ambroſium genuinum hujus operis autorem eſſe cenſent, non usque quaque firmas eſſe & ſolidas evincunt, proindeque non immerito Cardinalem *Bonam*, *Arnaldum* & alios ea de re dubitaſſe pronunciant. Suam autem ſententiam dicturi, id primum certum eſſe ex ipſo opere declarant, quod ejus autor Epiſcopus aliquis fuerit. Deinde antiquitatem hujus autoris partim ex codice S. Galli, quem *Mabillonius* in Muſeo Italico ante mille annos exaratum judicavit, partim ex ipſo tractatu colligunt, cum Autor eo ſe vixiſſe ævo prodat, quo adultorum baptiſmus, & gentilium cultus in ſua diœceſi adhuc viguit, & verſio Bibliorum vulgata nondum apud omnes autoritatem obtinuit. Porro extra controverſiam eſſe dicunt, quod parens horum librorum non quidem Romanæ metropoli ſubditus, ſed tamen ſedi ab Urbe, cujus ceremonias probe perſpectas habuit, non multum diſſitæ præfectus fuerit. Eum vero Ambroſium fuiſſe pro certo aſſerere non audent, neque refragantur, ſi quis cum *Hermantio* non ipſum Ambroſium, ſed Venerium, vel alium quempiam Ambroſii diſcipulum hos ſermones, quibus tractatus de Sacramentis conſtat, habuiſſe & literis conſignaſſe dicat. Adjiciunt ex illis, quæ de ſacra communione, apud ſuos & in orientali eccleſia ſemel tantum ſingulis annis fieri ſolita, Autor memorat, conjici poſſe, quod poſt Chryſoſtomi tempora vixerit. Quo minus autem illis omnino ſuffragentur, qui fœtum hunc Ambroſio tribuunt, ea imprimis ſibi ſcrupulum movere dicunt, quod elocutio ab Ambroſiana multum differat; quod tota fere hæc de ſacramentis commentatio ex tractatu de myſteriis & libro de inſtitutione virginis expreſſa ſit; denique quod

Autor

Autor in Eccleſiam Romanam ob omiſſam in baptiſmo pedum lotionem tantis animis inſurgat, cum alias Ambroſius ſuos cuique eccleſiæ uſus atque ritus liberos permiſerit. Nihilominus tamen huic tractatui inter genuina Ambroſii opera locum relinquere voluerunt, ne quis moleſte ferret, hanc lucubrationem communi fere conſenſu pro Ambroſiana per multa ſecula habitam, antiqua ſua poſſeſſione dejici; in qua eam conſervare tanto lubentius voluerunt, quod ex Ambroſii ſententiis & plerumque etiam verbis contexta fuerit. Sequuntur hoc opus de Sacramentis DUO LIBRI DE POENITENTIA, quos Auguſtinus iterum ac tertio ſub Ambroſii nomine citavit, & ipſe Ambroſius in expoſitione Pſ. 37. a ſe ſcriptos teſtatus eſt. Unde Benedictini mirantur, quod *Petrus a Soto* hoc opus Ambroſio ereptum iverit. Graviorem tamen Riveti culpam eſſe cenſent, quod relatis Soti argumentis oppoſita maligne tacuerit. Cujus ſilentii cauſam hanc eſſe ſuſpicantur, quod in his Ambroſii libris nonnulla cum Reformatorum doctrina haud congruentia occurrant. LIBRI V. DE FIDE, ad quos editionis hujus ordo devolvitur, in nonnullis codicibus de Trinitate inſcribuntur; quo nomine etiam a Magiſtro ſententiarum & aliis citantur. Veruntamen communem epigraphen præferendam eſſe ex eo probatur, quod & a Leone Pontifice Romano aliisque, & ab ipſo Ambroſio ſub titulo librorum de fide memorentur. His de fide libris haud immerito junguntur LIBRI III. DE SPIRITU SANCTO, quos pro tuenda Spiritus S. divinitate, non minus quam illos de fide, ad retundendas Arianorum contra divinitatem Chriſti blaſphemias Gratiani Imperatoris juſſu elaboravit. Cum vero Hieronymus in epiſtola ad Paulinianum graviter Ambroſium, etſi ejus nomine ſuppreſſo exagitet, quod in hoc tractatu de Spiritu S. inſtar corniculæ Æſopicæ alienis plumis ſe adornaverit, & Didymi libros, de eodem argumento ſcriptos, quos Hieronymus Latine interpretatus eſt, exſcripſerit, & contra Rufinus in Hieronymum graviter invehatur quod Virum de eccleſia meritiſſimum verbis tam aſperis lacerare veritus non fuerit, nec alium in finem opus Didymi de Spiritu S. interpretatus fuerit, quam ut Ambroſii furta cognoſcerentur, fatentur Benedictini, Ambroſium non pauca ex Didymo in ſuum opus tranſtuliſſe. Attamen negant Didymo Ambroſium adeo addictum fuiſſe, ut ex Baſilii M. libris de Spiritu S. nec non ex Athanaſii, Gregorii

rii Nyſſeni & aliorum ſcriptis quædam mutuari faſtidiret. Qua in re ipſum non corniculæ Æſopicæ, temere ac promiſcue delapſas ab aliis avibus plumas diripienti, ſed potius api florum plantarumque ſuccos, unde mella ſua colligit, diſtinguenti ſimilem fuiſſe judicant; cum alia, quæ in rem ſuam facere putavit, ſelegerit, alia reſpuerit, alia immutaverit vel transpoſuerit, nec pauca de ſuo addiderit, quæ apud alios autores non reperiuntur. Quamobrem Hieronymum in cenſura ſua, ſi ea adverſus Ambroſium directa fuit, modum exceſſiſſe non dubitant, idemque ipſi contigiſſe pronuntiant, quod illis accidere ſolet, qui autores, in quos aliquid ſtudii atque operæ conferunt, elogiis ſuis ornare non contenti, editos ab aliis de eadem materia tractatus infra, quam veritas atque æquitas ſinat, deprimunt. At Rufinum quoque indignatione ſua ultra quam decuit abreptum ſtatuunt, cum Hieronymum criminatus eſt, quaſi eo tantum conſilio Didymi tractatum de Spiritu S. Latino idiomate donaſſet, ut Ambroſii furta proderentur.

Cum autem Ariani poſt libros de fide & Spiritu S. ab Ambroſio editos nondum acquieſcerent, ſed per duos cubicularios Gratiani Cæſaris objectiones quaſdam ipſi proponerent, hinc Ambroſio novi ſermonis, quem ſcripto complexus poſtea auctiorem edidit, occaſio nata eſt. Inſcribitur ille tractatus DE INCARNATIONIS DOMINICÆ SACRAMENTO, cui nonnulli adjiciunt *contra Apollinariſtas*. Cujus rei cauſa eſt, quod Ambroſius in hoc tractatu etiam Apollinariſtas perſtringat, & libri cujusdam autorem, quem Benedictini noſtri ipſum Apollinarium exiſtimant, blaſphemiæ arguat. Commodum vero viſum eſt Ambroſianæ hujus editionis curatoribus, huic tractatui fragmentum operis cujusdam Ambroſiani, temporum invidia intercepti, ex Theodoreti dialogis ſubjungere.

Poſt tractatus hactenus enumeratos, comparent Sancti Præſulis EPISTOLÆ, in novum ordinem eo modo digeſtæ, ut prior claſſis eas epiſtolas contineat, in quibus aliquam ætatis ſeu temporis, quo ſcriptæ ſunt, notam deprehendere licuit; poſterior autem epiſtolas, quarum certum tempus inveſtigari non potuit. Cum autem poſterioris hujus claſſis epiſtolæ juxta temporis rationem locari non potuerint, materiarum ordo ſervatus eſt, agmen ducentibus epiſtolis, quæ ad explican-

plicandam Scripturam faciunt, proxime ſequentibus, quæ in gravi aliquo & religioſo argumento verſantur, ultimum denique locum occupantibus, quæ ad neutram partem referri commode potuerunt. Inter prioris claſſis epiſtolas leguntur aliquot epiſtolæ nomine Concilii Aquilejenſis ſcriptæ, quibus etiam *Acta Aquilejenſis illius concilii contra Palladium & Secundianum* præmittuntur. Etſi enim *Chiſletius* Acta hæc vertente quinto ſeculo a Vigilio Tapſenſi conficta ſuſpicatus fuerit, ideoq; illa Acta cum reliquis Vigilii Tapſenſis operibus ediderit, & conjecturam hanc ſuam peculiari diſſertatione ſtabilitum iverit, aliter tamen Benedictini ſentiunt, nec perſuadere ſibi poſſunt, Vigilium & famam propriam & eccleſiæ catholicæ cauſam ficto aliquo concilio Arianorum probro atque ludibriis expoſuiſſe. Epiſtolas 13. & 14. prioris claſſis, nomine concilii alicujus Italiæ ab Ambroſio ad Theodoſium Imperatorem ſcriptas, & in aliis Ambroſii editionibus hactenus omiſſas, ex Sirmondi appendice ad Codicem Theodoſianum & Labbeanis conciliorum tomis huc transferre Benedictinis noſtris placuit, cum eas non minus quam concilii Aquilejenſis literas ad Ambroſium pertinere judicaverint. Epiſtolis Ambroſii numero 91. quibus etiam Gratiani ad Ambroſium, & Siricii ad Mediolanenſem eccleſiam epiſtolæ, nec non Symmachi relatio & Ambroſii de baſilicis ſermo, ut & ſermo de reliquiis ſanctorum Gervaſii & Protaſii inſeruntur, proxime cohærent tractatus funerum occaſione ſcripti, quos inter primum locum tenent LIBRI II. DE EXCESSU FRATRIS SATYRI, quorum poſterior DE FIDE RESURRECTIONIS inſcribitur. Dubio autem procul hallucinatus eſt Dungalus, cum in tractatu de cultu imaginum tertium Ambroſii librum de morte Satyri allegavit; in quem errorem a librariis inductus eſt, quorum aliqui ob nonnullam argumenti cognationem duobus libris de morte Satyri librum de Paradiſo adjunxerunt. Idem vero Dungalus in eodem tractatu epitaphium Satyri tanquam ab ipſo Ambroſio poſitum memorat; ex quo colligi poteſt, Satyrum Ambroſii fratrem etiam Uranium cognominatum fuiſſe. Sic enim ſe habet:

Uranio Satyro ſupremum frater honorem
Martyris ad lævam detulit Ambroſius.
Hæc meriti merces, ut ſacri ſanguinis humor
Finitimas penetrans adluat exuvias.

Ea Forte

Forte tamen vox Uranii in hoc epitaphio non tam cognominis quam epitheti rationem habet, quo Ambroſius fratris in cœlum recepti beatitudinem denotare voluit; quod Benedictini in medio relinquunt. Medium locum inter tractatus funerum occaſione ſcriptos CONSOLATIO DE OBITU VALENTINIANI, & ultimum ORATIO DE OBITU THEODOSII IMPERATORIS occupat, de qua, num Ambroſium autorem habeat, *Magdeburgenſes* & alii nonnulli dubitarunt; quibus Benedictini opponunt, quod intexta hiſtoricorum eventuum ſeries, ſtylus operis, & Scripturæ interpretandæ & argumento accommodandæ ratio, pro Ambroſio invicte pugnent.

Tandem his Ambroſii tractatibus, ſoluta oratione ſcriptis, accedunt *Hymni* numero 12. Quamvis enim Gillotius in ſua Ambroſii editione ſedecim tanquam Ambroſianos admiſerit, & Romanæ editionis Curatores octodecim alios addiderint, eumque numerum ſequentes Pariſinæ editiones aliis quibusdam hymnis additis amplificaverint, Benedictinis tamen noſtris placuit, nullum hymnum pro Ambroſiano agnoſcere, qui gravis alicujus teſtis autoritate careat. Non plures igitur quam duodecim, ut diximus, hymnos Ambroſianos exhibent: quorum primus *æterne rerum Conditor*, ſecundus *Deus Creator omnium*, & tertius *jam ſurgit hora tertia*, Auguſtini teſtimonio Ambroſio aſſeri poſſunt; quartus *veni Redemptor Gentium*, a Caſſiodoro, Ildephonſo, Fauſto Regienſi & aliis Ambroſio tribuitur; quintus *illuminans altisſimus*, & ſextus ſeu potius ſexti fragmentum *orate mente Dominum*, a Caſſiodoro laudantur; ſeptimus *ſplendor paternæ gloriæ*, & octavus *æterna Chriſti munera*, Bedam, nonus *ſomno refectis artubus*, decimus *conſors paterni luminis* & undecimus *o lux beata Trinitas*, Hincmarum Remenſem, & duodecimus denique *ſit porta Chriſti pervia*, Ildephonſum Toletanum pro Ambroſio teſtem & aſſertorem habet. Quantum autem ad hymnum *Te Deum laudamus* ſpectat, eum inter Ambroſiana opera omittere Benedictini noſtri religioni non duxerunt, notantes neminem eſſe noſtra ætate non plane rudem, qui inficietur fabulam eſſe, quod hic hymnus, poſt Auguſtinum ab Ambroſio baptizatum, ab utroque alternis vicibus cantatus fuerit.

Singulis tractatibus hactenus recenſitis admonitiones prævias doctiſſimi Editores addiderunt, in quibus varia ad tractatuum iſto-

rum notitiam ſpectantia pertractant, & imprimis argumenta ſingulorum tractatuum recenſent. Singulis etiam tractatibus, ſi hymnos excipias, notas ſuas addunt, quas in ſecundo hoc tomo longe quam in primo uberiores deprehendere licet. De diviſione tractatuum in capita, capitumque ſummariis & ſectionibus, de aſſertione ordinis epiſtolarum juxta temporum rationem inſtituti, nec non de codicibus manuſcriptis & editis, ad quos hi tractatus Ambroſiani exacti ſunt, de appendice variarum lectionum inter omiſſas non contemnendarum, variisque indicibus, quibus partim epiſtolarum numeri in diverſis editionibus variantes inter ſe componuntur, partim perſonæ, ad quas Ambroſii literæ exaratæ ſunt, juxta alphabeti ordinem recenſentur, partim loca Scripturæ, quæ in his Ambroſii tractatibus explicantur, partim res & ſententiæ in his Ambroſii ſcriptis notatu dignæ, partim ea, quæ in notis explicata ſunt, magna cum induſtria digeruntur, nihil addimus, ſed potius ad appendicem properamus.

Conjuncta enim eſt ſecundo huic tomo APPENDIX ad opera Ambroſii, in qua poſt triplicem Ambroſii vitam, pſeudepigraphi quidam tractatus continentur. Et *prima* quidem *Ambroſii vita a Paulino* ſcripta eſt, non Epiſcopo Nolano, ut perperam aliqui opinati ſunt, ſed Ambroſii Notario, quem poſtea ad gradum Presbyterii perveniſſe, ex Iſidori c. 4. de viris illuſtribus colligi poteſt. Altera Ambroſii vita ab Autore quodam anonymo, qui forte Metaphraſtes fuit, Græce ſcripta eſt, quæ ex Colbertinæ bibliothecæ codicibus nunc primum, addita Latina verſione, luce publica donatur. Tertiam Ambroſii vitam ipſi Benedictini imprimis ex Ambroſii ſcriptis collegerunt, & juxta chronologiæ ordinem digeſſerunt; in cujus exordio monent, *Baronium* quidem Ambroſii vitam elaboraſſe, eamque Romanæ Ambroſii editioni præfixam eſſe; verum celeberrimi hujus Viri laborem usque adeo ab omnibus probatum non fuiſſe, ut ipſi Autori non ſatisfecerit, quippe qui poſtea, cum Annales Eccleſiaſticos ſcriberet, multa illius vitæ errata emendaverit. *Hermanni* autem, Doctoris Sorbonici, vitam Ambroſianam propterea a ſe omiſſam notant, quod & Gallico idiomate ſcripta ſit, & mole ſua amplior, quam ut præſenti volumine comprehendi commode potuerit. Inter pſeudepigrapha, quæ in hac appendice leguntur, primo loco exhibetur tractatus

de 42. manſionibus Filiorum Iſrael. Etſi enim Romani Ambroſii Editores, qui primi hunc tractatum vulgarunt, eum inter genuina Ambroſii opera retulerint, Benedictini tamen manifeſta ſuppoſitionis indicia in ipſo hoc tractatu deprehenderunt. Sequuntur hunc tractatum *commentaria in epiſtolas Paulinas*, quæ nec ab Ambroſio, nec ab Hilario Sardo, quæ plurimorum hodie eſt ſententia, ſcripta eſſe probant Benedictini, in eam potius inclinantes ſententiam, quod hic commentarius non tam ab uno autore ſcriptus, quam a quodam compilatore e variis commentariis corraſus fuerit. Quam ſententiam ex eo confirmant, quod in his commentariis magna & dictionum & ſententiarum ſuper eadem materia diverſitas occurrat, & non minus quædam ſequioris ævi indicia, quam antiquitatis veſtigia in iſtis deprehendantur. Non veriti quoque ſunt Benedictini noſtri tractatum *de Trinitate* inter opera Ambroſio perperam adſcripta numerare, cum in prima ſtatim lectione hujus operis illud ingenio & ſtylo Ambroſii deſtitutum deprehenderint, etſi Romanæ editionis Curatores hunc tractatum genuinis Ambroſii ſcriptis adnumeraverint hoc lemmate prænotatum: *in Symbolum Apoſtolorum tractatus*. Iidem Romani Editores inter genuina Ambroſii opera vulgarunt tractatum *de Filii Dei divinitate & conſubſtantialitate*, qui alias inſcribi ſolet *de fide orthodoxa contra Arianos*, & non ſolum inter Ambroſii, ſed etiam inter Gregorii Nazianzeni & Vigilii Tapſenſis opera a Chifletio edita occurrit. At *Hermannus* in vita Ambroſii, & *Queſnelius* in appendice ad opera Leonis M hanc lucubrationem Gregorio Eliberitanæ ſedis in provincia Bætica Epiſcopo adſcribere maluerunt; quorum conjecturis ſi quis adquieſcere nolit, eum Benedictini monent, ut ſaltem tractatum hunc antiquum eſſe agnoſcat, cum ab Auguſtino allegatus fuerit. Sequitur hunc tractatum *libellus de dignitate ſacerdotali*, qui in codice quodam Lemovicenſi Gerberto Philoſopho ſeu Papæ Sylveſtro tribuitur, & inſcribitur: *ſermo de informatione Epiſcoporum*; unde *Mabillonius*, inter Benedictinos illos Pariſienſes e congregatione S. Mauri, quibus novam hanc Ambroſii editionem debemus, celeberrimus, cum hunc Gerberti ſermonem parte 2. Analectorum ſuorum ederet, diverſitate tituli deceptus eum nunquam antea vulgatum exiſtimavit, etſi toties inter Ambroſii opera jam editus fuiſſet. De tractatu *ad Virginem devotam* conjiciunt Benedictini, quod

ejus

ejus Autor aſceticæ vitæ addictus fuerit. Quiſquis autem ille fuerit, ipſorum judicio ab Ambroſiana eloquentia & eruditione procul abfuit. De *ſermonibus Ambroſii* obſervant, neminem ignorare, quod magna pars ſermonum, qui in antiquioribus editionibus Ambroſii nomen præ ſe ferunt, perperam Ambroſio tribuatur, & inter aliorum Patrum opera circumferatur: deinde accuſant Romanæ editionis Autores, quod huic malo non ſolum medicam manum non adhibuerint, ſed etiam multos alios ſermones ab Ambroſii ſtylo & ingenio magis alienos adjecerint. At Benedictini e tot Ambroſii ſermonibus, exceptis pauciſſimis quos cum genuinis Ambroſii operibus ediderunt, nullum deprehenderunt, quem probabili aliqua ſpecie Ambroſio tribui poſſe arbitrarentur. Cum autem in iſta Ambroſianorum ſermonum farragine nonnulli tantum apud Ambroſium, alii alibi etiam & imprimis cum Maximi ſermonibus vulgati fuerint, priores tantum in hac appendice Benedictini exhibere voluerunt, reliquorum, quos omiſerunt, indicem attexuiſſe contenti. Præterea in fronte ſingulorum ſermonum, quibus in hac appendice locum reliquerunt, rationes indicarunt, quarum intuitu ſermones illos Ambroſii titulo indignos cenſuerint. Sermonibus hiſce ſpuriis etiam ſuppoſititias *epiſtolas* adjungunt, quarum prima ſacris virginibus deſtinata, etiam a Baronio & aliis repudiatur. Unde ſe mirari dicunt Benedictini, quid Viris doctiſſimis, qui Acta Sanctorum a Bollando colligi cœpta continuarunt, in mentem venerit, quod hanc epiſtolam ſub Ambroſii nomine iterum ediderint, nec animadverterint, autorem hujus epiſtolæ ignarum fuiſſe rituum atque morum, qui Ambroſii ævo Romæ viguerunt. Huic epiſtolæ junguntur epiſtola de inventione Sanctorum Gervaſii ac Protaſii, epiſtola de inventione Sanctorum Vitalis ac Agricolæ, & epiſtola ad Florianum, quæ in Romana Ambroſii editione primum prodierunt, & pariter Ambroſio minus dignæ ſunt. Et in hac ſpuriarum Ambroſii epiſtolarum claſſe locandam etiam eſſe epiſtolam ad Demetriadem, nemo Eruditorum non agnoſcit. Cum vero epiſtola illa non modo in aliis Ambroſii editionibus, ſed etiam inter Proſperi opera & in Queſneliana Leonis M. editione legatur, Benedictini eam plane omittere, quam hoc volumen inutili pondere gravare maluerunt. Reliqua hujus appendicis ſcripta ſunt *duæ precationes; expoſitio in apocalypſin;* quæ *Berengaudo*

vindicatur; *liber de pœnitentia*, quem *Gillotius* Victori Cartennenſi, Benedictini autem noſtri poſt Sirmondum Victori Tununenſi tribuunt; *libellus de Spiritu S.*; tractatus brevis *de co cordia Matthæi & Lucæ in genealogia Chriſti*; libellus *de dignitate conditionis humanæ*, & *exorciſmus* in codice quodam Vaticano Ambroſio adſcriptus.

Non latuit Benedictinos, plura Ambroſio in aliis editionibus adſcribi opera, quam quæ in nova hac editione ipſi collegerunt. Verum ea conſulto omiſerunt. Omiſerunt *fragmentum de fide reſurrectionis*, quod ex epiſtola Hieronymi ad Pammachium adverſus errores Johannis Hieroſolymitani conflatum eſt; *meditationes*, quæ etiam inter Auguſtini opera, etſi alio ordine leguntur; *breves epiſtolas Philoſophorum*, quæ ab Ambroſio e Græca lingua in Latinam verſæ perhibentur; *duas epiſtolas de monacho energumeno*, quarum prior ex epiſtolis Gregorii M. & poſterior e fine libri de conflictu virtutis & vitiorum deprompta eſt. Omiſerunt libros *de vocatione Gentium*, cum & ab Ambroſio non ſcripti ſint, & in aliorum quoque Patrum operibus legantur; librum *de vitiorum atque virtutum conflictu*, quem Auguſtiniani in appendice tomi 6. ultimæ editionis a ſe procuratæ *Ambroſio Autperto* vindicarunt; *expoſitionem fidei Symboli Nicæni contra Arium & Photinum*, quæ tota ex libro primo Ambroſii de fide conſarcinata eſt; exhortationem *ad pœnitentiam agendam*, quæ fere totidem verbis in ſermone 393. inter Auguſtinianos reperitur; *tractatum de moribus Brachmanorum*, Ambroſii nomine plane indignum; & *ſermonem de purificatione Mariæ*, qui in codicibus quibusdam manuſcriptis Alcuino, ſub cujus nomine hunc ſermonem *Baluzius* tomo primo Miſcellaneorum ſuorum edidit, in aliis vero Ambroſio Autperto tribuitur, quem etiam Petrus Diaconus pulcherrimas in hoc feſtum homilias edidiſſe teſtatur. Non fugiebat Benedictinos noſtros, in Actis Sanctorum d. 13. Kal. Febr. a Bollando ſub Ambroſii nomine edita fuiſſe *Acta S. Sebaſtiani Martyris*, & in nonnullis Hegeſippi editionibus *hiſtoriam* illam *belli Judaici & excidii Hieroſolymitani* Ambroſio tribui. Verum cum omnes criticos emunctæ naris epigraphen Actorum Sebaſtiani nullo negotio fallacem deprehenſuros judicarent, & hiſtoriæ excidii Judaici nihil Ambroſiani ſtyli atque ingenii ineſſe cenſerent, illa quoque ſcripta ab hac Ambroſii editione removerunt. Non ignorabant, in bibliotheca Sancti-gallen-

lenſi duos antiquos tractatus Ambroſio adſcriptos aſſervari, unum *contra hæreticos*, alterum *de laude ſanctorum*. Verum cum priorem nihil aliud eſſe deprehenderent, quam partem libri contra Arianos, qui in bibliotheca Patrum ſub Gregorii Bætici, & iterum ſub Fauſtini nomine legitur, & alterum quoque tractatum nulli minus quam Ambroſio convenire perſpicerent, indignos illos cenſuerunt, qui cum Ambroſii ſcriptis ederentur. Nec meliori ſorte dignas cenſuerunt alias ejusmodi ſcriptiunculas, quas codices quidam manuſcripti in diverſis Italiæ & Galliæ bibliothecis Ambroſio adſignant; cujusmodi ſunt *confesſio fidei*, quam *Jacobus Hommey* in Supplemento Patrum ſub Ambroſii, ſed *Paſchaſius Quesnelius* ſub Fauſtini nomine vulgavit; tractatus de pœnitentia, qui in appendice operum Hieronymi inſcribitur *epiſtola ad quendam qui in ſeculo pœnitebat*, aliaque hujusmodi, quorum titulos recenſere ſuperſedemus, ne præfixos nobis brevitatis limites nimis excedamus: quam ob cauſam etiam ſilentio involvimus, quæ de deperditis Ambroſii ſcriptis verſatisſimi in Patrum hiſtoria Editores retulerunt.

DE REBUS GESTIS BEATI ALOYSII Gonzagæ, e Societate JESU, auctore Annibale Marchetto, ex eadem Societate.

Florentiæ, in officina Jo. Phil. Cecchii, A. 1687. in 8.
1. Alphab. 2½. plag.

EAm poſt ſe reliquit nominis celebritatem Aloyſius Gonzaga, annorum modo trium & viginti, dum moreretur, juvenis, inter Jeſuitas in Collegio Romano ſub finem ſeculi ſuperioris florentes clarisſimus, ut Paulus V. Pontifex paulo poſt illius obitum, rogatu plurimorum Chriſtiani nominis antiſtitum, apotheoſin illi decerni petentium, cauſam hanc cognoſcendam ſuis Purpuratis, qui ſacris ritibus præſunt, reliquerit, & ex eorum ſententia cultum & officia Sanctorum Aloyſio huic in omnibus provinciis Gonzagæ familiæ ſubjectis conceſſerit. Ea deinceps in univerſam Societatem Jeſu toto orbe diſſipatam Gregorius XV. protulit; & brevi eum, accedente imprimis eccleſiaſticæ maturitatis tempore, Sanctorum faſtis adſcriptum iri, ſpem eſſe minus dubiam teſtatur Marchettus noſter, qui vitam ejus delinean-

lineandam in ſe ſuſcepit, veſtigia legens Virgilii Cæparii, qui ſimilem jam olim operam Gonzagæ navavit, quo cum præter monumenta quædam alia, notas etiam conjunxit, quibus eam vitæ Aloyſianæ deſcriptionem manu ſua illuſtraſſe Bellarminum, quasque in Collegio Sociorum Jeſu Raguſino aſſervari iſte perhibet. Quandoquidem autem ſanctitatis præcipue fama multum emicuit hic Juvenis, ideo in eadem ſigillatim exponenda omnem dictionis vim ac orationis ſatis terſæ elegantiam conſumſit Auctor. Poſteaquam enim annum ipſius natalem M.D.LXIIX. conſtituit, majoresque, & inter hos imprimis patrem, Ferdinandum, Caſtilionis in Gallia Ciſalpina Dominum, nominavit, univerſum vitæ ejus curſum tribus libris emetitur, in primo infantiam & pubertatis annos usque ad ingreſſum in Societatem Jeſu; in ſecundo res, dum in eadem viveret, bene laudabiliterque geſtas; in tertio denique mortem, quam A. M.D.XCI. oppetiit, encomiis prolixis celebrans. Et paginam quidem heic utramque faciunt virtutes magno ipſi numero tributæ, infucata videlicet in Deum proximumque caritas, humanarum rerum atque opinionum contemtus generoſus, orandi frequens ſtudium, modeſtia inſignis, cupiditatum ſenſuumque continentia, & caſtitatis miranda penitus perfectio, qua usque adeo beatum eum fuiſſe Auctor memorat, ut ejus corpus nec ullo vel minimo libidinis motu in omni vita concitatum fuerit, nec mentem ulla unquam cogitatio obſcœna invaſerit fœderaveritque; quod tam ingens beneficium ne in ſanctiſſimos quidem eosdemque Chriſtianæ pietatis principes viros, Paulum, Hieronymum, Benedictum, aut alios complures collatum inveniatur. Cum inſuper præclarum ſui Ordinis decus eum reputet, haud pauca de rigore, quo ab ingreſſu in Societatem Jeſu retrahere ipſum diu multumque Pater laboraverit, animum tamen Juvenis nullis ſeu minarum terroribus ſeu blanditiarum delinimentis expugnare valens, commentatur, ac poſt vitam iis, quibus diximus, argumentis plurimum laudatam, aliqua etiam prodigia mortem ipſius inſecuta ſiſtit. Eruditionis de cætero gloriam licet ei minus adimere videatur, pauciora tamen hujus producit teſtimonia, niſi quod inſtitutas ſubinde Diſputationes, & Angelorum, quam vocat, meditationem ab ipſo literis mandatam, ſacrisque ſuis meditationibus a Vincentio Bruno inſertam, memorat.

RE-

RECUEIL D' ARRESTS DU PARLEMENT de Paris, pris des Memoires de feu Mr. Pierre Bardet, ancien Avocat en la Cour. Avec les Notes & les Diſſertations de Mr. Claude Berroyer.

Sive

Sylloge Decretorum Parlamenti Pariſienſis, e Commentariis Petri Bardeti, Advocati Curiæ veterani deſumta. Cum notis & diſſertationibus Claudii Berroyerii, ejusdem Parlamenti Advocati.

Tomus II.

Pariſiis, apud Theod. Girardum, 1690. fol.

Conſtat alph. 7. pl. 18.

EXhibemus jam promiſſi noſtri memores alterum Decretorum Parlamenti Pariſini a Bardeto collectorum tomum, qui res ab anno 1632, usque ad annum 1642, ibi judicatas ordine recenſet, & in novem libros diſpeſcitur. Nihil vero hic præ priori, quem Supplementorum Tomi ſecundi Sectione IV. pag. 193. recenſuimus, præcipuum aut ſingulare, quod annotari interſit, continet: eundem ordinem ſervat, eandem proponendi methodum ſequitur. Reliquum itaque ſolum erit, ut quædam pro conſueto hactenus more ſeligamus decreta, eademque Lectori communicemus, unde tanquam ex ungue leonem, cætera dignoſcere queat.

Lib. I. Cap. 6. Crimen raptus, cui rapta haud reſtitit, etſi poſtea ea conſentiente matrimonium per benedictionem ſacerdotalem fuit initum, non palliatur, nec extinguitur per pacta matrimonii ſubſequentis, quod iterum poteſt annullari. Cap. 8. Privatus non poteſt cogi ad vendendum jus, quod ipſi competit habendi portam in ædibus ſuis, quæ ipſum commodius ad ædes ſacras ducat, ſub prætextu quaſi illa eisdem ædibus incommoditatem creet. Cap. 10. Conductor cui domus locata in majorem locationis ſecuritatem ſpecialiter oppignorata eſt, non poteſt expelli a domino, licet ipſe eam inhabitare velit. Cap. 11. Teſtamentum e regno banniti in perpetuum, nullum eſt; attamen legata ad faciendas exequias relicta confirmata

ſunt. Cap. 16 Matrimonium minoris, ſine conſenſu & auctoritate tutoris vel curatoris & proximorum agnatorum, nullum eſt. Cap. 19. Filia ad probationem legitimorum natalium per nudas præſumtiones faciendam, & genus ſtatumque ſuum aſſerendum admiſſa, non obſtan ibus verbis patris in agone mortis prolatis, & teſtimonio matris viventis, quæ illam haud agnoſcebat. Cap. 29. Hæredes presbyteri non poſſunt repetere res mobiles, ab ipſo, dum viveret, ſuæ concubinæ donatas.

Lib. II. Cap. 9. Donatio reciproca omnium bonorum generaliter a duobus fratribus ſuperſtiti futuro facta, valida eſt, licet non expreſſe acceptata. Cap. 10. Eremita, qui aliquot annis cucullum portavit, tametſi nullum fecerit votum ſequendi certum ordinem religioſum, inhabilis judicatus eſt ad ſuccedendum patri ſuo & matri, ipſique alimenta ſolum decreta ſunt. Cap. 39. Ille, qui munus judiciarium gerit, pro majorenni habetur, nec reſtituitur ex capite minorennitatis. Cap. 57. Legatum legatario ſtudiorum cauſa relictum non eſt conditionale, ſed purum, ſimplex & transmiſſibile ad ejus hæredes.

Lib. III. Cap. 3. Apud Aurelianenſes frater defuncti uterinus excludit materteram, quæ privilegio duplicis vinculi gaudere nequit. Cap. 24. Liberi ex Gallo, qui in Sabaudia uxorem duxit, nati, ratione bonorum in Regno Galliæ ſitorum ſuccedunt, cum illo tamen onere, ut domicilium ibi figant, nec poteſtatem illa alienandi habeant. Cap. 28. Donatio ita concepta, ut ſit irrevocabilis & tamen mortis cauſa, habetur pro mortis cauſa donatione, etiamſi donatrix eam inſinuari curaverit.

Lib. IV. Cap. 11. Teſtamentum illius, qui in duello occiſus, nullum eſt, quamvis tribus annis antea confectum, & confiſcatio tertiæ tantum partis bonorum tum temporis locum habuerit. Cap. 12. Infans menſium quatuor cum dimidio, ex defunctæ matris utero vivus adhuc exciſus, ſed poſtea mortuus pro non nato habetur, ideoque jure ad acquirendam matris hæreditatem, & eam ad patrem transmittendam, quoad mobilia deſtituitur.

Lib. V. Cap. 5. Teſtamentum & codicillus avi, quo nepotem ſuum prodigum exhæredem ſcripſerat, & uſumfructum tantum portionis ſuæ hæreditariæ ipſi legaverat; ſubſtitutione in favorem libero-

rum exhæredati facta, confirmata ſunt. Cap. 11. Conjugium a filiofamilias tum temporis minore viginti quinque annis ſine conſenſu matris contractum, confirmatur per illius jam majoris declarationem, quod perſiſtere in matrimonio velit. Cap. 26. Suſtinetur teſtamentum hominis morbo contagioſo laborantis, licet illud non ſignaverit, & teſtes non præſente teſtatore ſubſignaverint. Cap. 33. Alienatio bonorum Eccleſiaſticorum ſine urgente cauſa & absque ſolennitatibus facta, nulla eſt, nec emtor reſtitutionem pretii petere poteſt. Cap. 34. Venditio & ceſſio juris hæreditarii non eſt obnoxia reſciſſioni ob læſionem ultra dimidium juſti pretii, multo minus poſt lapſum decem annorum.

Lib. VI. Cap. 6. Exhæredatio filiifamilias, qui matrimonium absque parentis conſenſu contraxit, non eſt valida, ſi illud pro nullo declaratum eſt. Cap. 11. In commodum vel damnum debitoris vergit, ſi moneta augeatur vel minuatur. Cap. 15. Promiſſio matrimonii etiam in inſtrumento publico facta, poteſt revocari. Cap. 24. Eremita, licet cucullum, quem durante plurium annorum ſpatio portaverat, depoſuerit, & ſacerdos ſecularis factus ſit, incapax eſt ſuccedendi fratri ſuo. Cap. 29. Matrimonium filiifamilias minoris, absque conſenſu ſui patris & tutoris conſummatum, nullum eſt. Cap. 30. Legatum indefinitum fidei & arbitrio parochi confeſſionarii commisſum, pro nullo judicatum eſt.

Lib. VII. Cap. 8. Educatio & informatio liberorum patris Catholicæ religioni addicti, non debet committi matri, quæ Reformatæ eſt religionis. Cap. 9. Liberi non poſſunt agere contra parentem ad reſarciendum damnum, ex homicidio matris ab illo commiſſo, ipſis illatum. Cap. 19. Non reſtituitur filia contra diviſionem bonorum paternorum & maternorum cum fratribus factam, hæreditate paterna poſtea abſtinere, & dotem 6000. librarum a patre & ſuo & tutorio nomine ipſi conſtitutam ex univerſis bonis paternis petere cupiens. Cap. 20. Cognatio ſpiritualis matrimonium haud reddit nullum. Cap. 21. Tutor non admittitur ad ceſſionem bonorum, pro reſiduo ex adminiſtratione debito. Cap. 31. Actio de ſuppoſito partu non competit collateralibus, marito adhuc vivente. Cap. 36. Præſcriptio bonorum eccleſiaſticorum alienatorum non habet locum, quando ex ipſo alienationis titulo nullitas apparet.

Lib. VIII. Cap. 15. Stipulatio pœnalis in caſum non conſummati matrimonii valida eſt inter majores. Cap. 21. Hoſpes de furto in domo a ſuis domeſticis commiſſo reſpondere haud tenetur, ſi res ablata ipſius cuſtodiæ non fuit concredita. Cap. 23. Si locator ædium earumque dominus renunciavit beneficio L. 3. C. Loc. & poſtea vendidit domum cum onere continuandi locationem, conductor a novo domino expelli nequit. Cap. 32. Matre, quæ tutrix filiæ ſuæ minoris exiſtit, illam matrimonio alicui jungere volente, & avo paterno contradicente, conventus cognatorum paternorum & maternorum decretus eſt. Cap. 43. Conjugium fœminæ ſexaginta novem annorum a collateralibus impugnatum, confirmatum eſt.

Lib. IX. Cap. 12. In conventu cognatorum, vi decreti ad dicendam de conjugio minoris puellæ ſententiam facto, majore eorum parte illi contradicente, nihilominus ejus conſummatio ex voto matris tutricis & filiæ permiſſa eſt. Cap. 26. Teſtamentum aviæ factum in favorem nepotum (ex conjugio ſuæ filiæ cum raptore ad mortem in contumaciam condemnato prognatorum) cum onere, ne pater ipſorum uſumfructum percipere valeat, ſuſtinetur contra illum & aliam teſtatricis filiam. Cap. 32. Pater, qui filio ſuo impuberi donationem propter nuptias cum certa puella ineundas fecit, dehinc voluntatem mutans & filio diſſenſum ſuum contra illud conjugium declarans, non poteſt amplius impugnare illius conſummationem, quaſi in præjudicium ſuæ declarationis fiat, nec revocare donationem.

Continuatio Excerptorum ex Commentariis Mathematico-phyſicis Pariſienſibus, usque ad 31. Maji 1692.

DOminus *Merry* in diſſectione teſtudinis marinæ *triplicem* notavit *ventriculum cordis*, quorum tertius in medio baſis cordis ſitus eſt, magisque prominet quam reliqui. Dexter a ſiniſtro ſejunctus eſt ſepto carnoſo & ſpongioſo, in cujus medio foramen eſt ovale, ſimile illi, quod in fœtu humano inter venam cavam & pulmonalem reperitur. Clauditur quidem duabus valvulis, quarum una dextrum ventriculum, ſiniſtrum altera reſpicit: neutra tamen communicationem inter ventriculos illos intercipit. Ex dextro quoque ventriculo

lo in medium per aliud foramen, cujus diameter eſt 4 linearum, via patet. Recipit etiam venam cavam, ex eoque naſcitur aorta & arteria, quæ vicem gerit canalis, qui inter aortam deſcendentem & arteriam pulmonalem in fœtu reperitur; in teſtudine vero hæc arteria communicationis non unitur cum aorta, niſi demum in ventre. Ventriculus medius nullam recipit venam, & ſolum dat originem arteriæ pulmonali: contra vero ventriculus ſiniſter recipit venam pulmonalem, nullam tamen arteriam emittit. Ita ventriculus ſiniſter cordis nullam habet arteriam, quæ poſſit efferre ſanguinem, quem recipit a vena pulmonali; adeoque neceſſe eſt, ut ſanguis, qui a vena illa in ventriculum ſiniſtrum effuſus eſt, tranſeat per foramen ovale in ventriculum dextrum, non obſtantibus valvulis, quæ illud obturare videntur. Quapropter credibile quoque eſt, *in fœtu, non partem ſanguinis*, ut vulgo putant, *qui cor ingreditur per venam cavam, per foramen ovale exonerari in venam pulmonalem, & hinc ſtatim abſque eo, ut dextrum petat ventriculum, ingredi ſiniſtrum*; ſed contra potius, partem ſanguinis, qui ad ventriculum ſiniſtrum per venam pulmonalem allabitur, per foramen ovale pervenire ad venam cavam, non obſtante valvula, qua ejus oſtium munitur, ut inde pergat in ventriculum dextrum cordis, nec ingrediatur ventriculum ſiniſtrum. Quandoquidem enim foramen ovale teſtudinis non differt ab illo quod eſt in fœtu, niſi ſitu, & in utroque directe reſpondet venæ pulmonali, vero videtur ſimillimum, illud eundem habere uſum tam in fœtu quam in teſtudine.

Dominus *de la Hire*, d. 19. Martii 1692. hora matutina $6\frac{1}{4}$ paulo poſt ortum Solis, accurate obſervavit parelium. Obſcura erat tempeſtas, & in aere multæ hærebant atræ nubes faſciarum inſtar diſpoſitæ, & commixtæ cum nubibus aliis clarioribus & levioribus, vel potius vaporibus transparentibus ſuper illis craſſioribus nubibus ſitis, ea in parte ubi Sol erat cum parelio, ita ut ſatis diſtincte Sol conſpiceretur trans illos vapores, cum denſiorum nubium aperturas ſubibat. Imago Solis ſeu parelius verſus ſeptentrionem erat Solis reſpectu ſitus, propiorque paulum Horizonti quam ipſe Sol, ejusdemque fere cum aſtro illo magnitudinis. Cum Dn. *de la Hire* primum oculos ad illum adverteret, ejus lumen erat maxime vividum, & pars Solem reſpiciens valde rubicunda. Cum autem validum illud lumen ſenſim extingueretur, in parte a Sole maxime remo-

ta in cœruleum abibat colorem, rubicundo ſemper durante, usque dum ſpatium, quod parelius occupaverat, referret ſimilitudinem particulæ iridis per nubes viſæ ſectæque faſciis quibusdam obſcuris, quæque majorem longitudinem quam latitudinem haberet. Forſan eo tempore nihil reſtabat niſi iris, quæ ordinarie, dum hæc phænomena comparent, Solem ambit, & ſuper qua parelius conſpici ſolet. Non deprehendebatur tamen quidquam de illa, neque ſuper Solem, neque infra illum, neque etiam in latere Soli adverſo. Centrum parelii diſſitum erat a Solis centro 21½ grad. circiter, & hæc diſtantia eadem ſemper manebat, quamdiu durabat parelius, atque ita motus ejus motum Solis æquabat. Non conſtat, quamdiu duraverit parelius, usque dum a Dn. de la Hire primum conſpectus fuit; verum ab eo tempore, quo extingui cœperat ejus magnum lumen, usque ad totalem iridis diſparitionem, interceſſerunt 20. minuta. Diameter iridis, in qua ordinarie parelius adparere ſolet, eſt circiter 43. grad. atque adeo dimidia interioris ex duabus iridibus, quæ adparent in guttis pluviæ: colores tamen in ea diſpoſiti ſunt, ut in exteriori. Quum ergo in phænomeno, quod Romæ anno 1629. viſum fuit, duæ comparerent irides, & parelii eſſent in exteriori, neceſſe eſt ut colores utriusque eodem fuerint ordine poſiti, reſpectu centri communis ſeu Solis, ac in iridibus ordinariis. In eodem phænomeno Romano ſupra Solem erat ejus imago, in hoc vero Pariſienſi infra eundem.

Notandum quoque eſt, quod in iridibus, quæ circa corpora luminoſa adparent, quando lumen eorum per vaporem tranſit, v. g. quando candelæ flamma adſpicitur per vitrum halitu oris obductum, color rubicundus iridis quæ flammam cingit, extrorſum, cœruleus introrſum eſt ſitus: ſed in iride, quæ loco parelii remanet, colores diſpoſiti ſunt ordine contrario, rubicundus introrſum, extrorſum cœruleus. Dominus de la Hire quoque obſervavit, ſemidiametrum unius illorum circulorum alborum, qui quandoque circa Lunam adparent, fuiſſe 23. gr. 20. min. nec non halonum, aut circulorum circa Solem, ſemidiametros fuiſſe 22. gr. 45. min. Unde credibile fit, irides in quibus adparent parelii, eodem formari modo, quo circuli illi albi & halones: nec tamen ullum ex his phænomenis gigni inſtar iridum ordinariarum in guttis pluviæ. Si enim bullula ſphærica aqua repleta ita exponatur Soli, ut faciat cum Sole angulum æqualem illi, quem

quem circuli iſti efficiunt, nullus ibi color animadvertitur. Quandoque ſemidiameter illorum circulorum non eſt niſi 21. grad. id quod oriri poteſt ex natura corporis, quod illos efformat, & ex raritate aut denſitate aëris.

Dominus *Varignon* novam *conjecturam* propoſuit *de duritie corporum*. Supponit autem, quamvis quies nullam vim habeat reſiſtendi motui, nihilominus vim aliquam ad motum producendum requiri; atque hinc concludit, difficultatem quam ſentimus in corpore aliquo frangendo ejusque dimovendo partes, provenire poſſe ex difficultate tantum producendi motus, quantum ad id requiritur. Cum enim plena ſint omnia, neceſſe eſt, ſi corporis alicujus partes ſeparentur, ut in earum locum aliæ ſuccedant, prompteque ſe accommodent ad omnes, quæ fiunt, aperturas; id quod fieri non poſſet, niſi ſejungerentur & illæ novæ partes ab his, quas contingunt, ſimulque alias ſibi ſucceſſuras in motum undique concitarent, donec tandem apertura inter partes ſeparandas ſit proportionata magnitudini corporum, quibus circumdatur. Evidens ergo eſt, ut dividatur aliquod corpus, plura alia quoque eſſe dividenda, dandosque ipſorum partibus motus tam promtos & ſubitos, ut illico poſſint irruere in aperturas, quas occupare debeat. Id quod tanto majorem vim requirit, quanto plura eodem ſunt dividenda tempore, & quo magis concitati motus illis ſunt conciliandi. Proinde quia durities corporum non conſiſtit niſi in eo, quod ſuperari debet findendo, frangendo, & rumpendo illa, hinc neceſſario efficitur, illam forte non conſiſtere, niſi in difficultate faciendi una opera tot diviſiones, h. e. in difficultate abripiendi ſubito tantum materiæ in motum, eumque tam rapidum. Unde adparet, corpus eo durius eſſe, quo plures eodem tempore ad illud rumpendum diviſiones ſunt faciendæ inter partes aliorum corporum, quæ illud ambiunt. Et cum nûmerus diviſionum eo major foret, quo minores in partes corpora illa eſſent frangenda, & alias quoque partes illæ eo minores eſſent reddendæ, quo anguſtiores eſſent corporum illorum pori, manifeſte hinc ſequitur, corpora minus poroſa magis eſſe dura, & eo duriora, quo pori ſunt anguſtiores. Ita corpora, quorum pori eſſent indefinite parvi, ita dura forent, ut indefinite quoque magna potentia ad illa dividenda requireretur, ſi omnia plena ſupponantur. Contra duriſſimum quodcunque corpus in vacuo valde molle videretur, quoniam in vacuo ſolum illud

illud eſſet dividendum, cum in pleno mille quoque alia eodem tempore ſint dividenda.

Dominus *Caſſinus*[1], quod ipſi nunquam antea licuerat, anno 1691, nocte quæ inter 19. & 20. Junii intercedit, *exactam conjunctionem quarti Satellitis Saturni cum ſtella quadam fixa* obſervavit, per tubum 34. ped. Tales obſervationes ad longitudines locorum determinandas facere poſſent, ſi tempora conjunctionum nota eſſent; id quod exactam minutiorum viſibilium ſtellarum requirit deſcriptionem, in qua efficienda Caſſinus jam elaborare cœpit. Conducunt etiam tales obſervationes ad dimetiendas diametros Planetarum apparentes, tanquam media maxime ſecura; uti Caſſinus oſtendit exemplo Saturni, cujus diametrum obſervationis tempore 45. ſecundorum fuiſſe concludit.

Dominus *Marchant grana quædam* rotunda invenit *in* duabus *quercubus* glandibus deſtitutis *extraordinarie producta*, cum, ut ipſe ſuſpicatur, radix juſto major reſpectu ramorum nutriendorum, plus attraxiſſet, quam requirebatur, ſucci nutritii. Succus enim in teneros ſublatus ramulos, in eisque cum impetu motus, cum contineri non poſſet a ligni fibris, extra vaſa erupit, ſeque cum nonnullis ſuccis magis præparatis aptisque ad nutriendas alias potius partes arboris, quam folia, commiſcuit, & ex hac craſi ſuccorum calore Solis condenſatorum grana illa fuerunt enata, in quibus nullum ovulorum, muſcarum aut vermium ullorum veſtigium adparebat.

Dominus *Homberg* communicavit cum curioſis *modum præparandi Phoſphorum urentem Kunckelianum*, qui ſequitur: Capiatur urinæ recentis quantum lubet, evaporetur igne leni, ne bulliens ex vaſe effluat, donec reſtet materia nigra fere ſicca. Reponatur hæc materia in cella per tres quatuorve menſes, ut putreſcat, & poſtea duæ ejus libræ cum duplo arenæ aut boli probe commiſceantur, & retortæ non terreæ ſed lapideæ (cornue de grez) eique lutatæ immittantur, cui deinde vas recipiens vitreum capaciſſimum longoque inſtructum collo, in quod duo circiter canthari aquæ communis infuſi, aptetur, & igni libero exponatur. Principio lenis admodum ſit ignis ſpatio duarum horarum, ne materia nigra in ſpumam converſa exundet, ſed augeatur poſtea, ut fiat intenſiſſimus, isque alatur per tres ſequen-

ſequentes horas, ita tamen ut recipiens tegatur linteis aqua frigida madidis. Circa finem trium illarum horarum tranſibit in recipiens initio parum phlegmatis, deinde parum ſalis volatilis, poſtea multum olei nigri & fœtentis, & tandem materia phoſphori ſpecie nubium albarum, quæ lateri recipientis inſtar flavæ pelliculæ adhæreſcent, vel etiam fundum petent recipientis, inſtar arenularum minutarum. Non autem niſi poſtquam ignis ſua ſponte extinctus fuit, tollendum recipiens, ne forte igneſcat phoſphorus, ſi admittatur ad illum aër, dum adhuc calet recipiens. Ut vero grana illa parva in unam redigantur maſſam, proplasmati tereti ex laminis ferreis parato induntur, idque, poſtquam aquæ parum eidem affuſum, igni adponitur, ut inſtar ceræ liqueſcant. Tunc aqua frigida additur, tamdiu, donec materia phoſphori concreſcat in cylindrum durum inſtar ceræ flavæ, qui poſtmodum in fruſtula comminuitur, ut indi poſſint ampullæ aqua repletæ, quæ ſolicite eſt obturanda. Quod ſi phoſphori 10 granis, dum cum ebullitione diſſolvi incipiunt, ab olei ſpicæ drachm. 2, in phiala longiuſcula, ita ut duæ tertiæ partes ejus maneant vacuæ, ſuper candelæ flamma paululum incaleſcentia, affundatur drachma dimidia Mercurii, & fortiter ſuccutiatur phiala ſpatio 2 aut 3 minut. phoſphorus cum Mercurio amalgamatur, & ſi amalgama transferatur in locum obſcurum, totus ille igneus apparet.

Dominus *Caſſini* poſt Solis obitum verſus occidentem A. 1692 d. 21 Martii obſervavit *lumen perpendiculariter elevatum ſuper horizontem*, lanceæque formam habens. Altitudo ejus erat 14. grad. latitudo duorum. Color flavus clarusque erat, ſed ſenſim fiebat obſcurior, tandemque ad igneum accedebat. Lumen hoc diſtinguebatur nubibus quibusdam longis & horizonti parallelis, videbaturque directe a Sole venire, cujus motum etiam ſequebatur; id quod facile adparebat comparanti illud cum objectis in horizonte ſitis. Phænomenon hoc rariſſimum eſt: annus quippe quadrageſimus agitur, ex quo Dominus Caſſini cœlum ſervat, neque illi tamen niſi unicum adhuc ipſi ſimile viſum fuit, quod adparuit d. 21. Maji A. 1672. poſt Solis occaſum circa 8 horam veſpertinam. Ejusdem erat figuræ eodemque in ſitu ad horizontem perpendiculari. Directe a Sole veniebat, ejusque motum ſequebatur. Altitudo ejus circiter 15 erat graduum. Sex horas durabat & 22 minut. & cum tranſiiſſet punctum occaſus Solis ſolſtitia-

lis æſtivi, diſparebat. Anno 1677 tempore eclipſis lunaris, Dominus Caſſinus vidit radios crucis efformantes ſpeciem, cujus brachia horizonti exacte parallela erant, pars vero transverſa brachiis duobus perpendicularis. Hoc phænomenon forſan non differt a duobus jam commemoratis; fortasſis enim in duabus ultimis obſervationibus ſolum radii perpendiculares viſi ſunt, quia Sol erat ſub horizonte.

AUTEURS DEGUISEZ &c.

i. e.

Scriptores latentes ſub nominibus alienis &c.

Pariſiis apud A. Dezallier, 1690. in 12.

Alph. 1. plag. 4.

PArte *tertia* (duas enim priores Sectione Tomi II. Supplem. præcedente, pag. 178. & ſeqq. jam recenſuimus) Operis hujus Clariſſ. Bailletus varios recenſet modos, quibus in nominibus ſuis permutandis ſcriptores uſi ſint. Adſcita autem nomina ſubinde locorum, & cum familiarum nominibus commutata fuiſſe *cap. I.* docet. Placuiſſe igitur quibusdam in agnominationem recipere (1) natale ſolum, & pro Sacco *Platinam*, pro Carlerio *Gerſonem*, pro Bruno *Aretinum*, pro Maffæo *Volaterranum*, pro Richerio *Rhodiginum*, pro Basſo *Politianum*, pro Maria Comite *Majoragium*, pro Heidenbergio *Tritbemium*, pro Bildio *Rhenanum*, pro Dunte *Scotum*, pro Whiteo *Anglum*, pro Bodenſteinio *Caroloſtadium*, pro Birago *Caſtilionaum*, pro Ruſſeleto *Campanum*, pro Revaldo *Remum*, pro Perſona *Robervallium*, *Aponenſem* item, *Occamum*, *Clemangem*, *Bielem*, *Cuſanum*, *Calepinum*, *Nebriſſenſem*, *Sleidanum*, *Marſum*, *Minturnum*, *Muretum*, dici. Nec abhorrere ab hac ratione Arabes annotat p. 221. qui a natione eorum, quos indigitant, nomina petunt, v. g. *Alcasvini*, *Alfarabii*, *Alfragani*. Multos hac ratione ſcriptores ſub nominibus *Germani*, *Galli*, *Franci*, *Celtæ*, *Belgæ*, *Pariſii*, *Pannonii*, *Rhæti*, *Britanni*, *Hiberni* deliteſcere, p. 223. (2) Locum habitationis, ſicut olim Theodorus Rhodius etiam dictus fuit *Gadaræus*; Apollonius Rhodius cognominatus eſt *Ægyptius*, *Alexandrinus*, *Naucraticus*; Dionyſius Alexandrinus *Thrax* & *Rhodius*; Clemens Alexandrinus *Athenienſis*, p. 225. Apud mediæ ætatis autores id valde uſitatum fuiſſe ait, & exempla

exempla Antonii *Patavini*, Vincentii *Bellovacenſis*, Antonii *Ulyſſiponenſis*, Vincentii *Burgundi* p. 228. affert. (3) Locum feudi aut dynaſtiæ, Inde autem apud exteros, quoad Gallorum præſertim nomina, facile naſci errores, ut pro diverſis hominibus habeant *Pleſſæum* & *Mornæum*, *Meziriacum* & *Bachetum*, *Bordeſium* & *Mercerum*, *Boiurobertum* & *Metellum*, *Chambreum* & *Curæum*, *Cangium* & *Fresnæum*, *Campigobertum Sabaudumque* & fratres *Pithœos*, *Chantoiſeum* & *Sammarthanum*, *Eſſartium* & *Herbemjum*, *Feſſeum* & *Rob. Stephanum*, *Beſſeum* & *Frenicelum*, *Sauſſejum* & *Stellam*, *Popelinierum* & *Voyſinum*, *Sanctamantium* & *Triſtanum*, *Sorlinum* & *Mareſium*, *Gombervillum* & *Regem*, *Andillium* & *Arnaldum*, *Depreauſium* & *Boileum*, *Hotmannum* & *Villerium*, *Stephanum* & *Grierium*, &c. p. 229. 230. (4) Beneficia eccleſiaſtica: ex quibus omnium facillime ea detegi poſſunt, quæ ad Epiſcopatuum dignitatem accedunt; abbatiæ enim & prioratus aut canonicatus non adeo noti ſunt apud exteros. Sic Conradum Lichtenavium ſub *Abbatis Urſpergenſis* nomine ferri annotat, & Simonem celebrem hodiernum criticum ſub *Prioris Bollevillei* elogio occultari, p. 233. Multis autem non conſtare Puteanum ſimul *Dn. d'Evreux* & *Dn. Maupas du Tour*, Godaldum *Dn. de Graſſe* & *Dn. de Vence*, Petrum Marcam *Dn. de Couſerans* & *Dn. de Toloſa*, Philippum des Portes *Dn. de Thiron*, Abbatem Marollum *de Villeloin*, Hedelinum *Abbatem d'Aubignac*, Abbatem Morgenſem *de S. Germano*, Caramuelem *Dn. Melroſeum*, Hugonem Folietam *Dn. de S. Laurentio* dici p. 232. Alius modus, quo ſcriptores utuntur in nominibus permutandis traditur *cap. II.* dum nempe alterius nomen mutuantur, absque ulla ejus injuria, imo pecunia interdum ſoluta aut pretio ei dato, qui iſtud commodat. Cujus rei rationes habent varias, hanc tamen potiſſimam, ut periculum evitent, quod timendum ſit ipſis, ſi nomen profiteantur verum. Ita eos, qui cauſas agunt & litigant, ſub nominibus advocatorum ſuorum Acta (*les Factums*) evulgare; & qui ad aliam religionem nonnullos converterunt, ſub converſorum nomine ſecedendi cauſas exponere ait p. 236. Hac cautione uſum affirmat Nicolaum Harpsfeldium, dum captivus in Anglia ſub *Alani Copi* exulis nomine librum publici juris fieri curavit p. 237. Quatenus id liceat, & quibus conditionibus haud improbetur p. 239. docet, & quosdam Mathematicos ſub *Ariſtarchi Samii*, *Apollonii*

Galli, Eratoſthenis Batavi nominibus libros emiſiſſe ait p. 240. eum autem qui ſub *Jo. Charlierii* nomine Joannis Gerſonis moralia edidit, Richardum item Simonem, qui *Joannis Reuchlini* nomen ſibi ſumſit, non usque adeo probat p. 241. Aliud genus ſuppoſititiorum auctorum p. 242 profert, eorum nempe qui vel ab aliis ſcripta emunt, ut ſuum nomen præponant, ſimiles iis qui liberos emunt, nec moleſtia eorum procreandorum defungi cupiunt; (quemadmodum de Ferrante Imperato narrant, argento obtinuiſſe a Nic. Antonio Stelliola, ut ſuum nomen Hiſtoriæ naturali ab ipſo conſcriptæ præfigeret p.243.) vel alteri, ut nomen ſuum præſcribi patiatur, pecuniam erogant; quemadmodum Cardinalem Richelium a Joanne Capellano argento præſtito obtinuiſſe narrat p.245. ut Dramati, quod ipſe Cardinalis compoſuerat, ejus nomen præmitteret. Nec minus memoratu dignum eſt eam in rem exemplum Ablancurtii, qui cum monaſterio egreſſum Patrem du Boſc pecunia juvare illico non poſſet, ipſi verſionem ſermonum Patris Narni conceſſit, ut eam veluti a ſe concinnatam bibliopolæ venderet, indeque non minus lucri quam gloriæ captaret. *Cap.III.* alii modi nomen alterius mutuandi recenſentur: (1) quando pater filii nomen uſurpat; quod Marchionem de Trocifal feciſſe p. 248. ait, qui filii Antonii Suareſii de Alarcon nomen Relationibus ſuis genealogicis A.1656 Madriti in fol. editis præfixit. Complures etiam patres in filiorum gratiam nomen ſuum in libris editis reticuiſſe, ut iſtorum laudibus faverent, Jacobi Gilini, Andreæ Argoli, & Paſchalis exemplis oſtendit, plura in ſuo *de Juvenibus litterarum ſtudiis claris* comm. reperiri indicans p.249. (2) quum fratres nomina invicem commutant; quod Chriſtoph. Beſoldum, Valentinum de la Hera, Jo. Gondinum, Jo. Ant. Xarquum, Fr. Freyrium, Balt. Gratianum, Mirabelium, Martinengium, Pancirolum, Biſciolam feciſſe indicat p.250. ſeq. ſimulque fraudes duorum Jeſuitarum notat, quorum alter ſe *Conradum Andreæ*, alter *Andream Scioppium* nominarit, p. 254. (3) quum conjuges nomina ſua permutant, & virgines eruditione eleganti celebres, ubi ad nuptias tranſeunt, maritorum nomina adſumunt; aut mariti uxorum nomina arripiunt, ſicuti Colleterus poemata ſub *Claudinæ* conjugis nomine evulgavit, æque ac Polla Argentaria olim multos verſus fecit, quos Pharſaliæ inſeruit Lucanus p. 257. (4) quando heri miniſtrorum ſuorum nomina mutuantur, exemplo Adriani Imp. qui liberti ſui

ſui *Phlegontis*, & Pii ſecundi Pontificis qui *Jo. Gobelini*, (non confundendi cum Gobelino Perſona,) Rob. Bellarmini qui *Matthæi Torti*, Arnaldi Pontaci qui *Guilielmi du Puy*, Jacobi Cujacii qui famuli *Ant. Mercatoris*, nomina ſibi ceperunt. Eadem ratione primus qui Ephemerides litteratorum in Gallia conſcribere inſtituit *Hedovilleus*, famulus creditur fuiſſe Domini de Sallo; & *Petrus Besſinus*, quem pro autore Indicis nominum propriorum in Thuani hiſtoria occurrentium ad Latinæ linguę habitum efformatorum habent ferme omnes, domeſticus fuit Thuani junioris; quamvis verum autorem iſtius Indicis vulgo dicant fuiſſe unum ex fratribus Puteanis, p. 259. De famulis, qui dominis ſuis ſcripta clam ſurripiunt & pro ſuis evulgant, (quod *Cn. Flavium* ſcribam Appii Claudii, & *Petrum Belonum* famulum Petri Ægidii feciſſe annotat) dicendi locum hic non eſſe putat, cum plagiariis ii accenſendi ſint, p. 260. E quorum tamen numero excipiendos monet eos, qui Principibus ab epiſtolis litteras eorum nomine ſcriptas ſub ſuis in publicum mittunt, quod haud indecore fecit *Casſiodorus* Theodorici, *Petrus de Vineis* Friderici II, *Petrus Damianus* Alexandri III. *Pet. Bembus* Leonis X. *Jo. Boterus* Caroli Borromæi epiſtolographi p. 261. (5) quando magiſtri cum diſcipulis nomen permutant, quod feciſſe Gisb. Voetius & ſub nomine *Martini Schokii* librum edidiſſe ſibi adverſum arguitur a Carteſio, Buſæus item *Godofredi Drielii Neomagi*, Aug. Vasquez *Ludovici Salvatierra*, Hortenſius Scamacca *Martini Farinei*, Darius Tamburellus *Octavii Farneſii*, Honoratus Faber *Petri Mounerii*, Caſpar Sanctius aut Balth. Cespedius *Laurentii Ramireſii*, præ cæteris autem Carolus Sigonius diſcipulorum ſuorum *Jo. Crasſini, Jac. Maimoldi Galerati, Jo. Samoſcii, Hier. Ragazonii, Bern. Lauretani* nomini, libris ſub eo editis ſtuduiſſe cenſentur p. 263. ſeq. Non abſimilia magiſtris præſtitiſſe ſtudia diſcipuli leguntur, ut *Epicteti enchiridion* quod fertur, ab Arriano creditur ſcriptum, & *Vatabli* diſcipulos omnia ſub ipſius, Melanchthonem chronicon ſub *Jo. Carionis* nomine propalaſſe p 266. *Cap. IV*. Patronymica terminatio novum modum ſuggerit, ad morem veterum efformata a recentioribus. Nempe ut iſti *Alcides*, *Tydides*, *Æacides* dici ſe maluerunt; ita hi majorum ſuorum nomina ſuis adglutinare non dubitarunt. Apud Arabes, Hiſpanos etiam & Judæos uſitatisſimum hoc eſſe p. 269. obſervat. Nobis nota ſunt *Stephanidis*, *Simonidis*,

 Johan-

Johannidis, Andreadis, Nicolaidis, Antonidis, Adrianidis, cognomina. Quibus accenſendi *Henricus Adriani, Adrianus Adriani, Jacobus Antonii, Guillelmus Bernardi, Martinus Conſtantini, Joannes Cornelii, Gerardus Eligii, Gerardus Gerardi, Petrus Gerardi, Joannes Guillelmi, Everardus Nicolai, Petrus Godefridi, Nicolaus Everardi, Latinus Latinii, Mutius Mutii, Galileus Galilei, Oddus Oddi, Speronus Speroni, Alexius Alexii, Vivianus Viviani, Baldus Baldi, Vinciolus Vincioli*, &c. p.274. Peculiarem rationem ſecutus Paulus Meliſſus, poeta celebris, cui matris *Otiliæ Meliſſæ* nomen præ paterno *Balthaſaris Schedii* placuit, p.273. *Cap. V.* annotatur, in proprii nominis locum ſubſtitui appellativum dignitatis, muneris, conditionis, patriæ, habitationis, aut aliunde attractum; v.g. *Advocatus, Religioſus, Abbas, Canonicus, Nobilis Francus, Eques Polonus, Fidelis Subditus, Aſceta, Academicus, Amicus, Philomathus*, &c. p.279. *Cap. VI.* nomen interdum a ſocietate peti ab his qui in ea vivunt, traditur: collegio v. g. monaſterio, facultate, ordine &c. qualia complura ſcripta enumerantur ſub nominibus *Collegiorum* Anglicani, Bruxellenſis, Colonienſis, Auguſtani, Conſtantienſis, Molsheimēſis, Croſenſis, Monachienſis, Eichſtetenſis, Dilingani, Paderbornenſis, Pragenſis, Romani, Rhedonenſis, Salmanticenſis, Conimbricenſis, Braidenſis, Ingolſtadienſis, Cracovienſis, Complutenſis, (quorum autores nominantur p. 283. 284.) *Theologorum* Pariſienſium, Lovanienſium, Duacenſium, Heidelbergenſium, Wurtembergicorum, Haſſo-Darmſtadienſium, Tranſilvanorum, Batavorum, p. 285. 286. *Ordinum* Religioſorum S. Benedicti, Congregationis S. Mauri: *Scholarum* Salernitanæ: *Academiarum* Furfurariæ, Francicæ &c. edita. Alius isque ſextus modus mutandorum nominum *cap. VII.* ex teſſeris militaribus petitur, dum litteris dediti eos imitantur qui caſtra ſequuntur, indeque nomina *la Chevre, la Lueur, la Riviere, la Fontaine, la Tour, la Tourelle, la Montagne, la Vallée, la Fleur, la Verdure, la Foreſt, Tyburce, Thraſybule, Holoferne, Nicanor, Paſſavant*, &c. profecta exiſtimat p.293. Religioſos & eccleſiaſticos nonnullos, dum amatorios libros & jocoſos verſus ſcribebant, hujusmodi nominibus ſacrum ſuum ordinem velaſſe, exemplo Aproſii, Tellezii & Hieronymi Savonenſis monſtrat p. 296. Septimus modus *cap. VIII.* is eſſe dicitur, quando ridicula agnomina imponuntur aliis: quo refertur exemplum Caſauboni, qui Scioppium,

aliquan-

aliquando *Scorpii* aliquando *Scoppii*, Salmaſii qui Cyprianum Regnerum *Copriani*, Petavium *Cercopetavii*; Scaligeri qui Temporarium Bleſenſem *Stercorarii*; Alciati qui Franciſcum Floridum Sabinum *Rancisci Olidi* ſimilibusve aliis nominibus ſalutarunt minus gratis. Ex tranſpoſitione etiam litterarum nata ſubinde annotat nova nomina, ingrata iis quibus fuerunt impoſita, ſicut Scaliger per anagrammatiſmum *Sacrilege*, Calvinus autem modo *Lucianus* modo *Lucanius* dictus Balduino & Hotomanno. Petrus Scriverius a Meurſio *Rupex Signatorius*, Hugo Grotius a Voſſio *Celſus*, Oecolampadius ab Eraſmo *Polyphemus Boruſſus*, Nicolaus Perottus *Fidentinus*, Angelus Sabinus *Brotéus* a Dom. Calderino, Mareſius a Grotio *Borborita* vocati, p. 300. ſq. Ab argumento quod tractarunt, nomina ſibi multos ſumſiſſe docet *cap. IX.* veluti Jeſuita P. Aſchendorff de antiqua Eccleſiæ Romanæ fide ſcribens *Romanus Altglaub* dici voluit; multi etiam vera ſe ſcribere indicaturi, *Alethophili*, *Philalethæ*, *Amandi Veri*, *Lucii Veri* nomina ſibi ſumſerunt; Borrichius apertam nudamque veritatem ſe tradere profeſſus *Blotteſandæi* appellatione, quaſi *Nudiverii*, gaviſus eſt. p. 309. Pacem ſuadentes *Irenæi Ebuli* ut Herm. Conringius, *Eraſmi Irenici* ut Iſ. Wolmar, *Deſiderii Pacii* ut Gul. Saldenus, *Pacati Latini* ut Dom. Baudius, *Pacidii* ut Jac. Gothofredus, *Pacifici* ut Chr. Herdeſianus, *Fridbergeri* ut Andr. Oldenburgerus, *Pacimontani* ut Georg. Caſſander, *Pacifici Abrincenſis* ut Des Deſerts, nomina uſurparunt. p. 310. Qui articulum de gratia & prædeſtinatione explicuerunt, dixerunt ſe ſubinde *Charitopolitanos* ut P. Courtot, *Thomam Auguſtinum* ut P. Bagot, nempe ut perſuaderet lectoribus, libro ſuo Auguſtini doctrinam contineri. *Flori de ſancta fide* nomen P. Gerberon accepit, principiis ſuis de Gratia fidem Catholicam quam maxime efflorescere ſignificaturus. Sinnighius Pauli armis adverſus hoſtes doctrinæ de Gratia ceu erinaceus ſe munitum exiſtimans, *Pauli Erynachi* nomen libro ſuo præſcripſit p. 311. Ita porro quum de morte veri Chriſtiani ſcriberet Jac. Caniſius, *Chriſtianus Thanatophraſtus*; cum de paſſione Chriſti Hier. Perea commentaretur, *Gerardus de Cruce*; cum conceptionem immaculatam B. Virginis P. Alva tueretur, *Petrus a Conceptione*; de libertate Evangelica ſcribens Beatus Rhenanus *Licentius Evangelus*; opiniones Romæ cum ſententiis Gallorum conciliaturus

Fr.

Fr. Maimbourgius *Franciſcus Romanus* dici maluerunt. p. 312. Magis eſt memorabile exemplum Hieronymi Gratiani de Matre Dei, qui cum gratiæ ſui Regis, qua exciderat, redderetur, ſub *Anaſtaſii*, quaſi reſurgentis, titulo librum evulgavit; Abbas autem S. Germani Mariæ Mediceæ adverſos caſus deſcripturus, nomen ſibi impoſuit *Benoni*; idemque pro eadem Regina adverſus Cardinalem Richelium ſcribens, *Catonis Chriſtiani* nomen ſuum fecit p. 313. Inter eos ſcriptores, qui Jurisprudentiæ aut hiſtoriæ civili ſtudium dederunt, reperire licet Melch. Voets de hiſtoria Juliaci & Montium ſcribentem ſub nomine *Julii de Monte*: Vincentium Placcium ſub *Nomici* & *Analyticophili* cognominibus ſcripta ad jurisprudentiam analytice tradendam pertinentia publici juris facientem. Hubertus Languetus adverſus Monarchiam inſurgens *Junii Bruti* nomina elegit, quod hi duo Regibus & Cæſaribus imperium affectantibus adverſati in antiqua hiſtoria leguntur; quam ob cauſam etiam conſcientiis libertatem aſſerturi Sociniani nonnulli *Bruti* nomine ſe appellari voluerunt p. 314. Neque aliarum ſcientiarum doctores hujusmodi pſeudonymiam abhorruerunt. Ac Abbas de Villars nomen *Comitis de Gabalis* colloquia de ſcientiis ſecretis edens, quaſi ex Cabaliſtica arte, aſcivit; Jeſuita Schonslederus de muſica commentans, nomen ſibi *Volupii Decori Muſagetæ* dedit p. 314. P. Fabri de Peruviano pulvere tractatum edens *Conygii*, quaſi ſalubris pulveris, appellationem adamavit. Petrus Scholirius de arte coquinaria ſcribens *Magirum*, Porcheres Laugier amatorias litteras evulgans *Erandrum*, Franc. Colonna narrationem de virgine Politenſi *Poliphilum*, Poeta quidam Petr. Placentinus porcorum pugnam deſcribens *Publium Porcium*, ſe dixerunt, p. 315. Hunc ferme in modum Beierus *Epitimus*, Feramus *Cenſor Carpitanus*, P. Annat *Severinus*, Th. Beza *Nathanael Nezeckius*, Jonas Schlichtingius *Jo. Simplicius*, Socinus *Deſiderius Peregrinus*, Balduinus Junius *Conſtantinus Peregrinus*, Zach. Liſieſius *Petrus Firmianus* dici, quam propriis ſuis veris nominibus librorum, quos emiſerunt, titulis inſcribi maluerunt p. 316. *Cap. X.* quatuor traduntur occultandorum nominum modi, nonus nimirum, qui in Dialogis locum invenit, quando verum auctoris nomen colloquentium perſonis admiſcetur & præcipuæ inter eas imponitur; decimus quando titulus libri in auctoris nomen degenerat, ſicut *Euphormio* dictus Barclajus,

Theuer-

Theuerdank Maximilianus Imp. *Amadiſius* ſcriptor libelli amatorii, quem ſub hoc titulo evulgavit, *Paſtor* vel ποιμὴν Hermas, *Climacus* Johannes quidam de ſcala ſancta ſcribens, *Stromateus* Clemens Alexandrinus, *Ixion* Demetrius Adramytenus, *Meliſſa* Antonius monachus, *Archithrenius* Jo. Hantwilleus, *Ligurinus* Guntherus, *Policraticus* Jo. Saresberienſis, *Florilegus* Matthæus Weſtmonaſterienſis, *Lapidarius* Marbodæus, *Apiarius* Th. Cantipratanus, *Speculator* Durandus, *Conciliator* Petrus Albanus, *Micrologus* Johannes quidam incognitus p. 321. 322. Ubi ſimul monet Auctor, vix auctoritate Academiæ Francicæ prohibitum fuiſſe, ne Stephanus Byzantinus, qui περὶ πόλεων reliquit opus, ex errore tantum non ubivis recepto *Stephanus de Urbibus*, (*Eſtienne des Villes*,) appellaretur. Undecimus modus per antiphraſin procedere dicitur, ſeu antitheſin; quo referendi libri, qui nominibus auctorum celatis, τὸ *Anti* præfixum gerunt, & ſub hoc nomine vulgo feruntur, v. g: *Antimachiavellus*, *Antichoppinus*, *Anticotonus*, *Antitheophilus*, *Antigaraſſus* &c. de quibus egregia Diſſertatione eruditum orbem ſibi devinxit Auctor, memorata a nobis in Actis A. 1690, menſe Aprili, p. 202. ſqq. His accenſendos etiam eos obſervat, qui cum libros libris opponunt, nomina ſimul nominibus oppoſita induunt, v. g. *Nicodemus Macer ſenior* contra *Nicolaum Craſſum juniorem*, *Anaſtaſius a Valle quietis* contra *Conſtantium a Monte laboris*, *Bernhardus Stubrockius* contra *Wilhelmum Wendrockium*, *Vincentius Severinus* contra *Vincentium Lenem*, p. 324. Duodecimus Synonyma adhibet, ſive ex eadem lingua, ſive ex aliis petita. Ita Nobilis Veneta Modeſta Pozzo *Moderata Fonte*, Nicolaus Villanus *Vincenzo Foreze*, Pater Binetus *Renatus* quaſi bis natus, Melanchthon *Melangæus*, Petrus Scriverius *Rupex Signatorius*, Fabricius *Ferrarius*, Gregorius Hungarus *Pannonius*, Fauſtus Socinus modo *Proſper*, modo *Felix*, dicti p. 326. Decimam tertiam rationem mutandi nominis, quæ capitibus XI. XII. XIII. & XIV. exponitur, ſynonymiam potius, ſeu converſionem in aliam linguam, quam mutationem dicendam, ait. De ea autem latius tractandum exiſtimavit, quod vulgaris ea hodie & inter eruditos paſſim recepta ſit, qui modo in Ebraicam, modo in Græcam, modo in Latinam, vel ex his in vernaculas linguas nomina transformare ſatagunt, quorum plura exempla p. 328. ſeqq. affert: Germanis tamen & Batavis morem iſtum præ cæteris receptum eſſe p. 332. aſſerit, qui e veteribus

exemplo Malchi qui *Porphyrius*, & Morganii qui *Pelagius* (Britannica enim lingua *Morgan* pelagum denotat) dici voluit, ſe tueatur, p. 333. Hac ratione Franc. Junius *Nadab Agmon*, Antonius de la Roche Chandieu modo *Sadeel*, modo *Zamariel*, David Blondellus *Amandus*, Jacobus Stein *Lucîatius*, Johannes Brentius *Huldreich*, Marin le Roy *Thalaſſius Baſilides*, Voſſius *Alopecius* & *Baſſarius*, Bonacci *Agathius*, Stern *Aſterius*, Bontemps *Agathochronius*, Viretus *Chlorus*, Schilſemus *Ciſſeus*, Feller *Dermaſius*, Gottlieb Dachtler *Theophilus Ellychnius*, Capito *Cephalus*, Boom *Dendrinus*, Martinus *Aretius*, Victor Roſſius *Nicius Erythraus*, Schmidius *Hephaeſtion*, Guidius ſive Furerus *Hegemonius*, Schwarzius *Melas*, Chambrunius *Melanchthon*, Montaigu *Oxyorus*, Tillet *Philyra*, Feuillans *Phyllarguus*, Muſculus *Myon*, Monnerus & Luneburgicus *Selenus*, p. 330. Frommius *Acakia*, Vander Maude *Ammonius*, Engelhart *Angelocrator*, Becker *Artopæus*, Froſchius *Batrachus*, Reuchlinus *Capnion*, Töpfer vel Haffner *Chytraus*, Schwan *Cycnaus*, Enzina *Dryander*, Erizzo *Echinus*, Guthals *Eustachelus*, Foullon *Gnaphaus*, Hoffmann item Salzmann *Haloander*, Wagnerus *Hamaxurgus*, Starckius *Iſchyrius*, Weismann *Leucander & Albinus*, Steenhauer *Lithocomus*, Stenhaus *Lithodomus*, Wolfhart *Lycoſthenes*, Felix *Macarius*, Langbein *Macropedius*, p. 331. Schwarzmann *Melander*, Schiffmann *Nauclerus*, Kirchmayer *Naogeorgius*, Victoria *Nicander*, Hausſchein *Oecolampadius*, Schneidewein *Oenotomus*, Herbſt *Oporinus*, Oudewater *Paleonydrus*, Garguth *Panagathus*, Storch *Pelargus*, Taube *Periſterus*, Wackefeld *Polypus*, Thormann *Pylander*, Eiſenmenger *Siderocrates*, Bock *Tragus*, Holzmann *Xylander*, p. 332. Blondellus *Flavianus*, Gerardus *Vulturius*, la Motte *Tubero*, Socinus *Turpio*, le Vayer *Ocella*. Schottus *Tenebrio*, Kuhlmann *Refrigeratorius*, Bucerus *Felinus*, Weiſſe & Witte *Candidus*, p. 336. dicti. Friſchlinum tamen adduci ſe non paſſum, ut *Hygiani* vel *Vegetii* nomine ſuum gentilitium commutaret, p. 335. annotat. Obſervat Obertum de Orto Jureconſultum Mediolanenſem male *du Gardin*, & Garſiam de Orta Medicum Luſitanum *du Jardin*, quaſi ab hortis nomen tuliſſent, appellatos p. 338. Valerium Maximum & Valerianum Magnum Capucinum inepte *Valere le Grand*, & Andream Eudæmonem Jeſuitam Cretenſem male *André l' Heureux* vocari, Turrianum & Tor-

Torrenſem *de la Tour* dici, p. 330. & in genere notat eos, qui auctorum nomina propria pro lubitu in Gallicam linguam convertunt, usque adeo infeliciter, ut prorſus dignoſci nequeat quis ille ſit, de quo mentio ſit, p. 338. unde contingat haud raro, ex uno duos fingi auctores: quod iis quoque non poteſt non accidere, qui in linguam Latinam, nimio & ſuperſtitioſo accurationis ſtudio, nomina omnia detorquent; quemadmodum ex Raimundo de Pennaforti, ſeu de Penna fuerte *Rocbrfort*, ex Torquemada ſeu Turrecremata Cardinale *de la Tour brulée*, ex Card. Richelio *de Riccoluogo* vel *de Ricolugar* vel *Ricolorius*, ex Th. Campanella *Clochette* p. 340. 341. fecerunt. Improbat etiam ſcriptorem qui *Davidium* Mons. l'Abbé David, & Lupum *de Loup* ſalutavit p. 342, Turrianum item modo *de la Torre*, modo *de la Tour* citavit p. 343. Eos item qui Capegiſtum Nigrum Juriſconſultum Italum *Kopwiſch Schwarzium*, & Melanchthonem Italo more *Terraneram* vocarunt p. 344. Longe aliud ſentiendum de iis, qui ipſi nomina ſua permutant, ac de his, qui aliorum nomina in alias linguas transferunt, cap. XII. docet, & iniquitatis eos arguit, qui ea in aliud idioma transfuſa deformant, dum hiſtorias contexunt p. 347, quod Thuanum in opere ſuo hiſtorico & Paulum Æmilium feciſſe conſtat. Ad ea, quæ pro defendenda iſtac ratione afferri poſſunt, dum veterum Scriptorum exempla allegantur, qui Perſarum, Syrorum & Ægyptiorum nomina in ſuam linguam traduxerunt, qua hiſtorias ſcripſerunt, reſpondet p. 349, & quanta ex ejusmodi nominum converſione oriatur confuſio, etiam in genealogiis nobilium, doctorumque virorum notitia, oſtendit. Proinde etiam terminationem nominum propriorum caute immutandam eſſe, quum ex ea quoque incertus reddatur lector, monet cap. XIII. ubi prolixe nominum terminationes ex una ad alterius linguæ genium accommodatas percenſet, Thuanumque huic immutationi nimis deditum paſſim notat. Turbari quoque nominum rationem inde obſervat cap. XIV, ſi articuli, quibus in vernaculis linguis nomina inſigniuntur, in Latinitate indutis nominibus abjiciantur, quod ſubinde Thuanum feciſſe notat, adducitque p. 407. 408. Carteſium querentem, quod apud Latinos hoc nomine veniat, omiſſo prorſus nominis gentilitio articulo *Des Cartes*. Suadet igitur, ſi quis adeo ſuperſtitioſus ſit, ut Latine ſcribens non poſſe ſe terminationem Latinam non addere arbitretur,

articulum ne omittere velit, ſed lineola eum nomini annectere, e. g. Du-Cloſius, La-Bardæus, Des-Carteſius, Du-Cangius, id quod pluribus exemplis inculcat. Cap. XV. modus decimus quartus mutandi nominis affertur in medium, ubi nimirum ſolum prænomen, in baptiſmate collatum, illæſo cognomine, mutatur aut vicem illius occupat. Iſtius exemplum præbet Prætorius antea *Godeſchalcus* dictus, poſtea *Abdiæ* nomen ſibi ſumens p. 421. Beaulieu dictus *Euſtorgius Hectorem* ſe vocavit, Acoſta *Gabriel* dictus *Vrielem* ſe nuncupavit Judæus factus p. 422. Hujus exemplum præſtat Theologus Gallus Feydeau prenomen ſuum *F. Matthieu* loco cognominis uſurpans p. 425. Decimus quintus modus cap. XVI. cenſetur iis potiſſimum accommodatus, qui pluribus gaudent cognominibus, e quibus modo hoc utantur, modo iſto: unde tamen crebri enaſcuntur errores, ut idem ſcriptor habeatur pro diverſis, prout modo a patria, modo a beneficio eccleſiaſtico, modo a dynaſtia, interdum a munere & dignitate qua gaudet, aliquando etiam a corporis qualitate, nomen ſibi ſumit. Hac ratione variis inſigniuntur nominibus, qui tamen iidem ſunt, *Rob. Cenault Cenalis, Robertus Arboricenſis: Gul. Alvernus* vel *Arvernus, Gul. Pariſienſis, Divus:* p. 427. *Richard Fitzraph, Radulphus, Armachanus: Henr. Brabantinus, Gul. Morbacenſis & Thomas Cantipratanus: Hieronymus Caſtellionaus* & *Cardanus: Hieronymus Ferrarienſis* & *Savonarola:* p. 428. *Alph. Madrigal, D' avila, Abulenſis, Toſtatus: Panormitanus, Siculus, Nic. Tudeſchi: Jacobus Januenſis, Genuenſis,* & *de Voragine: Jo. Fiſcher* & *Roffenſis: Franciſcus Verulamius* & *Cancellarius Baconius: Durandus, Eques de Villegagnon:* p. 429. *Callas, Peirescius, Nic. Claud. Fabricius, Faber: Petrus Diaconus, Caſſinenſis, Oſtienſis, Bibliothecarius: Paulus Diaconus* & *Warnefridus* p. 430. *Theodoſius Macrobius* & *Theodoſius Grammaticus* p. 431. *Amœnus* & *Prudentius, Æmilianus* & *Palladius Æmilianus Columella* p. 432. *Caſſiodorus* & *Senator: Quintilianus* & *Fabius:* p. 433. *Suetonius* & *Tranquillus: Severinus* & *Boethius: Theophraſtus, Philippus Aureolus, Bombaſtius* p. 434. Capite XVII. tres iterum proferuntur nominum occultandorum rationes ſeu modi: decimus ſextus per anagrammata, quorum beneficio Crellius *Cirellus*, Fabrius *Farbius*, De Cailly *D' Aceilly*, De Marinis *D' Arminis* p. 437. Andre Rey de Artieda *Artemidorus*, Ferdinandus

de

de Santander *Petrus Pentareus Sideratus*, Joannes Ramos del Mancano *Romanus Sfortia Cuſanus*, Franceſco Maria de Luco Sereni *Ceſare Leone Fruſcadino*, Gio Franceſco Loredano *Gneo Falcidio Donalero*, Bidermannus *Bernardinus*, P. Fisher *Perſeus*, Salmaſius *Meſſalinus*, Gerberon *Rigberius* p. 438. dici maluerunt. Eadem ratione *Guſtavi* cum Auguſti, Julii cum *Livii*, Calvini cum *Luciani* & *Alcuini*, Poullaini cum *Pavilloni*, Macri Juriſconſulti cum *Volcmari Kirſtenii* nominibus nomina permutantur p. 438. *Petrus Suavis Polanus* pro Paulus Sarpius Venetus p. 440. Dari præterea oſtendit anagrammata nominum retrograda, quorum ſonus barbarum quidpiam refert, v. g. *Letſac* pro Caſtel, *Nobel* pro le Bon, *Torvobat* pro Tabourot, *Itenev Ihanom Itnegluf* pro Fulgentii Monachi Veneti, p. 440. Dari etiam obſervat anagrammata malitioſa, ut quando Italus P. Aproſius contra Equitem Stiglianum calamum ſtringens, nomen ſibi ſumſit *Maſoto Galiſtoni da Terama*, quo anagrammatice continetur adverſarii ſui nomen *Tomaſo Stigliano da Matera*, p. 441. alii item ſub *Clari Bonarſcii* nomine adverſus *Carolum Scribanium* ſtilum acuerunt, p. 442. quod nomen tamen non ab aliis tributum, ſed ab ipſo Scribanio ſumptum, & *Amphitheatro honoris* præfixum novimus. Decimus ſeptimus modus recenſetur per acroſticha, quibus uſum fuiſſe Epicharmum obſervat Diog. Laertius, in libris conſcribendis: Plautus etiam fabularum argumentis titulos earum hac ratione præfixit p. 442. Eodemque modo Philoſtorgius, Nicephorus Calliſtus, Imp. Baſilius, Publilius Optatianus Porphyrius uſi dicuntur p. 443. Lazarum Baifium, Petr. Gringorium, Thomam Sibiletum, Joh. Orchium, Laurent. Calvetum, Franc. Columnam & Joh. de Fordun ſimiliter ſe occultaſſe p. 444. ſeq. annotat. Decimum octavum modum ſymbolis abſolvi, & nomen proprium in alia verba per literarum trajectionem formari, quæ ſententiam pariant, ait, Socinianosque præ aliis eo modo uti obſervat: Moſcorovium, Gittichium, Przypcovium, Piſecium, Stegmannum, qui ſub his lateant: *Veri promus cuſtos*; *A JEſu jugi clementia cinctus*; *Sapis purius cum zelo*; *Pacis es oſtium*; *Magnus amicus honeſti* p. 447. Nec alii abhorruerunt ab hac ratione; Eſpagnetus, *Penes nos unda Tagi*, & *ſpes mea eſt in Agno*; Petrus Vallius *Vray prelude* & *Le vray perdu*; Porcheres *Cher repos*; Petr. Daems *Spes me durat*;

Mich. Sendivogius *Divi Leſchi genus amo*; Johan. Hemelarius *Omnium e aliis barens*; Car. Utenhovius οὐθὲν ὁ βίος, Andr. Orthelius ἀνδρὸς ὀρθὸς ἥλιος, alii aliis ſymbolis uſi nomen ſuum celarunt, ejusmodi ſententiam iſtius loco poſuiſſe contenti p. 448. ſq. Cap. XVIII. nominis occultandi profertur modus decimus nonus, quum nempe ſolæ nominis initiales literæ appinguntur, quod apud veteres uſitatum fuiſſe in appellativis etiam nominibus, eorum libri docent, quibus iſta explicantur, Valerii Probi, Mangoni, P. Diaconi, Sert. Vrſati p. 451. In propriis autem vel prænomina, vel cognomina, vel utraque, hac ratione deſignari obſervat, variaque exempla adfert p. 452. ſeq. Judæos, & inter hos Rabbinos, hunc modum præ cæteris amare annotat, apud quos nihil ſit vulgarius, quam ex aliquot vocabulorum initialibus literis integrum fingere nomen, v. g. *Radak*, quod notet Rabbi David Kimchi; *Ralbag*, R. Levi Ben Gerſon; *Rambam*, Rabbi Moſe Ben Maimon; *Ramach*, Rabbi Moſe Cohen &c. p. 459. 460. Eosdem finales etiam literas ita adhibere e Buxtorffii libro de Abbreviaturis Hebr. tradit p. 461. quos imitatus ſit Gulielmus Cambdenus, ſeu William Cambden, qui per M. N. nomen ſuum denotaverit, p. 462. Apud omnes fere Europæ gentes literam N huic uſui inſervire, quando auctores nomen exprimere nolunt, obſervat p. 462. Cap. XIX. duos adhuc nominis celandi modos explicat: vigeſimum, quando extenduntur ſyllabæ, v. g. *Velasquez* loco Vasquez, *Simonville* loco Simon p. 464; vigeſimum primum, quando eædem abbreviantur vel diminuuntur, v. g. *Demas* pro Demetrius, *Menas* pro Menelaus, *Amphu* pro Amphiaraus, *Artemon* pro Artemidorus, *Alexas* pro Alexander, *Theudas* pro Theodorus, &c. Utriusque modi lepidum exemplum adferri a Martiale Lib. VI. ep. 17. annotat. Ultimo capite XX. de corruptione nominum, ex qua complures chimærici auctores ſint exorti, agit; cauſamque depravationis diminutioni ſeu contractioni, aut etiam e lingua altera in alteram trajectioni imputat p. 475. alias corruptionis hujus occaſiones p. 476. ſeqq. profert.

Parte *quarta* Auctor incommoda oſtendit, quæ ex immutatione nominum in eccleſiam & rempublicam literariam redundant. Religioni periculum imminuiſſe cap. I. tradit, quando Socini ἀνωνύ-

μως editus *de auctoritate Scripturæ ſacræ* liber, ceu a Jeſuita Dominico Lopez ſcriptus, fuit creditus receptusque a pluribus iſtius ordinis Theologis p. 488. ſub nomine *Hippophili Melangæi* & *Filippo di Terra nera* editi Melanchthonis, ſub nomine *Gaſparis Caballini de Cingulo* Molinæi, & ſub *Aretii Felini* nomine Martini Buceri ſcripta, p. 490. In familiis pſeudo-principes & pſeudo-nobiles confingi, dum falſa nomina intruduntur, veris exturbatis, cap. II. docet. In re literaria autem plurimam confuſionem naſci, & librorum auctores vel ignorari, vel confundi cap. III. pluribus exemplis docet, Bezam quinquies, Macedonem undecies, Scioppium vicies, larvatos prodiiſſe in publicum, diverſis usque nominibus inſignitos, p. 502. obſervat. Seldenum etiam deceptum fuiſſe, & *Nic. Fabricium Peireſcium* pro Nic. Fabro Ludovici XIII. informatore (quem & ipſum *Fabricii* nomine indigitat Baronius) habuiſſe, p. 505. Proſperum Mandoſium ſimili errore *Eugenium Philadelphum Romanum* Romanis ſcriptoribus in Bibliotheca accenſuiſſe, qui tamen revera ſit P. Annatus in Gallia natus & mortuus, p. 509. Tandem cap. IV & ultimo incommoda enarrat, quæ ad ipſos ſcriptores profecta ſubinde fuerunt ex nominum immutatione; exemplo Bellarmini, quem omnes adverſariorum injurias ſufferre oportuit, quousque *Torti & Schulkenii* tegmine latuit, p. 511. eorum item, qui Paulo II. Pontifici ob nomina mutata ſuſpecti viſi, velut novarum rerum turbarumque auctores, tormentis excruciati fuerunt, quos inter Pomponius Lætus, Platina, Ph. Callimachus Experiens p. 512. Privari præterea mutatione iſtac doctos eo honore, quem e publico applauſu capere poterant, obſervat p. 513. quinimo mortuos aliquando ſuperſtitibus damna intuliſſe ea transformatione nominum, annotat p. 514. ubi exemplum affert *Petri Læti*, cujus vidua quum cauſam ageret adverſus hæredes Comitis de Laval, vix perſuadere ac non niſi productis Scævolæ Sammarthani Elogiis apud judices obtinere potuerit, verum mariti ſui nomen eſſe *Pierre Joyeux*. Tum & accidere nonnunquam, ut quum ſub Anonymi larva adverſarius credat latere alium, in eum, quem ipſe putat, omnem animi effundat bilem: quemadmodum Calvini indignationem paſſus fuerit Franc. Balduinus, quem ſub nomine *Veranii Modeſti Pacimontani* occultari credebat, quum is tamen eſſet Georgius Caſſander p. 515. Et Theophilus Raynaudus a Barone

Jacobi-

Jacobino habitus pro eo, qui nomen ſibi ſumſerat *Amadei Guimenii*, quum tamen Hiſpanus Matth. de Moya is eſſet, p. 516. Carceres etiam inde ſenſiſſe quosdam, falſo crediti qui ſunt auctores anonymorum ſcriptorum, exemplo *Exegeſeos articuli de ſacra Cœna* demonſtrat p. 516. *Joach. Curai* nomen quæ præfert, ab Urſino Vratislavienſi ſcripta: cujus auctorem cum Caſp. Peucerum credidiſſet Auguſtus El. Sax. & editorem librarium Vogelinum, ambo carcere Dreſdæ mulctati fuerint. Sic quum Alex. Morus librum Petri Molinæi, cui titulus: *Clamor Regii ſanguinis*, Hagæ Comitum absque auctoris nomine curaſſet imprimi, ac nomen ſuum Dedicationi ad Carolum II. ſubſcripſiſſet; maximis injuriis a Miltono & reliquis Cromwellianis fuiſſe petitum p. 517. Trajano autem Boccalino vita conſtitiſſe, quod pro autore *Lapidis Lydii* (quem a Cardinale tamen Cajetano, vel pluribus, ſcriptum exiſtimant alii) habitus fuerit, p. 518. narrat.

Hæc potiſſima ſunt egregiæ Diſſertationis Ballietianæ capita; cui ſubjungitur inſignis *Pſeudonymorum detectorum index*, velut ſpecimen aut pars prima eorum Collectionis: quam vaſtam & copioſam eſſe, ex hac ſectione intelligimus, cujus nos participes reddidit; ſed ne diutius publico invidere velit, doctiſſimum Auctorem omnium, qui elegantiores Muſas earumque delicias amant, nomine obteſtamur. Sed & rogandus merito eſt vir celeberrimus, *Vincentius Placcius*, ut quæ & is de ſcriptoribus Anonymis & Pſeudonymis prælo parata habere dicitur, publico propediem impertiat.

MARTINI LISTERI HISTORIA Conchyliorum.

Londini, ſumptibus Authoris, 1685. ſqq. in fol.
Conſtat tabulis æneis plus quam 460. Proſtat Lipſiæ apud Jo. Th. Fritſch.

HOminem ideo effectum eſſe, ut Divini operis rerumque creatarum contemplator exiſteret, & dum admiraretur creaturam, ejus auctorem agnoſceret, Hermetis in Pimandro effatum fuit. Etenim ex contemplatione tali non omnipotentia & ſapientia ſolum Creatoris, ſed & maxime providentia evidentiſſime oculis mortalium exponitur: ut proinde hominis officio rite fungi cenſeri debeant, qui rerum

Fig. 1.



Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

V.



rerum naturalium quarumcunque accuratiori cognitioni ſtudium tempusque impendunt. Inter eos merito celebratur vir clariſſimus, *Martinus Liſterus*, cujus eximiam plane in hoc genere induſtriam, tum alia ejus opera, quibus dudum Orbis Eruditus fruitur, tum illud cumprimis, quod nunc Lectori Benevolo ſiſtimus, abunde comprobant. In eo nimirum doctiſſimus Auctor univerſam Conchyliorum nitidiſſimis figuris delineatorum hiſtoriam complexus ita eſt, ut libro primo, qui A. 1685 prodiit, Cochleas terreſtres; ſecundo A. 1686 edito, Teſtacea fluviatilia; tertio, qui A. 1687 publicatus eſt, Bivalvia marina, una cum Conchitis, ſeu lapidibus concharum marinarum formam exprimentibus; & quarto denique, qui A. 1688 lucem adſpexit, Buccina marina, inque Appendice A. 1692 demum adjuncta, lapides buccinatorum imaginem referentes, exhibeat: inſertis etiam *Harderi* cochlearum, & *Williſii* oſtrearum tabulis anatomicis. Et ea quidem quatuor velut ſumma Conchyliorum genera in tot tamque diverſas ſpecies diſtinxit Liſterus, ut ſingulas hoc loco recenſere prolixum nimis foret, & a noſtro inſtituto alienum. Potius itaque, ut elegantiſſimi operis ſpecimen, ſimulque paſtum qualemcunque oculorum Lectori præberemus, placuit ex eo mutuari atque huc transferre tabulam, in qua fig. 1. Buccinum ventricoſum ampullaceum, fig. 2. pars uteri ejus, & fig. 3. uterus integer exhibentur. TAB. IV.

GEORGII VVOLFFGANG VVEDELII,
Med. Doct. Conſiliarii & Archiatri Saxonici &c.

Exercitationum Philologico-Medicarum

Decas Tertia, 1687.

Decas Quarta, 1689.

Decas Quinta, 1691.

Jenæ apud Jo. Bielken in 4. plag. 21.

PRæmiſſa de intemperie ſtudiorum præfatione utiliſſima, laborem ſuum proſecuturus celeberrimus Vir, totam de latere Chriſti aperto hiſtoriam *Decadis tertiæ* Exercitatione *prima* exhibet, ſtatuitque in medio fere thorace inter quintam & ſextam coſtam ſiniſtri lateris introactam fuiſſe lanceam, vulnusque ad ipſos cordis thalamos penetraſſe, indeque ſanguinem & aquam effluxiſſe ſolide demonſtrat; de-

hinc ipſius miraculi vim extollit & altius perpendit. Neque minorem poſtea in corporis Chriſti ſudore cruento explicando collocat operam *ſecunda* Exercitatione. *Tertia* morbos ſenum Salomonæos conſiderat. *Quarta* hypericum myſtice exponit, ejusque vires accurate & perſpicue perluſtat. *Quinta* amellum Virgilii nec caltham paluſtrem, nec meliſſophyllum, nec chelidonium, nec primulam veris, nec chamæmilum, nec aſterem Atticum, ſed potius melilotum flore luteo fuiſſe demonſtrat. *Sexta* autem quæ habetur Exercitatione de fortuna Medici diſſerit, aſſeritque non eum fortunatum Medicum dicendum eſſe, qui omnes ægros ſuos evadere, neminem mori jactitat; nec, qui temerariis auſibus, feliciter tamen quandoq; ægros ad ſanitatem perducit, Andabatarum more pugnans, (quatenus ex enormi purgatione, ex qua alias vix centeſimus tutus evadit, hydropicus ſanatus quandoque legitur); nec eum, qui in declinatione morbi accedit: ſed qui artis eſt peritus, poſtmodum recte procedit, cæterum pius, prudens, moratus, & uno verbo, gratioſus eſt, & ab omnibus habetur. *Exercitatione ſeptima* uſum cucumerum rite præparatorum & cum aceto potiſſimum, non cum muria vulgari, conditorum innoxium, quin & non raro ſalutarem oſtendit. *Octava* de potu calido & frigido ejusque uſu lectorem informat, concluditque ea, quæ calide ſumta vires & gratiam immutant, frigida potius aſſumenda eſſe, (cum nemo facile acidulas calefactas aut thermas refrigerium paſſas ſine nauſea hauriat;) ea quoque quæ ventriculo magis conducunt & gratiora ſunt calida vel frigida, non temere eſſe invertenda. Ulterius vero temporis, ætatis, conſuetudinis, morbi, aliarumque circumſtantiarum rationem in potus vel calidi, vel frigidi applicatione, ineundam eſſe adhortatur. *Nona* fundamenta empiricorum, & *Decima* ſtatum acris auſtrinum docte indagat & erudito diſcurſu exornat.

Decadis IV. Exercitatio *prima* Lectori unguentum nardinum, cujus mentio Matth. 26. v. 6. 7. Marc. 14. v. 3. Joh. 12. v. 5. fit, enucleat. *Secunda* morbum Hiobi, quem ulcus graviſſimum cum inflammatione conjunctum fuiſſe probat celeberrimus Autor, tradit. *Tertia*, quid ſub pane quotidiano, in ſolenni illa precandi formula nobis Chriſtianis uſitata comprehendatur, declarat. *Quarta* quadrageſimam medicam, diem criticum ultimum, ſive terminum ultimum morbo-

morborum acutorum dicendum eſſe oſtendit. *Quinta* morbi craſſi Hippocratis naturam, cauſam, ſubjectum delineat, & non niſi colicam ſcorbuticam a craſſitie tartarea, acido, ſalſo, amaro bilis & pituitæ concurſu ortam, ipſumque genus nervoſum afficientem eſſe, probat. *Sexta* vocem tetragoni Hippocratis illuſtrat, eaque nihil aliud quam helleborum album ſubinnui docet. *Septima* Hippocratis artem demonſtrandi Medico utilem explanat. *Octava* morbum inſputatum Plauti, inſputatione curatum dilucidat, oſtenditque epilepſiam ſubintelligendam eſſe, quæ cum morbus archealis ſit, eatenus inſputatione perſanetur, quatenus in conflictu ſuccumbens archeus inſputatione exſuſcitetur, pudore ſuffundatur, ſuffuſusque ſecum habitare diſcat, contra morbum inſurgat, eumque devincat. In hujus inſputationis locum ſucceſſiſſe perfuſionem capitis cum aqua multa frigida vel ſalſa, cujus meminit Celſus l. 3. c. 23. Autor magnificus ſuſpicatur. Exercitatio *nona* anil Arabum ipſiſſimum glaſtum eſſe, non ſecus ac illorum alkekengi ſolanum veſicarium nobis audiat, & ex ea planta recta præparatione indigo provenire monſtrat. *Decima* denique de herbis Germanis, quas Ovidius in canitie corrigenda, & colore meliori quærendo, fœminas olim adhibuiſſe dicit libro de arte amandi, Autoris meditationes exhibet, in eaque claſſe rubiam tinctorum, ſerratulam, carthamum, maxime autem iſatidem ſive glaſtum, ex cujus præterea cineribus Germanos ſal paraſſe pro exaltandis coloribus ſuſpicatur, reponit.

Decadis quintæ Exercitatio *prima* epiſpaſmum Judæorum explanat. *Secunda* paralyſin torquentem, qua ſervus centurionis Matth. 8. v. 6. diſcruciebatur, ſpaſmadicam ſeu convulſivam paralyſin fuiſſe probat. *Tertia* ſinapios granum, de quo Matth. 17. v. 20. ſermo eſt, deſcribit. *Quarta* ſal inſulſum, ſeu quod ſaporem ob quem ſal audit exuit, ejusque naturam tradit. *Quinta* nectar & ambroſiam Deorum pabulum examinat, & ſub iis vinum atque mel deliteſcere comprobat. *Sexta* balſamationem in genere ejusque varios modos eruit. *Septima* in Chriſti balſamationem inquirit. *Octava* animalitatem hominis ſiſtit. *Nona* de Naturæ miniſtro Medico agit, exponitque & vim Naturæ, & Medici in ea adjuvanda officium modumque. *Ultima* autem Naturam Medicam morborum perſpicue & erudite tradit & explicat. Præmittit autem celeberri-

mus Auctor Decadi huic epiſtolam, quam ad perilluſtrem Dn. Maurocordatum dederat, & accuratius, ex ejus reſponſione annexa, quid Maslach Turcos prælium inituros animans, quid Ruſma Turcarum fœminas in balneis depilans, remedii quid Alcohol & Raſtich Turcarum ſit, non tantum ipſe cognoſcit, ſed &, quæ Viri hujus eſt integritas & ab omni invidia remotus candidiſſimus animus, toti orbi literario ea Turcarum arcana communicat, & tot luculentiſſimis teſtimoniis, quanto aliis inſerviendi ſtudio flagret, comprobat atque tuetur.

SAMUELIS STRYKII JCTI SPECImen Uſus Moderni Pandectarum, ad V. libros priores in Academia Francofurtana publicis diſputationibus exhibitum.

Francof. & Wittebergæ, apud Jerem. Schrey & Henr. Joh. Mayerum, 1690, in 4to. Conſtat 2. alphab. & 20. plag.

SPecimen hoc, quod opus ſolidum ac tanto JCto digniſſimum promittit, non aliam ob cauſam aliquanto ſerius exhibemus, quam quod pulcherrima ſpes nos foverit hactenus, partem novam forte non multo poſt acceſſuram, quæ huic prodromo commode magis committi poſſet. Voti vero iſtius cum nos compotes reddere cohibeant concatenati Viri ſummi labores, quos hoc potiſſimum tempore in vicina Academia, Halæ Saxonum a POTENTISS. ELECTORE BRANDEBURGICO regali cum magnificentia non ita pridem dedicata, egregio cum ſucceſſu impendit; idcirco penſum iſtud adhuc ſeorſim offerre tenemur. Scopum, quem in hoc opere concinnando Autor celeberrimus intendit, duplicem, eundemque amœna concertatione quodammodo contrarium deprehendimus; quandoquidem ſecundum ſeriem Pandectarum circa ſingulos titulos (& hac quidem vice priorum V. librorum) more ſolito, h. e. perſpicue ac ſuccincte declarat, qua ratione Jus Romanum ad caſus in foro noſtro obvenientes dextre applicetur, & quibus in articulis idem Jus a Germanico Jure deflectat. Caute tamen hic ſemper procedit magnificus Autor, ut iſtam Jurium diſcrepantiam intra limites evidenter poſitos provide coerceat. Hunc in finem loco competente Juris Roma-

Romani textus quamplurimos adnotat, eorumque ſoliditatem ac autoritatem vindicat, quos alii Doctores majori, quam par erat, libertate ac confidentia, contrario fori noſtri uſu vel nudo non uſu abrogatos eſſe, aut ob ſcrupuloſam (ut ipſis videtur) ſubtilitatem abrogatione dignos eſſe, paſſim declamarunt. Interea nulli diſſimulamus, eatenus difficilem iſtum nobis videri laborem, quando ex hoc ſpecimine aliud ſpecimen pro more apud nos recepto exhibere debemus. Quandoquidem enim Autor, pro ſummo, quo pollet, ingenii acumine, ea tantum, quæ ſcitu neceſſaria ac utilia nec ubivis obvia ſunt, hoc in opere ſelegit, & nervoſo ac amœno orationis genere expreſſit, certe aut prolixa nimis aut ſubobſcura evaderet relatio, ſi rerum iſtarum capita adjectis, ut par eſſet, rationibus aut digreſſionibus, conciſo ſtylo exponere præſumeremus. Quocirca e re viſum fuit, indicare ſolum potiores materias ac quæſtiones, ſecundum paginarum titulorumve ſeriem. Præmittitur autem ipſi tractatui diſcurſus de uſu & autoritate Juris Romani in foris Germaniæ, in quo (α) *ſeorſim* exponitur Juris Germanici ſtatus & conditio, ſecundum remotiorum propiorumque ſeculorum ſeriem, quamque variæ ſpecies ac nomina exinde provenerint; tranſitus dehinc fit ad Jus Romanum *p. 11*, quæ fata videlicet poſt exceſſum Juſtiniani Jus ab eodem conditum ſuſtinuerit, quibusque auſpiciis ac ſubſidiis in Germaniam introductum ſit: (β) *comparate* magis *p. 26.* & ſeqq. declaratur, quam autoritatem Jus Romanum cum Germanico concurrens obtineat; quo ſucceſſu in nonnullis Germaniæ provinciis Jus Romanum in ſolidum receptum ſit, abrogato Jure Saxonico antehac uſurpato. *Pag. 33.* pulchre adſtruitur, quod paradoxon primo intuitu videri poterat: Jus Romanum majori autoritate pollere in cauſis Principum, quam in cauſis privatorum. Prope finem iſtius diſcurſus hæ quæſtiones ſemet offerunt: an Corporis Juris Germanici compilatio expectari commode ſatis poſſit aut debeat? quid ſentiendum de Autoribus, qui circa Jus Romanum in edendo LL. abrogatarum cenſu nimium faciles ſunt. His præmiſſis *p. 39.* tituli ſinguli Pandectarum prodeunt, quos inter primus *de Juſt. & Jure* Jus publicum circa Sacra ex parte conſiſtens potiſſimum declarat. Quæ noſtro in foro autoritas Reſponſis Juriſprudentum competat, *p. 49.* diſtincte docet. *Pag. 59. 60. 61.* has quæſtiones ventilari deprehendimus, an aliquis ex Statibus Imperii Jus Romanum in

ſuo territorio penitus tollere poſſit? An Receſſibus Imperii ſemel probatis per leges provinciales derogari poſſit? *Pag. 69.* diſquiritur, an ſententiæ Cameræ Imperialis (hoc ſuppoſito, quod non ſolius Imperatoris, ſed & Imperii nomine ferantur) eandem autoritatem habeant, ac ſi ipſe Imperator in Comitiis conſenſu Statuum ſententias ferret? Similis argumenti eſt illud, quod *pag. 71.* occurrit, de autoritate ſententiarum, quæ ex Tribunalibus Provincialibus promanarunt. Contra Gudelinum & Chriſtinæum *p. 110.* aſſeritur, adoptionum Jura, utut hodie rarius uſurpentur, pro abrogatis tamen haberi non oportere. *Pag. 113.* præjudicium conſpicuum eſt, in quo ſecundum *l. 38. ff. de Adopt.* adoptio non Jure facta a Principe confirmata fuit. Ad mentem famoſiſſimæ *L. Barbarius 3. ff. de off. Prat.* præjudiciis quibusdam confirmatur, geſta coram Judice injurato, qui tamen vi ſtatutorum juramento adſtrictus eſſe debuerat, valida haberi. Item ſententiam a Pontifice latam eo tempore, cum omnes Pontificiæ Religioni addicti eſſent, adhuc ſtringere ſucceſſores Evangelicos, cum nihil religioni adverſum continent. *Pag. 164.* edocemur parum præſidii præſtare Judicibus fori noſtri *l. 18. ff. de off. Præſ. & l. 6. §. 3. ff. de Off. Procoſſ.* quaſi a partibus litigantibus xenia & eſculenta licite acceptare poſſint. Offerebantur etenim talia munera a Provincialibus (non a litigantibus in Judicio) & quidem Præſidibus aut Procoſſ. in provincias remotiores miſſis, ceu novis hoſpitibus, cum inſtructam œconomiam nondum haberent; quæ omnia in noſtris Judicibus ſe longe aliter habere plus quam manifeſtum eſt. *Pag. 201.* diſceptatur, an Nobilis manutenendus ſit contra Principem in exercitio Jurisdictionis ex eo ſolo, quod hactenus in quaſi poſſeſſione fuerit, an vero ipſi ſimul ſit oſtendendus titulus? Et hac poſteriori ſententia recepta, porro quæritur, an omni penitus ſucceſſionis commodo excidat Vaſallus jurisdictionis poſſeſſor, an mox ad petitorium ablegandus interdicto interim Jurisdictionis exercitio? Circa *tit. de Procurat. p. 354.* contra Schilteri objectiones, Brunnemanni aſſertum defenditur, quod ſatisdatio impediat, ne morte mandantis expiret mandatum. *Pag. 375.* novatorum cenſuræ *ad l. 6. §. 9. l. 8. §. 1. ff. de neg. geſt. & l. 8. C. eod.* cenſuras & ipſæ patiuntur. Sic & *p. 390.* ratio ſufficiens deſideratur, cujus intuitu ob rem metu ablatam ab actione pœnali in quadruplum abſtinere, & ſimplici reſtitutione

cum

cum Grœnwegen contenti eſſe debeamus. Ejusdem argumenti ſunt, quæ de uſu moderno *l. 13. ff. quot met. comm.* non multo poſt *p. 394.* proponuntur. Occaſione tituli de capite minutis *p. 422.* exemplum arrogationis Potentiſſimi Electoris Brandeburgici autoritate factæ exhibetur. Sub tit. *de inoff. teſtam.* notiores illæ controverſiæ occurrunt, exhæredationem a Patre non rite factam, & præteritionem concernentes. Circa tit. *ſi pars hered. pet.* contra novatores adſtruitur, & in noſtro foro ventri tres portiones ſecundum *l. 3. d. t.* in hæreditate dividenda reſervandas eſſe, cum poſſint tergemini naſci; qua in re ſolenne exemplum civitatem Stralſundenſem ſuppeditaſſe commemoratur, in qua anno 1672. intra 1. Jan. & feſtum Paſchatos trina vice tres infantes vivi uno partu editi fuerunt. His in titulis cum, ut ſupra monitum eſt, Illuſtris Autor ſubſiſtat, & nos ſubſiſtimus, ſerio perſuaſi, unumquemque, qui veram & non ſimulatam Jurisprudentiam profitetur, celeberrimo huic JCto animitus applaudere, ac enixe vovere, ut Specimen hoc affabre exhibitum per partes impoſterum edendas incrementa lætiora obtineat, & conſummati denique operis gloriam ſucceſſu proſperrimo conſequatur.

FRANCISCI HERCULANI PERUSINI, JCti & Equitis Lauretani, Tractatus de Cautione de non offendendo, nunc denuo accurate reviſus & annotationibus Theoretico-Practicis fuſius illuſtratus ab ANDREA CHRISTOPHORO RÖSENERO, J. U. D.

Lipſiæ apud Hæredes F. Lanckiſii, 1691. in 4to. Alph. 2. plag. 20.

FRancifci Herculani Tractatus de Cautione de non offendendo, olim Venetiis A. M D LXIX. in forma octava fuit impreſſus. Sed hujus editionis exemplaria dudum diſparuere, ita ut liber hic in officinis librariis ne pretio quidem, niſi forte bibliothecæ alicujus veteris latebras evaſerit, comparari potuerit. Materiam hanc de cautione de non offendendo utilem & frequentem in foro JCtus ille Italus ingenio Italico, i.e. ſubtili & acuto, quinquaginta duobus capitibus pertractavit. Ubi in prioribus viginti quatuor agit de natura cautionis de non offendendo, de ejusdem diviſione, quando & quomodo præſtanda, de exceptionibus contra eandem opponi ſolitis, pro quibus & a quo peti poſſit, item de effectu cautionis præſtitæ. In reliquis viginti ſex capitibus potiſſimum tractat de modis, quibus cautio de non offendendo rumpitur, tum licitis, tum illicitis. In ultimis denique duobus capitibus in medium afferuntur ſcholia & allegationes ad ulterius declaran-

dam

dam hanc cautionem. Ex Autore hoc Maſcardus, Farinacius aliique Dd. ea, quæ ad præſentem materiam ſpectant, haurire non dubitarunt. Librum hunc typis novis iisdemque magis diſtinctis formaq; commodiore D. Röſener publicæ luci reſtituit, eumque annotationibus theoretico-practicis adauxit; ita ut Herculanus ab ipſo reſuſcitatus totus quantus, ſed dimidio ferme auctior revixerit. Annotationes a clariſſ. Editore ſingulis capitibus ſunt ſubjectæ, in quibus tum ea, quæ in Herculano obſcura videbantur, uberius illuſtrantur, tum etiam quæ deficiebant, ex JCtorum Germanorum ſcriptis & ipſa Conſtitutione Criminali Caroli V. paſcendis lectorum deſideriis ſunt accommodata. Utrobique tam Tractatui quam Annotationibus eſt adjectus index præcipuarum rerum locupletiſſimus.

JOHANNIS OLDENDORPII SYLLOGE EXCEPtionum forenſium, cum Progymnaſmatibus fori, Locis Communibus actionum, probationum, teſtium &c. denuo reviſa, & neceſſariis ſupplementis, ex Jure Civili, Imperiali, Canonico & Saxonico, Reſponſis item ac Deciſionibus recentiorum Autorum practicorum collectu, ad forum accommodata ab ANDREA CHRISTOPHORO RöSENERO, J.U.D.

Lipſiæ apud Hæredes F. Lanckiſii, 1692. in 4to. Alph. 4. pl. 13.

DE Republica optime ſemper fuit meritus Oldendorpius primi ſubſellii JCtus, quod ingenii ſui monumenta poſteritati relicturus, illam Jurisprudentiæ noſtræ partem, quæ ad praxin forenſem tendit, elegerit, electamque ſingulari cum diligentia & induſtria delineaverit. Quem in finem non ſolum Actiones forenſes in ſeptem claſſes diſtinctas, ſed etiam Syllogen exceptionum forenſium, cum aliis fori progymnaſmatibus & locis communibus actionum, probationum, teſtium, uſucapionum, præſcriptionum, ſententiæ & rei judicatæ, publicæ luci expoſuit. Quæ opuſcula antea in forma octava ſunt impreſſa, & maximam partem diſtracta, jam vero in forma quarta typis denuo excuſa. Non vero inanem laborem ſuſcepit conſultiſſimus D. Röſener, dum argumentum hoc, ex judicio D. Iliconis Ummii JCti, procul dubio præclarum & utiliſſimum, continuavit, revidit, & inſuper praxi juris communis tam Civilis, quam Saxonici adauxit. Idcirco cum in priori editione verba tantum initialia fuerint allegata, non ſolum legum numeros addidit, ſed etiam exceptiones ab Oldendorpio conciſa brevitate compoſitas, & ad proceſſum Cameralem reſtrictas, novis additionibus & acceſſionibus locupletavit; ita ut quæcunque ad latiſſimam hanc exceptionum perſecutionem ſpectare videantur, pro cujusque materiæ qualitate aliquanto latius pleniusque interpretatus fuerit. Præterea cum viderit, plurimas præter illas ab Oldendorpio traditas, adhuc ſupereſſe exceptiones, quæ in foro tam Imperiali quam Saxonico apprime ſint utiles, easdem D. Röſener ſecundum ductum Oldendorpii adjecit. Cujus commatis ſunt exceptio ſatisdationis, guarandæ, legitimi impedimenti, nondum tentatæ amicabilis compoſitionis, poſitionis non admiſſibilis, refuſionis expenſarum &c. a pag. 266. usque ad pag. 306. Quo ſtudio atque labore continuato ita excrevit libellus, ut vel triplo plus auctior, & quaſi novus liber, novam qui ſumſerit togam, factus cenſeatur.

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II. Sect. VI.

ATLANTE VENETO &c.
Hoc eſt,
ATLAS VENETUS, CONTINENS DESCRIPTIOnem Geographicam, Hiſtoricam ſacrum & profanam, & Politicam Imperiorum, Regnorum, Provinciarum & Statuum totius Univerſi &c. Opera & ſtudio P. CORONELLI, Coſmographi Reipublicæ Venetæ &c.
Tomus I.
Venetiis Anno 1691. in folio regali. Conſtat plagulis 111, quarum 61. mappas & figuras continent.

EXhibuimus in Actis anni 1694. pag. 332. ſeqq. Clariſſimi Autoris Epitomen Coſmographicam, ſeu Introductionem ad Aſtronomiam, Geographiam & Hydrographiam. Nunc præſens Opus Geo-Hydrographicum ſiſtimus, præclaram itidem Scriptoris ſui non minus induſtriam commendans, quam ſtudium ornandi bonum publicum. Cujus quidem operoſa recenſione, cum titulus argumentum ejus ſatis prodat, merito ſuperſedemus: unius tamen alteriusve, cujus indicium ex titulo non æque conſtat, mentionem facere non pigrabimur. Nam præter compendioſam navigationum duobus abhinc ſeculis, magna diverſorum populorum æmulatione inſtitutarum narrationem, navigiorum hoc tempore celebrioribus gentibus uſitatorum genera non tantum deſcripta, ſed & æri curioſe inciſa, Lector hic offendet: interque ea *Bucentaurum*, Potentiſſimæ Venetorum Reipublicæ navim famoſiſſimam, annuæ maris Hadriatici deſponſationi devo-

 tam,

tam; & quæ terrorem hodie per oras & munimenta maritima late circumferunt, exitio eorum natas *Palandras incendiarias*; cum non ingrata in Heroem incomparabilem *Franciſcum Maurocenum* Venetorum Ducem nuper defunctum, memoria: cujus ſcilicet ingenio Triremes (*Galeren*) debent, quod longe ſecuriori impetu & audacia, ac Palandræ, mortariorum fulmina & decretorios ignes in adverſa portuum clauſtra, nunc evibrare ſint idoneæ.

Nec ſequiori voluptate curioſus Lector claſſes inſignibus nobilitatas expeditionibus, ex antiqua & recentiori hiſtoria, hic repetet, quam piſcaturæ hinc inde per orbem terrarum tam mari, quam in majoribus fluviis exercitæ deſcriptionem. Quos porro notitia Geographiæ ſacræ delectat, cum antiquam, ſub hierarchia eccleſiaſtica quinque Archiepiſcopatus cum ſuis Exarchatibus ſeu Primatibus complexam; tum modernam diligenti recenſu Patriarchatuum, Archi- & Epiſcopatuum, quæque ad natales & varia eorum fata ſpectant, in promtu habebunt. Chartas autem Geographicas, Autoris opera ſtudioſe delineatas exornant, quæ ideam univerſi, varia mundi ſyſtemata, cum planiſphæriis cœleſtibus exhibent: ut adeo optandum ſit, & alterum Tomum, in Operis luculentiſſimi complementum, propediem luci publicæ donari. In quo tamen clariſſimum Autorem, a nobis pro veritatis ſtudio etiam atque etiam rogatum, ex Proteſtantium albo deleturum ſperamus, perperam iis pag. 31. hujus Tomi accenſos cum Anabaptiſtis Socinianos: quos poſteriores etiam tantum abeſt ut communi ſecum nomine appellari velint Proteſtantes, ut ne Chriſtianorum quidem titulo dignos habeant; nec damnatis eorum erroribus renunciantes, niſi ſacro Baptiſmate denuo initiatos, in gremium ſuæ Eccleſiæ recipiant.

TOPOGRAPHIA HISTORICA GALLO-BRABANTIÆ, auctore JACOBO BARONE LE ROY, S. R. I. Domino S. Lamberti &c.

Amſtelædami, typis Hermanni Alardi, A. 1692. in fol.
Conſtat plag. 72. & figuris æneis 57.

Dudum eſt, quod *Jo. Baptiſta Grammaye*, Belgii Principum ac provinciarum Hiſtoricus, tribus libris Bruxellis A. 1606. editis, Gallo-Brabantiam pagatim deſcripſit; quem poſtea ſecutus eſt *Joannes Blondeau*,

deau, urbis Nivellenſis Syndicus, qui ampliori opere Gallico idiomate concepto negotium id proſecutus eſt, ſed cujus editionem mors antevertit. Eorum tamen commentariorum autographum ab hæredibus Auctor noſter illuſtriſſimus obtinuit, & cum eadem, qua ille, cura teneretur, in ſuos uſus convertit, ita tamen, ut multa adjunxerit, quædam etiam non rite intellecta enodarit. In illuſtrandis enim Gallo-Brabantiæ, aut veteri verbo, Romanduæ oppidis, municipiis, ac dominiis, in monaſteriis item, Nobiliumque prætoriis & caſtellis delineandis ſic occupatus eſt, ut diligentiam ante omnia deſignandis temporibus impenderit, e diverſis chronicis hiſtoricisque non ſolum typis excuſis, ſed manuſcriptis quoque, præſertim ex ſupremæ curiæ feudalis Ducatus Lotharingiæ ac Brabantiæ regeſtis, uniuscujusque origines ac poſſeſſores eruerit, & cuncta alia teſtimoniis idoneis ſtabilita dederit, archiva, codices, & tabularia ubivis demonſtrans. Pleraque inſuper Nobilium prætoria ad vivum in loco ipſo delineari ſuisque ſumtibus in æs incidi juſſit, exceptis paucis, quæ ad exemplaria pridem facta effingi placuit. Accurata autem tabula geographica, quæ Gallo-Brabantiam univerſam ſiſtit, præmiſſa, ſeptem libris hanc dilucidat, quorum primus præfecturam Nivellenſem, ſecundus Genappienſem, tertius præfecturam Montis S. Wiberti, quartus Hulpenſem, quintus Gravienſem, Gemblacenſem & Gemblacum oppidum, ſextus Aincuriæ, Dongelberghæ, Melinii, Geſtæ S. Joannis, Geſtæ Geronpontis, Jacheæ, & oppidum Geldonenſe, ac ſeptimus deniq; Jandranienſem, Orpienſem, Hanutenſem, & Hanutum oppidũ cum appendicibus complectitur. Sed & inſuper alia quædam, ad hiſtoriã quæ ſpectant, inſperguntur, velut ubi is de Pipinorum armis gentilitiis disquirit; ubi de Templariorum excidio & cauſis diſpicit; ubi tumbas aliquot Baronum ac Nobilium illuſtriores exhibet; ubi de cauſa necis illatæ S. Lamberto, Tungrorum ac Trajectenſium Epiſcopo, diſceptat; deque annulo ſignatorio, & de ævo, quo cœperint Nobilium cognomina & arma gentilitia eſſe hæreditaria, nonnihil diſſerit. Cæterum uti proximis annis agros Lovanienſem, Bruxellenſem, & Sylvæducenſem, tribus voluminibus eodem modo adumbratos, in lucem ſeſe emiſſurum pollicetur: ita omnes, quorum intereſt, rogatos in Præfatione vult, ut ad ſe Antverpiam transmittant, ſi quæ habuerint operi iſti congrua, quæque optent inſeri: nulla tamen alia, niſi authentica aut ſaltem fide digna deſiderat, & ſi

tam; & quæ terrorem hodie per oras & munimenta maritima late circumferunt, exitio eorum natas *Palandras incendiarias*; cum non ingrata in Heroem incomparabilem *Franciſcum Maurocenum* Venetorum Ducem nuper defunctum, memoria: cujus ſcilicet ingenio Triremes (*Galeren*) debent, quod longe ſecuriori impetu & audacia, ac Palandræ, mortariorum fulmina & decretorios ignes in adverſa portuum clauſtra, nunc evibrare ſint idoneæ.

Nec ſequiori voluptate curioſus Lector claſſes inſignibus nobilitatas expeditionibus, ex antiqua & recentiori hiſtoria, hic repetet, quam piſcaturæ hinc inde per orbem terrarum tam mari, quam in majoribus fluviis exercitæ deſcriptionem. Quos porro notitia Geographiæ ſacræ delectat, cum antiquam, ſub hierarchia eccleſiaſtica quinque Archiepiſcopatus cum ſuis Exarchatibus ſeu Primatibus complexam; tum modernam diligenti recenſu Patriarchatuum, Archi- & Epiſcopatuum, quæque ad natales & varia eorum fata ſpectant, in promtu habebunt. Chartas autem Geographicas, Autoris opera ſtudioſe delineatas exornant, quæ ideam univerſi, varia mundi ſyſtemata, cum planiſphæriis cœleſtibus exhibent: ut adeo optandum ſit, & alterum Tomum, in Operis luculentiſſimi complementum, propediem luci publicæ donari. In quo tamen clariſſimum Autorem, a nobis pro veritatis ſtudio etiam atque etiam rogatum, ex Proteſtantium albo deleturum ſperamus, perperam iis pag. 31. hujus Tomi accenſos cum Anabaptiſtis Socinianos: quos poſteriores etiam tantum abeſt ut communi ſecum nomine appellari velint Proteſtantes, ut ne Chriſtianorum quidem titulo dignos habeant; nec damnatis eorum erroribus renunciantes, niſi ſacro Baptiſmate denuo initiatos, in gremium ſuæ Eccleſiæ recipiant.

TOPOGRAPHIA HISTORICA GALLO-BRAbantia, auctore JACOBO BARONE LE ROY, S. R. I. Domino S. Lamberti &c.

Amſtelædami, typis Hermanni Alardi, A. 1692. in fol.
Conſtat plag. 72. & figuris æneis 57.

DUdum eſt, quod *Jo. Baptiſta Grammaye*, Belgii Principum ac provinciarum Hiſtoricus, tribus libris Bruxellis A. 1606. editis, Gallo-Brabantiam pagatim deſcripſit; quem poſtea ſecutus eſt *Joannes Blondeau*,

deau, urbis Nivellenſis Syndicus, qui ampliori opere Gallico idiomate concepto negotium id proſecutus eſt, ſed cujus editionem mors antevertit. Eorum tamen commentariorum autographum ab hæredibus Auctor noſter illuſtriſſimus obtinuit, & cum eadem, qua ille, cura teneretur, in ſuos uſus convertit, ita tamen, ut multa adjunxerit, quædam etiam non rite intellecta enodarit. In illuſtrandis enim Gallo-Brabantiæ, aut veteri verbo, Romanduæ oppidis, municipiis, ac dominiis, in monaſteriis item, Nobiliumque prætoriis & caſtellis delineandis ſic occupatus eſt, ut diligentiam ante omnia deſignandis temporibus impenderit, e diverſis chronicis hiſtoricisque non ſolum typis excuſis, ſed manuſcriptis quoque, præſertim ex ſupremæ curiæ feudalis Ducatus Lotharingiæ ac Brabantiæ regeſtis, uniuscujusque origines ac poſſeſſores eruerit, & cuncta alia teſtimoniis idoneis ſtabilita dederit, archiva, codices, & tabularia ubivis demonſtrans. Pleraque inſuper Nobilium prætoria ad vivum in loco ipſo delineari ſuisque ſumtibus in æs incidi juſſit, exceptis paucis, quæ ad exemplaria pridem facta effingi placuit. Accurata autem tabula geographica, quæ Gallo-Brabantiam univerſam ſiſtit, præmiſſa, ſeptem libris hanc dilucidat, quorum primus præfecturam Nivellenſem, ſecundus Genappienſem, tertius præfecturam Montis S. Wiberti, quartus Hulpenſem, quintus Gravienſem, Gemblacenſem & Gemblacum oppidum, ſextus Aincuriæ, Dongelberghæ, Melinii, Geſtæ S. Joannis, Geſtæ Geronpontis, Jacheæ, & oppidum Geldonenſe, ac ſeptimus deniq; Jandranienſem, Orpienſem, Hanutenſem, & Hanutum oppidū cum appendicibus complectitur. Sed & inſuper alia quædam, ad hiſtoriā quæ ſpectant, inſperguntur, velut ubi is de Pipinorum armis gentilitiis disquirit; ubi de Templariorum excidio & cauſis diſpicit; ubi tumbas aliquot Baronum ac Nobilium illuſtriores exhibet; ubi de cauſa necis illatæ S. Lamberto, Tungrorum ac Trajectenſium Epiſcopo, diſceptat; deque annulo ſignatorio, & de ævo, quo cœperint Nobilium cognomina & arma gentilitia eſſe hæreditaria, nonnihil diſſerit. Cæterum uti proximis annis agros Lovanienſem, Bruxellenſem, & Sylvæducenſem, tribus voluminibus eodem modo adumbratos, in lucem ſeſe emiſſurum pollicetur: ita omnes, quorum intereſt, rogatos in Præfatione vult, ut ad ſe Antverpiam transmittant, ſi quæ habuerint operi iſti congrua, quæque optent inſeri: nulla tamen alia, niſi authentica aut ſaltem fide digna deſiderat, & ſi

quis correctionem aliquam aut obſervationem velit ſuggerere, ſeorſim illam ut deſcribat, expetit.

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII, MED. D. Conſiliarii & Archiatri Ducalis Saxonici, & Profeſſoris Publici, Pathologia Medica Dogmatica.

Jenæ ſumptibus Joh. Bielkii, in 4. Conſtat alphabetis quaſi tribus.

EXtare voluit illuſtris Autor hoc opus Pathologicum, ordinem vulgo receptum ſequens, ſed methodo diverſa. Axiomatibus quippe generalibus erutis, ſatius duxit, ſtabilire recepta, quam ſubruere, id non merita; quæ & exhibeant rem prout ſe habet, & abſolvant, in tantum ſaltim, ut ratum eſſe queat, quid ſtatuendum tandem ſit, quid minus, ne liber ex libro ſcribatur.

Sic revocantur ſingula velut ad certas theſes, ut lector ſtatim aſſequatur rei ſummam, pluribus hinc dilucidatam. Præmiſſis ergo, quæ generalius de morbo, ejusque ſubjecto & cauſa dici poterant, ipſius differentias eſſentiales explicat, & ſumma genera morborum, intemperiem, conformationem læſam, & unitatem ſolutam, in ſpecies ſuas dirimit, explicatis terminis neceſſariis, ſuggerendo exempla, ſupponendo mechanicam, & dirigendo ſingula hæc ad uſum.

Hinc differentiis accidentalibus perluſtratis, & temporibus morborum, pathologiam in ſpecie dictam claudit, & ætiologiam proſequitur, recenſitis differentiis cauſarum, has ipſas in humoroſas, flatulentas, tartareas, animatas, & ex principiis chimicis oriundas diſpeſcens; viſis poſtmodum ordine & remotioribus, ſupernaturalibus, naturalibus, medicis dictis, non naturalibus & præternaturalibus. Generali huic ætiologiæ ſpecialis ſubjungitur, in ſummorum illorum generum morborum cauſis inveſtigandis occupata.

Tandem & συμπτωματολογίαν aggreditur, & iterum de ſymptomatibus in genere præmiſſa tractatione, de cauſis actionum læſarum, excretorum & retentorum, ac qualitatum mutatarum ſpecialibus agit, in ſingulis ventribus luſtratis.

Ubivis magis ſtudet in rei ipſius adytis inveſtigandis, quam autorum placitis, controverſias vix tractat, antiqua novis, præſertim chimicis hypotheſibus combinat, utraque propriis obſervationibus hinc inde

de interſperſis illuſtrat, ut ſuo ſic loco dogmata hæc pathologica ad ſpecialiorem diſquiſitionem tum ſupponi, tum inſervire amplius queant. Idque tanto magis, quanto magis huc facientia allaborat ſcientificum in modum firmis quaſi demonſtrationibus exponere, quæ ex quibus fluant, ut ſic artis forma, quæ ſcientia ipſa eſt, ſtatuminetur & Empiricis contra habeatur Pathologia Dogmatica.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΤΗΣ ΔΙΑΝΟΙΑΣ *σχημάτων, &c.*
hoc eſt:
ALEXANDRI DE FIGURIS SENTENTIÆ ATQUE elocutionis, Liber primus & ſecundus: Phœbammonis de Schematibus Oratoriis Scholia, Liber primus & ſecundus: Minutianus de Sedibus argumentorum. Interprete Laurentio Norrmanno.

Upſalæ, excudit Henricus Keyſer, A. 1690. in 8. plag. 13.

TRes heic ſub uno conſpectu exhibentur ſat vetuſti Rhetores, quorum duo priores commune de Schematibus Oratoriis argumentum tractant, ac mutuas ſubinde jungunt operas; tertius vero argumentorum inveniendorum rationem brevi, ſed non inutili libello, operis majoris ἀποσπασματίῳ, complexus eſt. Et eos jam olim in corpore duodecim Rhetorum ediderat Aldus Manutius, at clariſſimus Norrmannus denuo ad manus eosdem ſumſit, locis innumeris, qua ex ingenio, qua inveſtigatis auctorum teſtimoniis, meliores ornatioresque facere inſtituit, ac nova verſione & notis quibusdam inſtructos Orbi erudito exhibuit. Prout autem de ipſorummet opuſculorum contentis plura dicere non attinet: ita quid de Auctoribus obſervare Noſtro placuerit, paucis eloquemur.

Primus inter eos ALEXANDER eſt, ac ille quidem, ſi Conrado Geſnero & Manuſcriptorum Vindobonenſis Bibliothecæ Indici adſtipuleris, Aphrodiſienſis, Medicus & Philoſophus celeberrimus, qui principio ſeculi poſt C.N. tertii ſub Septimio Severo & Antonino Caracalla floruit. Verum Norrmanno ſecus videtur, qui hunc non eſſe alium exiſtimat, quam qui Numenii filius, ὁ Νουμηνίου σοφιστής, nullo præterea rerum aut temporum adjecto characteriſmo, a Suida appelletur. Suæ enim hujus ſententiæ fundamentum in Julii Rufiniani, antiqui Rhetoris Latini, teſtimonio poſitum eſſe autumat, qui ab initio

libri de figuris ſententiarum Aquilam Romanum nonnulla ex Alexandro Numenio deſumſiſſe affirmet. Quod autem minime diverſus ab hoc ſub eo nomine indicetur, haud difficulter agnoſci putat a quolibet, qui Aquilam cum Alexandro noſtro ſtudioſius commiſerit. Hujus namque veſtigiis, quicquid diſſimulet, tum in ordine ac recenſu ſchematum, præſertim ſententiæ, tum tractatione ipſa illum plerumque inſiſtere, ſic tamen, ut ſuis auſpiciis, ſuo arbitrio ubique rem gerat, non alieni operis interpretationem condat. Jam igitur certum liquidumque de ætate Alexandri ferri poſſe judicium, quod ſcilicet Antoninorum ævo floruerit; ſiquidem ipſius parens, Numenius Rhetor, Suida teſte, παραμυθητικὸν Ἀδριανῷ εἰς Ἀντίνοον ſcripſerit, cui cum hypotheſes etiam περὶ τῶν τῆς λέξεως σχημάτων idem Suidas tribuat, aut ſimillimum & maxime geminum, aut hoc ipſum forte filii ſcriptum innui. De cætero lubens profitetur, nec illam Natalis de Comitibus verſionem, nec alia hujus Alexandri ſcripta, quæ extare perhibeantur, ſe vidiſſe; quamobrem & omne hac de re judicium iis, quibus meliorum & inſtructiorum bibliothecarum copia ex voto ſuppetat, relinquit.

Opuſculo ſecundo nullum Scriptoris in editione Aldina nomen fuit additum; reapſe autem PHOEBAMMONIS hæc Scholia, non Tiberii aut alius cujuſpiam eſſe, vel ex iis patere aſſerit, quæ ab illo accepta & citata a pluribus in hoc libello compareant, veluti, quod Matthæus Camarilla, ſive quisquis auctor ſit τῆς συνοπτικῆς παραδόσεως τῆς ῥητορικῆς, definitionem ſchematis κατὰ Φοιβάμμονα verbis iisdem, quæ heic p.98. extent, adferat; quod Eraſmus adagium, ἡ πορφύρα παρὰ τὴν πορφύραν διακριτέα, quod heic eadem pagina legatur, a Phœbammone Sophiſta in Commentario de figuris rhetoricis referri, manuſcripti cujusdam codicis fidem haud dubie ſecutus tradiderit; quod ex codicibus Regiis & Colbertinis, Phœbammonem Sophiſtam Φόρον pro foro juridico poſuiſſe, in Gloſſario ſuo Carolus du Freſne (p. 106.) obſervaverit. Qua in ſententia non leviter ſe confirmatum addit ſuffragio Viri clariſſimi Thomæ Gale, qui in notis ad Tiberium Rhetorem περὶ τῶν παρὰ Δημοσθένει σχημάτων, Phœbammonem varias ſchematis definitiones collegiſſe, ipſumque ab Aldo ſine nomine datum fuiſſe annotet. Uti autem manifeſto ſibi apparere cenſet, Phœbammonis eſſe hoc opuſculum: ita de eo imprimis queritur,

queritur, quod nihil adhuc præterea de ipſo comperire licuerit, niſi quod eſſe videat, qui eum Hermogene fecerit antiquiorem. Huic autem calculum ſuum adjicere haud ſuſtinet, quin ita potius exiſtimat, poſt diviſum veteris novæque Romæ imperium, legibus Romanis earumque formulis ubique vigentibus, Phœbammonem vixiſſe, ac dictionis καινοτομίαν & inſolens Græcis hominibus, verum Ægyptiis convenientius nomen, ut Ægyptium Alexandrinumque ipſum eſſe credat, efficere.

MINUCIANUM tandem patre Nicagora, Sophiſta, Athenis natum, Gallieni Imp. temporum æqualem, artes oratorias, progymnaſmata, variasque orationes ſcripſiſſe, ex indicio Suidæ docet, ac minus proin adſtipulatur Synopticæ Rhetoricæ auctori, qui ab Hermogene illum tum inceſſi tum deſcribi & compilari memoret. Hermogenem namque, ut Suidas affirmet, τέχνην ſuam ῥητορικὴν Marco adhuc apud Romanos imperante compoſuiſſe, unde nihil ſane quicquam ex hortis Minuciani, octoginta amplius annis poſt viventis, ſublegere potuerit. Et librum ſane hujus integrum ante duo adhuc ſecula in manibus hominum verſatum, & forſan quoque a Georgio Trapezuntio habitum fuiſſe ſubjicit. Utut autem hodie operis adeo luculenti particula, quoquo olim caſu modoque a reliquo corpore divulſa ſolum extet, fore tamen nihilominus confidit, ut eadem abs ſe nunc iterum vulgata τοῖ φιλοκάλοις καὶ φιλαρχαίοις ad cætera omnibus veſtigiis indaganda & in lucem proferenda, novum aliquod ſignum ſuſtollat, ducemque ſeſe atque adjutricem præbeat.

ΟΜΗΡΟΥ ΙΛΙΑΣ ΚΑΙ ΕΙΣ ΑΥΤΗΝ ΣΧΟΛΙΑ τῶν παλαιῶν.

HOMERI ILIAS, ET VETERUM IN EAM SCHOLIA, quæ vulgo appellantur Didymi.

Cantabrigiæ ex officina Joann Hayes, A. 1689. in 4. plag. 104. Proſtat Londini apud Ed. Brevvſter.

INter egregia & præclara laudis ornamenta, quæ in Homero priſca miratur ætas & extollit, non eſt poſtremo loco habendus uſus, quem opus ejus præſtare poteſt diſciplinæ militaris ſtudio. Tametſi enim huic ſcriptorum generi accenſeri Homerus nequeat, qui præcepta di-

ctæ.

ctæ artis tradiderunt, & ſcriptores Tactici dicuntur; tamen inter hiſtoricos & poetas epicos, qui res in uſu militari poſitas exemplis illuſtrare ſatagunt, deſcriptis eam in rem præliis & oppugnationibus, cauſisque bellorum, fœderibus, conſiliis ducum, & ſtratagematis expoſitis, quin principem locum is teneat, dubium facile erit nemini. Nam adeo dilucide bellorum, quæ deſcripturus erat, cauſſas memorat, libidinem in Paride, perfidiam in Laomedonte: tam accurato ſtudio delectum militum exponit, ubi non ſolius imperatoris, verum aliorum quoque ducum & militum officia atque diſcrimina perſequitur: adeo ſolicite armorum telorumque genera, cibaria, totamque rationem victus paſſim explicat. Et quem militaris ſtudioſum artis non ea parte juvet, ubi claſſem maximam militibus, ac ſociis navalibus, & omni apparatu ornat? ubi caſtra munienda foſſa docet in longum latumque deducta, & aggere acutis vallis in orbem præfixo? Quis prudentiam iſtius non miretur, in deſcriptione caſtrorum elucentem? Fortiſſimos ſiquidem, Achillem & Ajacem, in extremis caſtrorum partibus collocat, muri moliſque inſtar aliis objectos: Regem vero mediis in caſtris facit, velut in loco tutiſſimo, tendentem. Quem non caſtrorum oppugnatio inſtruat, & graviſſima defenſio, libro XII. Iliados: ſolicita item vigiliarum ratio, libro X. deſcripta? Quem non varia erudiant præliorum genera, navale cumprimis libro XII, terreſtria toto opere quamplurima, & in his ſingulare iſtud Paridis & Menelai, libro III. memoratum? Quis porro approbatam ei inſtruendæ aciei rationem improbet? prima ſiquidem in acie equites, in poſtrema pedites conſtituit, ignavioribus in mediam concluſis & coactis. Quæ ordinis ratio & ſapientisſimo quondam duci Xenophonti viſa fuit optima: Ἐν πολέμῳ, dicenti, τοὺς τε πρώτους ἀρίστους δεῖ τάττειν καὶ τοὺς τελευταίους, ἐν δὲ μέσῳ τοὺς χειρίστους, ἵνα ὑπὸ μὲν αὐτῶν ἄγωνται, ὑπὸ δὲ τῶν ὠθῶνται. Nec alia de cauſſa Homerus, ducum alios in prima acie hortantes fingit & pugnantes, alios qui aciem extremam urgeant & impellant ad pugnandum. Quis præterea ſpernenda putet ſalutaria ejuſdem monita de curandis & reficiendis ante, quam prælium ineatur, corporis viribus? Quem non cautum ac providum efficiat, ubi fortes militum ac peritos, ſilentio & ordinibus ſervatis; imperitos contra & glorioſos, magnis clamoribus, magnoque cum tumultu procedentes ad prælium introducit? Quis averſetur conſilium ejus, ubi fuſis quidem hoſtibus,

prælio

prælio tamen nondum plane confecto, non continuo prædæ attendendum, ſed hoſtes potius perſequendos monuit? Quem non oppugnatio capiat & delectet oppidi, quæ in clypeo depicta legitur? Quis abſque ſenſu voluptatis, inſperſa paſſim legat ſtratagemata, quorum aliquot Pauſanias collegit in Meſſenicis? Cui ex uſu non ſint, quæ ſubinde inſeruntur, militaria conſilia, etiam nocte habitum Libr. X, legationes, ſpeculatores, fœdera, induciæ, conciones pulcerrimæ, præmia & pœnæ, aliaque ad rem militarem facientia innumera?

Et quid de luculentis dicemus virtutum exemplis, in pulcro poemate paſſim emicantibus? Lapis ſit, quem parum moveat imago fortitudinis in Achille, in Hectore, Ajace, Diomede: prudentiæ in Neſtore, Ulyſſe, Ænea, Piſandro, Sarpedone: vigilantiæ denique ac diligentiæ in Agamemnone, Imperatore ſummo propoſita & ad vivum expreſſa. Habent profecto hic adoleſcentes generoſi & heroica indole, quos imitentur, Antilochum & Merionem: viri Hectorem, Æneam, Idomeneum, Ulyſſem, alios: ſenes Neſtorem præcipue. Nec ulla facile virtus nominabitur, cujus non exempla proponi cuivis ætati ex Homero queant.

Quæ diligentius paulo cogitanti minus mirum videbitur, qua ratione adduci Alexander Magnus olim potuerit, ut Homerum cumprimis in expeditionibus bellicis ſibi eligeret comitem, magiſtrumque adeo aſſiduum, ut ne nocte quidem a ſeſe dimitteret: cur idem Poeta Macedoniæ regi Caſſandro, tanto in pretio fuerit, ut complecti memoria totum laborarit: cur adeo familiaris, Strabone teſte, & charus fuerit Julio Cæſari, ut Ilienſibus agrum majorem ejus cauſa tribuere, libertatemque & vectigalium immunitatem confirmare decreverit, rerum jam potitus: cur Juſtinianus, Imperator ſacratiſſimus, tanti eundem fecerit, ut omnis virtutis patrem, in ſuo Pandectarum præfamine dicere eum nullus dubitarit.

Quanquam vero Plato in Homerum fuerit iniquior, ſuaque e civitate exulare prorſus eum juſſerit; ſidus tamen multo benignius idem expertus eſt in Ariſtotele, qui id in Homero potiſſimum admiratur & deprædicat, quod poeſin & exorſus ſit, & perfecerit: cum alias nulla res, judicio Senecæ, conſummata ſit dum incipit, & in omni negotio longe ſemper a perfecto fuerint exordia: quod communi etiam

hominum conſenſu adeo probatur, ut, quod ſimul affectum ſit & perfectum, ne Solem quidem vidiſſe arbitrentur.

Quæ cum ita ſint, nec reprehendendus eorum labor erit, qui in dictis Homeri monumentis ad poſteritatem nitide, integreque transmittendis, curam omnem, ſtudium, & operam indefeſſam poſuerunt; quo laudis genere nec Cantabrigianæ hujus editionis Autorem facile quis privet. Ea quippe, textum ipſum quod attinet, editionem Henrici Stephani, anno 1566. adornatam, exprimere contendit, utpote quam eum in finem ſe relegiſſe totam, optimarumque editionum conſenſu menda ſuſtuliſſe teſtatur Autor, eaque in re Florentinam, quæ anno 1488. prodiit: Romanam, quæ conjuncta eſt cum Euſtathio: & eam quam in Commentariis ſuis Euſtathius ſequatur ipſe: nec non aliam ab Adriano Turnebo anno 1554. procuratam, ſeſe conſuluiſſe.

Præmiſſi autem leguntur operi duo de Homero libelli, unus Herodoti, & alius Plutarchi, cum Stephani modo laudati annotationibus. Addita dein Iliados textui nova Latina interpretatio, quæ ipſa ordinem ſtructuramque verborum, quantum quidem linguæ Latinæ indoles tulit, ſequitur, verborum portentis, quæ ad imitationem Græcorum compoſitorum olim erant facta, ejectis inde & proſcriptis. Textui continua ſerie ſubjecta habes ſcholia, & lectiones varias, quarum autorem παλαιὺς ſeu veteres maluit, quam unum Didymum agnoſcere. Quinam autem fuerint, ex quorum commentariis hæc Scholiorum epitome confecta, id ſe recepit oſtenſurum in peculiari Diſſertatione, parti operis ſequenti, Odyſſeæ nimirum, præmittenda. In extremo voluminis occurrunt quoque Ἐπιγραφαὶ Ἰλιάδος, variæque lectiones, quas H. Stephanus marginibus Homeri a ſe editi appoſuit, ejusdemque annotationes in ſuam Homeri editionem; variæ præterea lectiones, emendationes, conjecturæque in Scholia Homerica, quibus & additamenta nonnulla ex Excerptis MSS. accedunt cum ſuppoſititiorum ſcholiorum elencho.

Cæterum, quæ in Hackiana editione habentur, Scholia Lugduni Batavorum excuſa, locis pene infinitis, contra omnium priorum editionum fidem, detorta obſervat, depravata, mutilata, plurimisque additamentis turpiſſime coinquinata. Verſionem, quam eadem habet Hackiana, & infamem & maculis fœdam nominare non dubitat, experientia propria edoctus, & Diſſertatione cumprimis M. Caſauboni.

Quam

Quamvis autem de autore fraudis, circa ſcholia admiſſæ, certi quid pronunciare nolit, optat tamen, non adeo negligentem nominis ſui fuiſſe Schrevelium, ut verba hæc, ACCURANTE CORNELIO SCHREVELIO, dictæ in editionis fronte legi permiſerit. Contagionem mali & Oxonienſem editionem traxiſſe non diſſimulat, utpote quæ Hackianam, paucis exceptis, κατὰ πόδα ſequatur: multoque melius actum cum eruditis fuiſſe exiſtimat, ſi iſtæ bonarum literarum corruptelæ maturius innotuiſſent publice.

TRAITE DES ETUDES MONASTIQUES &c.

hoc eſt:

TRACTATUS DE STUDIIS MONASTICIS IN tres partes diviſus; una cum enumeratione præcipuarum difficultatum, quæ in lectione Patrum cujusvis ſeculi queunt occurrere; ut & catalogo librorum ſelectiorum, componendæ bibliothecæ eccleſiaſticæ præcipue inſervientium, Auctore JOHANNE MABILLON, Monacho Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

Lutetiæ Pariſiorum apud Car. Robuſtellum &c. 1691. 8.

Alph. 2. plag. 14.

VEtus quæſtio, & pridem agitata, *utrum Monachis licitum ſit ſtudiis incumbere,* Auctori celeberrimo & toties in Actis hiſce laudato anſam dedit hunc Tractatum conſcribendi; præſertim cum non paucis eam ab utraque parte premi difficultatibus, probe animadvertiſſet.

In tres eum diviſit partes. In *prima* oſtenſurus, non licere ſolum, ſed incumbere Monachis, ut ſtudiis navent operam, non diffitetur quidem, Monaſteria non eum in finem condita fuiſſe, ut Scholarum atq; Academiarum loco eſſent, ſed ut ad ſui potius ac rerum mundanarum omnium, interque eas artium non minus ac ſcientiarum profanarum contemtum ducerent, ſolique ſuos Scripturæ conſiderationi quotidianæ, virtutumque indefeſſo ſtudio conſecrarent. Non poſſe tamen absque adminiculo ſcientiarum juſtum illum & a fundatoribus præceptum ordinem ſervari, vel ex eo patere autumat, quod absque eo nec ſeniores rite juniores queant inſtruere, nec Scripturæ iis myſteria explicare, nec dubia eorum ſolvere, multo minus cum iis

c. I.

c. II.

colloquia de rebus ſpiritualibus a S. Pachomio ſevere ipſis injuncta, inſtituere. Jam certum eſſe, Pachomii diſcipulos non Scripturæ tantum, ſed & Patrum lectioni vacaſſe, Baſiliumq; idem fere ſuis præcepiſſe. Quod ſi igitur illis temporibus, cum in prima adhuc puritate eſſet conſtituta, literarum ſtudiis diſciplina indiguerit monaſtica, multo
c. III. magis ea his temporibus futura neceſſaria. Imprimis vero Abbatibus id negotii datum innuit, ut ſtudiis navarent operam; quod non ſolum alios erudire, ſed & ſæpenumero Conciliis intereſſe, inque illis Epiſcoporum vice fungi, tum & alia obire munia, quæ non niſi probe
c. IV. in his talibus exercitatos poſcunt, teneantur. De Clericis & Sacerdotibus eo minus dubitandum cenſet, quo magis ſtatus ipſorum accuratam ſacræ Scripturæ, tum diſciplinæ ac traditionum eccleſiaſticarum cognitionem videtur requirere, ne, quam Hoſ. IV. 6. Deus mina-
c. V. tur, pœna ipſos tangat. Neque vero etiam exempla deeſſe eorum, qui maximam doctrinæ atque eruditionis laudem conſecuti, non alibi ejus, quam in monaſteriis fundamenta jecerint: quales e Græcis Baſilius, Chryſoſtomus, Nazianzenus atque Athanaſius; e Latinis Hieronymus, Auguſtinus atque Gregorius Magnus. Quin & plurimos in Oriente pariter ac Occidente ne prima quidem literarum elementa deguſtaſſe, cum pueri adhuc, aut ætate nondum ſatis adulta, monaſteria ingrederentur, & tantum tamen in iis profeciſſe, ut Epiſcopi potuerint prodire. Alios ſcriptis in publicum editis inclaruiſſe, ut Ephræmum, Iſidorum Peluſiotam, Nilum, Caſſianum, Vincentium Lirinenſem, Maximum, Anaſtaſium Sinaitam, Bedam Venerabilem, Theodorum Studiten, Anſelmum, Bernhardum, aliosque plures; unde jam o-
c. VI. lim ſtudia in monaſteriis floruiſſe, omnino ſit probabile. Idem Bibliothecas innuere antiquitus in monaſteriis repertas, nulli alioquin uſui futuras, niſi lectio librorum etiam fuiſſet uſitata. Quorſum pertineat eorum labor, qui frequenti varii generis librorum tranſcriptione id egerint, ut quicquid eſt ſacrarum atque profanarum antiquita-
c. VII. tum, ad poſteros transmitteretur. Sed & S. Benedictum id egiſſe ſedulo, ut ſui ordinis Monachis aſſiduam librorum Veteris ac Novi Te-
c. VIII. ſtamenti, ut & Patrum ac Interpretum lectionem commendaret, pluribus ejusdem regulis oſtendit, & neglectum ſtudiorum cauſis inclinati-
c. IX. X. onis monaſteriorum in deteriorem ſtatum annumerandum probat. Unde factum, ut quotiescunque labentem diſciplinam reſtituere

volue-

voluerint, quibus hæc incubuit cura, omnem moverint lapidem, ut ſcholas ante omnia redintegrarent, bibliothecas congererent, collegia conventusque ordinarent, libros etiam conſcriberent. Quid? quod Anſelmus in epiſtola Mauritium expreſſe non tantum Virgilium, ſed & alios auctores profanos legere jubeat, iis ſolum exceptis, qui puritati atque honeſtati ſunt contrarii. In Monte inſuper Caſſino litera- c. XI.
rum ſtudia ad duodecimum usque ſeculum floruiſſe, Petrum Diaconum in ſuo de Viris Montis Caſſini illuſtribus opere ſatis ſuperque teſtari. In Anglia Bedam Venerabilem omnis generis ſcientias fratres ſuos docuiſſe, cujus poſtea exemplum alii fuerint ſecuti. In Germania præcipue Fuldenſe atque Hirſchfeldenſe, tum & Hirsaugienſe, Scaffnabrugenſe aliaque floruiſſe monaſteria literarum cultu inclyta. In Gallia quamplurima ſcholis academiisque inſtructiſſima Launoyum pridem indicaſſe. Porro nec Concilia, nec Papas ſtudia c. XII.
monaſtica prohibuiſſe, ſed ſuaſiſſe multo magis, probat ex Concilio generali Viennenſi, Colonienſi, Tridentino, ut & Conſtitutionibus Clementis V. atque Benedicti XII. Poſt abuſus ſtudiorum monachalium c. XIII.
examinat, tantique eos momenti eſſe non putat, ut omnibus in univerſum literarum cura ſit abjicienda. Neque enim ſic humilitati atque pœnitentiæ derogatum iri, neque ſupervacaneis diſputationibus contentionibusque viam aperiri, aut a laboribus conſuetis abſtrahi Religioſos, dummodo juſtus ſtudiorum finis ad virtutes atque pietatem ducens rite obſervetur. Operarum vero manuariarum loco, quas, uti c. XIV.
pluribus commonſtrat, magnopere ſibi commendatas Monachi habere debeant, ſtudia nonnunquam aſſumenda, librisque conſcribendis dandam ſuadet operam. Ita enim & otium evitari, cujus gratia laborem Benedictus Monachis impoſuerit, & mentem a perniciofis cogitationibus abſtrahi. Eundem porro morem apud Græcos pridem tra- c. XV.
ditum & per ſingula continuatum ſecula, multorum exemplis probat, quos vel monaſticam amplexos vitam ſtudiis in ea nihilominus inclaruiſſe, vel prima ſaltem literarum rudimenta monaſteriis accepta tuliſſe conſtet. Ad Latinos denique dum pergit, ingens volumen vix fu- c. XVI.
turum ſatis ait, ad deſcribendum omnes eos, quotquot a Pammachio, quem primum inter Monachos in prima urbe vocat Hieronymus, in literis gloriam ſint conſecuti. Imprimis in Gallorum monaſteriis, non virtutibus ſolum, ſed doctrinæ etiam ſcientiisque locum ſemper fuiſſe,

maxime teſtari Lirinenſe atque Arelatenſe, cum & Maſſilienſe, Viennenſe, Luxovienſe, Fontanellenſe, Corbeienſe, Turonenſe aliaque monaſteria. In Anglia Pelagium funeſtum equidem, ſed certum tamen, rectius Gildam cognomento Sapientem, Bedam Venerabilem & Alcuinum præbere exemplum. Italiam, Hiſpaniam ac Luſitaniam Gregorium præcipue Magnum reddidiſſe celebrem. Germaniam vel unicum Fuldenſe monaſterium, cui tamen Corbejenſe, Hirsaugienſe aliaque addi queant, ſatis illuſtraſſe. Omnibus vero his palmam præripere ordinem S. Benedicti, utpote qui ſolus fere literas pluribus in Europa ſeculis conſervarit.

c. I. Hæc ita cum oſtendiſſet, ad *ſecundam partem* progreditur, docetque, quænam Monachis ſtudia cumprimis, & quibus ea modis ſint tractanda. Hic ſub initium difficile cenſet atque arduum, certa ſtudiorum genera præſcribere, præſertim cum nec ingenia omnibus ſint eadem, nec ordines ſinguli eandem inſiſtere viam habeant neceſſe. Nihilominus in genere moneri illud poſſe, quod paria ſemper cum Eccleſiaſticis, quorum fere unicum in Scripturæ, Patrum ac Conciliorum lectione conſiſtebat ſtudium, fecerint, utque eo melius ſuperioribus ſcientiis ſe præpararent, inferiores primum qua par erat induſtria addidicerint.

c. II. Scripturæ ergo ſacræ ſtudium quod attinet, nunquam illud omittendum ſuadet. Eſſe tamen ait libros quosdam, quorum lectio familiaris magis eſſe debeat. Baſilium, Nilum atque Iſidorum Novi Teſtamenti libros non immerito præferre reliquis, quod imprimis ad compunctionem ii faciant, atque hinc junioribus præ ceteris ſint legendi: Caſſiodorum vero Pſalmos etiam ac Prophetas addidiſſe;

c. III. ſingulos non excluſiſſe reliquos. Poſt Scripturam Patres etiam ejusdem interpretes non omnino negligendos cenſet, nec tamen absque diſcrimine omnia eorum opera aſſumenda. Itaque exponit pluribus, quænam præcipue Patrum ſcripta & quo ordine ſint legenda, adultioribus Tractatum de lectione Patrum Eccleſiæ, Pariſiis A. 1688. editum commendans.

c. IV. Speciatim ad Poſitivam ac Polemicam Theologiam rectius imbibendam Patres ſingulos, vel ſecundum temporum, vel materiarum ordinem legi jubet; poſteriorem tamen uti breviorem, ita fortaſſis utiliorem exiſtimat, ſimul de ſingulis articulis in ſpecie qui

c. V. ſint legendi, monſtrans. Ab his progreditur ad Notitiam Conciliorum ac utriusque Juris, & ex quibus Scriptoribus hauriri ea commodiſſime

ſime queat, oſtendit. Scholaſticam Theologiam multis inutilibus, c.VI.
miſerandis, puerilibus, & ſanctiſſimæ religionis gravitate indignis de-
formatam quæſtionibus,non diffitetur; eam tamen tanti olim habitam,
noſtro ſeculo longe magis eſſe purificatam ait. Hic ſummam D.
Thomæ, ſub quo Theologia novo primum habitu induta fuerit, com-
mendat,eique *Epiſcopii* Inſtitutiones Theologicas,aliquot tantummo- p. 288.
do locis exceptis,non dubitat adjungere, ac ſingularem poſtmodum
in ſtudio Scholaſticæ Theologiæ feliciter progrediendi methodum
communicat. Eandem cum Scholaſticis, imo pejorem Caſuiſtarum c. VII.
quoque ſortem fuiſſe ait, atque hinc Monachos in legendis iis tempus
non perdendum cenſet, ſed illud ſtudio potius Hiſtoriæ eccleſiaſticæ
atque profanæ impendendum,quæ majoris uſus ſit futura. Itaque c. VIII.
poſt Hiſtoriam monaſteriorum & Acta martyrum Hiſtoricos Græcos
pariter ac Latinos, (a quibus nec profani ſint omnino excludendi,quo-
rum Hiſtoria,Auguſtino judice, multum ad intelligendam Scripturam
conferat,) conſuli jubet, ſimul quæ obſervanda ſint Hiſtoricos lectu-
ris, aliquot regulis tradit. Philoſophiam quoque non omnino ad- c.IX.
ſpernandam judicat, ita tamen,ut præjudicia tollantur,& non niſi ve-
ritatis ſtudio totum negotium ſuſcipiatur. Medicinæ, niſi in quan-
tum ad corpus conſervandum faciat,nullam ſuis cognitionem conce-
dit. Eos qui jam antequam monaſticam ingrederentur vitam, Phi- c. X.
loſophiæ placita perceperint, ulterius iisdem invigilare non arbitratur
neceſſarium. Qui vero plane ἄμουσοι acceſſerint, eos prudentis in-
formatione magiſtri habere opus. Politioris literaturæ ſtudia, quan- c. XI.
doquidem ad Patres intelligendos atque veritatem contra adverſarios
tuendam multum conducant,non penitus omittenda,ſobrie tamen,& c. XII.
non ad oſtentationem, ſed neceſſitatem potius tractanda. Stylum
non ad ſuperſtitionem usque poliendum; pronunciationem diſtinctam
atque gravem, in ſacris præſertim actionibus, ſequendam; Manuſcri-
pta ſæpius, at cum circumſpectione quadam,conſulenda; Inſcriptio- c.XIII.
nes atque Numiſmata non adeo ſollicite inquirenda; Criticam deni-
que,cujus aliquot proponit regulas, non ſine magno multijugæ lectio-
nis apparatu, judicioque limatiſſimo ſuſcipiendam judicat. Memo- c.XIV.
riæ ut eo conſulatur rectius,Adverſaria a ſuis colligi,inque iis quicquid
obſervatu dignum ſeſe offert,paucis notari cupit, ita tamen ut ad fidei
dogmata, ethicam Chriſtianam, diſciplinam eccleſiaſticam ac hiſto-

riam

riam monaſticam pleraque referantur, neque ſtatim ſimul ac occurrerint, ſed probe, etiam per dies aliquot nonnunquam, penſitata in chartam conjiciantur. Ad ſcribendum eos cito proſilire non jubet, eaque
c. XV. componi ſolum præcipit, quæ eccleſiæ, vel ſtatui monaſtico, vel Fratribus ad minimum ſint utilia; reliqua aut plane negligi, aut certe parcius tractari cupit, ne dum in onere ſibi non impoſito occupantur, ab impoſito abſtineant. Inde optimum laborem eum fore, ſi quis aut Græcos Patres Latine, aut ex Latino Gallice vertat, aut aliorum verſiones emendet. Quod ut eo rectius fiat, aliquot, quæ obſervari debe-
c. XVI. ant, regulas communicat. Pergit ad colloquia conventusque Monachorum, in quibus divinas olim lectiones exponere, aut de aliquibus quæſtionibus ſalubriter diſſerere inter ſe fuerint ſoliti; qualia colloquia jam quidem maximam partem in deſuetudinem abierint, com-
c. XVII. mode tamen reſtituenda. Magis neceſſarias judicat ſacras ad populum orationes, iis maxime inſtituendas, qui pietate, humilitate, zelo, tum & doctrina, verbiq; cumprimis divini intelligentia, non vero inani eruditionis oſtentatione, aut eloquentia interno ſenſu deſtituta aliis præſtent. Ad quas Catechiſationes, majoris etiam hic uſus futuras, nec adeo, ut quidem ſub initium videri queat, faciles, omnino re-
c. XVIII. quirantur. His ita expoſitis, nunc denique quo pacto juniorum ac
XIX. novitiorum ſtudia, tam Philoſophica, quam Theologica ſint ordinanda, qui libri iis legendi, quæ exercitia ſuſcipienda monet; iisque regulas
c. XX. peculiares etiam præſcribit, qui tantum jam in ſtudiis profecerunt, ut absque cortice natare, h.e. ipſos ſectari fontes, & Scripturam pariter ac Patres in linguis originalibus legere queant. Hic Auctores juxta ſeculorum ordinem enarrat, & quid in quolibet ſit attendendum do-
c. XXI. cet. Claudit partem hanc ea indicando breviſſime, quæ Superioribus, quorum arduum officium graphice depingit, ſint lectitanda. Ubi totam quidem Scripturam una cum Regulis Monaſticis, maxime tamen Ezechielis caput XXXIV, Johannis X, Epiſtolas Pauli ad Titum ac Timotheum; e Patribus Gregorii Nazianzeni Orationem I, Chryſoſtomum de Sacerdotio, cum Epiſtolis Vitisque Sanctorum Monachorum, præ omnibus autem Gregorii Magni ac Bernhardi Opera quotidie ante oculos habenda præcipit.

In *Parte tertia* de Fine ſtudiorum Monachalium duplici agit, nempe veritatis cognitione, ac charitate cum voluntatis atque mo-

rum

rum emendatione conjuncta, abſque quibus doctrina omnis inutilis ſit ac perniciosa. Obſtare vero fini huic ait partim inanis gloriæ cupiditatem, partim curioſitatem nimiam, partim veræ ac legitimæ attentionis defectum: quibus omnibus tum intentionis puritas, tum devota ac quotidiana oratio mederi poſſit. His alios adjungit fines minus principales, nempe ut tempus recte collocetur, ut officio ſatisfiat, ut animus ſanctis cogitationibus piisque affectibus repleatur. Tandem quærit, an non ſtudiorum Monachalium finibus accenſeri queant prædicatio ac ſcriptio, utpote quæ directe proximi utilitatem ſpectare videantur. Exiſtimat Auctor, cum vix ea absque oſtentatione aliqua, aut gloriæ cupiditate obtinenda ſint, rectius facturos Monachos, ſi ſemet ipſos ante omnia reſpiciant, neque prius ad proximum referre velint ſtudiorum fructum, quam divino nutu eo impellantur; cum alioquin non levibus tentationibus ſe nimii horum affectatores exponant. c. II. c. III. c. IV. c. V.

Subjunxit his, quam Part. II. c. XX. promiſerat, Enumerationem præcipuarum difficultatum, quæ in lectione Patrum, Conciliorum ac Scriptorum denique Eccleſiaſticorum cujusvis ſeculi queant occurrere, ubique fere additis Auctoribus, qui has difficultates uberius explicarunt, & propriis nonnunquam obſervationibus. Ita Sec. VII. ex Epiſtola Columbani, quam reperiri ait in Epitome operum ejus à Flemingo concinnata, & Lovanii A. 1667. in fol. edita, probat, Concilium in Gallia circa A. C. 600. in cauſa Paſchatis fuiſſe habitum, cujus tamen Le Cointe in Annalibus nullam plane fecerit mentionem, neque aliunde etiam cognitio hauriri queat. Agmen claudit Catalogus librorum ſelectorum, præſtantiſſimarumque eorum editionum, componendæ Bibliothecæ Eccleſiaſticæ cumprimis inſervientium, ſingulari ſtudio ac labore congeſtus.

TRACTATUS DE OFFICIALIBUS BARONUM, Civilem & Criminalem Juriſdictionem habentium, vel Civilem tantum, aut ſolum Criminalem, Auctore Franciſco Joſepho de Angelis a Scanno.

Neapoli apud Franciſc. Benzi, 1689. in fol. Alph. 5.

SI ullus unquam multis homonymiis expoſitus multisque difficultatibus implicitus fuit, certe ille eſt, qui de jurisdictione inſcribitur

& tractat juris articulus. Sive enim jus vetus civile Romanum, ſive modernum reſpiciamus, tot in utroque nodos, tot a ſe invicem differentias offendunt nonnulli, ut exinde ſe vix expedire, vel certi quid ſtatuere queant. Optime itaque de Jurisprudentia mereri illi exiſtimandi ſunt, qui intricatam hanc jurisdictionis doctrinam juxta genuina principia curatius excutere, ac præprimis ex loci, quo degunt, conſuetudine & ordinationibus dijudicare ſatagunt. Quibus merito ſuo accenſendus eſt præſentis tractatus Auctor Nobiliſſimus, qui non quidem univerſam jurisdictionis materiam, ſed illam ſaltem, quæ aliis mandata eſt, excolendam ſibi ſumſit, & quid tam quoad theoriam, quam potiſſimum praxin, in variis circa demandatam jurisdictionem vel criminalem & civilem ſimul, vel alterutram obvenientibus caſibus obtineat, late expoſuit. Sed digitum maxime ad ſuam, in qua vivit, regionem, Neapolitanum ſcilicet Regnum direxit, ac quoniam, ut ipſe fatetur, ejusmodi fungitur officio, ſingula fere, quæ tali officiali ibidem expedienda incumbunt, ſpeciatim perſequitur, eumque hinc inde formulis tum Latinis tum Italicis inſtruit, ut habeat, quo in neceſſitatis caſu recurrat, ne forte contra receptos mores vel Curiæ ſtylum ullo modo impingat. Licet vero in eorum gratiam, qui Neapolitani Regni tractant judicia, hoc conſcriptum ſit opus, nulli tamen dubitamus, quin & in noſtris foris verſantibus aliquem præbere uſum poſſit.

Η ΘΕΙΑ ΓΡΑΦΗ, ΔΗΛΑΔΗ ΠΑΛΑΙΑΣ ΚΑΙ ΝΕΑΣ Διαθήκης ἅπαντα.

DIVINA SCRIPTURA,

nempe

VETERIS AC NOVI TESTAMENTI OMNIA, A viro doctiſſimo & linguarum peritiſſimo diligenter recognita, & multis in locis emendata, variisque lectionibus ex diverſorum exemplarium collatione decerptis, & ad Hebraicam veritatem in V. T. revocatis aucta & illuſtrata.

Παλαὶ μὲν ἑτερώθι τυπωθεῖσα, καὶ νῦν πρῶτον ἐκδοθεῖσα. Ενετίησι παρὰ Νικολάῳ Γλυκεῖ τῷ ἐξ Ἰωαννίνων. ΑΧΠΖ.

Olim

Olim quidem alibi excuſa, & nunc primum impreſſa Venetiis, apud Nicolaum Dulcem Ordinis Johann. 1687. in fol. reg.

Conſtat Alphab. tribus, ſex triernionibus.

VAriæ editiones Bibliorum Græcorum extant, quas inter etiam in Germania noſtra ſuperiori ſeculo, Argentoratenſis jam ab anno 1526, ac Baſileenſis, & hæc quidem cum textu Latino, in octavo, ut vocant, anno 1582. excuſæ laudem merentur. Hoc vero decurrente ſeculo in Anglia quidem & Belgio non una forma impreſſa ſunt, cumprimis portatili illa; apud Germanos vero, quod ſciamus, adhucdum id inter deſiderata eſt, licet ſummo ſtudio commendatum bibliopolis omnibus peculiari alloquio a *Zacharia Roſenbachio* in Lexico in LXX interpretes & libros apocryphos, A. 1634 impreſſo, *p. 197.*

Duplex in illis textus cumprimis occurrit, non inſigni adeo differentia, aliis Aldinam ſecutis editionem, ut in dictis prioribus illis & dicenda jam, aliis Romanam, ad exemplar Vaticanum, quod in recentioribus alteris hodie ſecuti ſunt magis editores. Operæ vero pretium eſt, notare editionem hanc Venetam, cujus titulum dedimus. Sequitur eadem *κατὰ πόδα* & per omnia editionem Wechelianam, (adeoque & Aldinam laudatam,) Francofurti A. 1597 impreſſam cum variis lectionibus, accurante, ut non ſine ratione conjicere licet, *Sylburgio*, editam.


Duplici ſaltim differt nomine; præfatione, ſeu dedicatione potius Græca, ad Johannem Serbanum Cantacuzenum, cujus munificentiam in diſtribuendis libris pro ſacris eccleſiis deprædicat; & additamento alphabeti & plagulæ unius, *σύνοψις τῶν περιεχομένων ἐν τοῖς κεφαλίοις τῆσδε τῆς θείας γραφῆς, Synopſis contentorum in capitibus hujus ſacræ ſcripturæ* inſcripto, velut indice pleniſſimo. Non aliter ac apud nos etiam ſeorſim excuſa viſuntur ſimilem in modum ſacrorum Bibliorum ſummaria. In exempli vicem capitis 1 Geneſ. hæc eſt Synopſis: *κεφαλ. α. περὶ τῆς τοῦ κόσμου δημιουργίας. τῆς διαιρέσεως καὶ καλλονῆς τῶν κτισμάτων. καὶ τῆς πλάσεως τοῦ ἀνθρώπου. καὶ ὅτι πάντα ὑπέταξεν αὐτῷ ὁ θεός. Φυλ. 1. De mundi opificio; diviſione & pulchritudine creaturarum; formatione hominis; quodque omnia ipſi ſubjecerit Deus. Fol. 1.*

MERCURII IN SOLE ANNO M DC XC, D. XXXI. OCT. ST. VET. VISI, OBSERVATIONES.

IN votis quidem nobis erat, rariſſimi hujus phænomeni hiſtoriam, a curioſis ejusdem obſervatoribus conquiſitam, Aſtrophilis quantocyus, & antequam novitatis gratiam exueret, communicare: ſed dum ſperatas hinc inde obſervationes fruſtra præſtolamur, id temporis nobis effluxit, ut eo quo conſtitueramus loco, hoc eſt in menſibus Actorum, eandem exhibere jam non amplius ſit integrum. Cœleſtium tamen rerum ſcrutatoribus non ingratum fore perſuaſi ſumus, ſi eorum quæ Amicorum ſtudio & humanitati accepta debemus, etiam poſt tantum temporis intervallum, vel in his Supplementis participes redderentur. Quamvis autem quæ a Clariſſimo *Kirchio* habemus, ipſe jam *Ephemeridibus* ſuis *ad annum 1692* inſeruerit: iis tamen, ad quorum manus eæ non pervenere, repetita earundem publicatione inſerviendũ duximus. Junximus his obſervationes Reverendi P. *Kochanski*, & Domini *Wurzelbaueri*: nec indignam cenſuimus, quæ his annecteretur, obſervationem ruricolæ cujusdã, in vicinia noſtra habitantis, qui naturæ quodam inſtinctu ad Aſtronomica ſtudia propenſus, jam ab annis inde aliquot inſpectandis cœli ſiderumque viciſſitudinibus attentiſſime incubuit, cœloque favente hunc etiam Mercurii incurſum in Solem animadvertit.

Excerptum ex literis R. P. A. A. Kochanski *Warſaviæ 10. Nov. ſt. n. 1690. datis.*

Solito lætior mihi dies illa Novembris illuxerat, quod Horizontem ortivum ſereniorem paucisque nubeculis infuſcatum cernerem. Cum ergo domui noſtræ Varſavienſi, ortus hyemalis plagam templum Parochiale obſtruat, me ad arcem Regiam contuli; ubi capto in aula ſcenica commodo loco, absque mora Solem ipſum prorſus innubem cernens, eundem per Teleſcopium Romanum, quod olim celeberrimus *Euſtachius Divini* paraverat, intuitus, interpoſitis tamen ad attemperandos Solares radios, quaternis tabulis ſpecularibus Veneris, ſaturati viroris, diſtinctiſſime conſpexi maculam nigram rotundam & quidem in ambitu ſuo accurate terminatam: tubus enim is opticus quanquam haud longior tribus pedibus Rhenanis cum quadrante, computatis una tribus lentibus ocularibus, egregie tamen objecta repræ-



plem.
30
40
50
60
70
80
90
Via Mercurii
Ecliptica.
Latitu
Ingressus

Fig 2.

Fig. 4.

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

præſentat, ipſos etiam comites Joviales hybernis noctibus illuni ac depurato cœlo. Situm igitur Mercurii in diſco Solari, non quidem ullis inſtrumentis, ſed ſola oculi æſtimatione deprehendi, qualem *Fig. Prima* exhibet (in qua lineæ oblique ductæ & punctis expreſſæ, a me tunc mente conceptæ ſunt, ut ex earum interſectione Locum Mercurii in Diſco Solari memoria firmius retinerem, non ut tramitem vel orbitam curſus Mercurialis exprimerem; hæc enim ex una inſpectione obtineri non poterat) inſpectoque ſub idem tempus Sciatherico penſili mecum allato, quod conſtat duabus armillis æneis auro oblitis, Meridiano videlicet & Æquatore, cujus axis mobile gerit foramen pervium, eſtque opus Anglicum peritæ manus, inveni Horam apparentem 8, cum Minutis 45 vel 48 proxime. TAB. V. Fig. 1.

Verum cupidus ſpectandi hujus Phænomeni per Teleſcopium pedum 18, & illud quatuor vitris inſtructum, dum mirarer, id præter ſolitum, omnia confuſe referre, ac proinde in lentibus ocularibus debite diſponendis diutius immoratus, nequicquam tamen proficerem, (Vitrum quippe Objectivum incuria famuli Tubum bajulantis, ſede ſua motum oblique conſtiterat, quod tandem ſerius deprehendi) Mercurius interea temporis, quod ipſi ſolemne eſt cum turba Alchymiſtarum, me ſpemque meam deluſit hiantem, atque a Syzygia Solari abiit, exceſſit, erupit, evaſit. Spectarunt illum vicibus alternis duo Juvenes Ordinis noſtri, quos privata inſtitutione Matheſeos Elementis imbuendos ſuſcepi; hi, dum ego cum Teleſcopio illo majore luctarer, identidem exclamabant; video illum ad marginem Solis: quod ego platice dictum ratus, exiſtimabam mihi tempus abunde ſuperfore, pro appulſu ☿ ad Limbum ☉ diligentius obſervandum: At paulo poſt inſpecto Sole, hunc omni parte illuſtrem comparere, plurimum indolui. Conjecturam tamen prudenter inſtituendo, dixerim limbum Solarem a Mercurio peregrinante, Hora IX Solari, quam proxime ſuperatum eſſe. Latitudinem porro Urbis Varſavienſis, a *T. Livio Burattini*, viro in Mathematicis verſato, deprehenſam eſſe Grad. 52 cum 15 minutis, ex ipſomet, dum ſupereſſet, audiviſſe memini. De Longitudine certi nihil auſim pronunciare.

Excerptum ex Ephemeridibus Godofredi Kirchii *Anni 1692.*

Erfordiam delatus, quoties noꝺe obſervationem prægreſſa ſerenitate frui licuit, fixarum quarundam conſectabar altitudines, quas cum Solis altitudinibus poſt egreſſum Mercurii obſervatis, ſequens Tabula oſtendit:

Ordo obſervationum.	Tempora ſecundum Horolog. Oſcillator.	Altitudines.	Tempora ex altitudinibus ſupputata.	Differentiæ.	Ordo Obſervationum.	Tempora Secundum Horologium Oſcillator.	Altitudines Solis.	Tempora ex altitudinibus ſupputata.	Differentiæ.
	H. ′ ″	Gr. ′	H. ′ ″	′ ″	Calcul	H ′ ″	G. ′	H ′ ″	′ ″
		Proc.			21 f	7.40. 0	obſerv.	7.43. 0	3. 0
1	2. 9. 0	38. 5	2.16. 5	7. 5	22 e	7.45. 0	g.	7.48. 0	3. 0
2	2.12.30	38.25	2.19.17	6.47	23 d	8. 7. 0	h.	8.10. 0	3. 0
3	2.14.35	38.40	2.21.40	7. 5	24 c	8.11. 0	i.	8.13. 0	3. 0
4	2.16.20	38.55	2.24.20	8. 0	25 b	8.20. 0		8.23. 0	3. 0
5	2.18.43	39.12	2.27. 8	8.25	26 a	8.24. 0	a.	8.27. 0	3. 0
		Reguli			27	8.55.15	11. 0	8.58.12	2.57
6	2.26.34	26.35	2.32. 3	5.29	28	8.56.45	11. 5	8.59.12	2.27
7	2.28.22	27.10	2.35.54	7.32	29	8.57.34	11.12	9. 0 4	2.30
8	2.34.14	27.55	2.40.42	6.28	30	8.58.24	11.17	9. 1. 0	2.36
9	2.36.57	28.15	2.42.53	5.56	31	8.59.13	11.23	9. 1. 56	2.43
10	2.39.16	28.48	2.46.37	7.21	32	9. 0.36	11.32	9. 3. 12	2.36
11	2.41.49	29. 0	2.47.56	6. 7					
		Arct.			33	9. 1.50	11.36	9. 3.48	1.58
12	5.46.43	24.20	5.51.25	4.42	34	9. 2.42	11.47	9. 5.54	3. 2
13	5.48.55	24.42	5.53.42	4.47	35	10. 2.13	17. 4	10. 4.12	1.59
14	5.50.39	24.55	5.55. 1	4.22	36	10. 3.16	17.12	10. 5.44	2.28
15	5.51.58	25. 6	5.56.12	4.14	37	10. 3 56	17.12	10. 5.44	1.48
16	5.53. 3	25.22	5.57.57	4.54	38	10. 4.34	17.20	10. 7.36	3. 2
17	5.54.29	25.30	5.58.49	4.20	39	10. 5.46	17.24	10. 8.28	2.42
18	6.19.53	29. 6	6.21.36	1.43	40	10. 6.15	17.28	10. 9.24	3. 9
19	6.21.21	29.38	6.25. 4	3.43	41	10. 7.51	17.30	10. 9.52	2. 1
20	6.22.35	29.43	6.25.40	3. 5	42	10. 8.46	17.36	10.11.12	2.26
					43	10. 9.35	17.40	10.12. 8	2.33
					44	10.10.53	17.46	10.13.36	2.43

Ipſe Sol quamprimum mihi poſt horam 7, 30 min. redditus eſt, Mercurium tam in Tabella per tubum 13 pedum, quam directo intuitu, per tubum octo pedum, quatuor vitris coloratis inſtructum, ſed fruſtra quærebam. Immutato autem non nihil partium Teleſcopii prioris ſitu H. 7, 40 min. Mercurius in Tabula diſtincte ſatis apparuit, Solari maculæ non abſimilis, & niſi fallit memoria, propior Teleſcopii limbo oblongior, centro vero rotundior videbatur. Hor. 7, 45 min. horologii mei oſcillatorii, attentius Mercurii rimatus ſum magnitudinem, conjectisque in chartam aliquot variæ magnitudinis punctulis, in eadem linea diſpoſitis, eadem cum Mercurio contendebam: eoque puncto, ad cujus magnitudinem proxime accedere videbatur, miſcroſcopii ope omni cura adhibita examinato, diametrum ejus 19 ſecunda non excedere animadverti. Hoc ipſo quoque tempore circa Hor. 7. 45 min. locum Mercurii *g* (*Fig. 2*) in Tabula ſubnotaveram, in limbo Solis inferiori deſignatum; cum ejus diſtantia in ſuperiori Solis limbo non amplior quam 2 min. 45 ſecundorũ, & circiter prope *k*, eſſet: Unde colligere licet, refractionem limbi Solaris inferioris 2 $\frac{1}{4}$ minutis ſuperaſſe refractionem limbi ſuperioris, adeoque diſcum Solarem ellipticum apparuiſſe. Hora 8, min. 7 & 11 Mercurio cum proximo limbo Solis notato, diſtantiaque in diſcum Solis relata, Mercurium in *h* & *i* me deprehendiſſe video. Ab Hora 8. 20 min. nubeculæ tenuiores Mercurium oculis meis abſtulerant, & paulo poſt etiam Solem obſcuraverant nubes: quibus diſſipatis Mercurius Hor. 8, 24 min. limbum Solis attingebat in *a*, totumque ejus corpus Soli adhuc erat immerſum, mox vero nubes quædam labores meos iterum turbabant. Annotaveram tamen antea regionem egreſſus, quam 15 gr. a vertice ſeptentrionem verſus eſſe deprehendi. Si itaque quæratur angulus Eclipticæ cum verticali, tempore memorato egreſſus Mercurii, Eclipticam invenio 43 gr. 25 min. meridiem verſus, quibus ſi addas 15 gr. egreſſus Mercurii a verticali, habebis 58 gr. 25 min. egreſſus Mercurii ab Ecliptica. Si præterea angulum viæ viſæ Mercurii cum Ecliptica ſtatuamus 8 gr. 15 min. quantum calculus ſecundum *Tab. Rudolph.* inſtitutus ſubindicat, non contradicentibus obſervationibus antea factis; nec non Solis ſemidiametrum, quantam recentiſſimæ optimæque obſervationes definiunt, 16 min. 17 ſec. ut & horarium Mercurii a Sole motum 6 min. 2 ſec. quem obſervationes *Dnn.* *Galleti*

TAB. V. Fig. 2.

Galleti & *Halleii* anni 1677 me docuere, ſequentia ex obſervatione noſtra colligere licebit.

	Erfurti.		Uraniburgi.	
	T.Med.	T.App.	T.Med.	T.App.
	H. ′ ″	H. ′ ″	H. ′ ″	H. ′ ″
Ingreſſus Mercurii in diſcum Solis.	4.50.36	5. 0.30	4.54.36	5. 4.30
Appropinquatio centrorum proxim.	6.34.21	6.44.15	6.38.21	6.48.15
Egreſſus Mercurii è diſco Solis.	8.18. 6	8.28. 0	8.22. 6	8.32. 0
Tota Duratio.	3.27.30	3.27.30	3.27.30	3.27.30
Latitudo Mercurii tempore Ingreſſus.	10.53	10.53	10.53	10.53
Arcus inter centra in Conjunctione.	12.30	12.30	12.30	12.30
Latitudo Mercurii tempore Egreſſ.	13.52	13.52	13.52	13.52

Et huic rei magis innitendum eſſe exiſtimo, quam obſervationibus, quæ Mercurium literis *g*, *h*, *i*, in diſco Solis notatum exhibent; viſa enim illa Mercurii via tantum non impoſſibilis mihi videtur, maxime quod magnum nimis cum Ecliptica efficiat angulum: interim tamen optima fide omnia ita ut a me fuere deprehenſa, Lectori communicare volui, nec quicquam auſus fui curioſa emendatione immutare. Viam porro Mercurii, prout eam ex gradu egreſſus colligere licuit, totam delineavi, & ſub literis *f*, *e*, *d*, *c*, *b*, *a*, iis ſemper in locis exhibui, quæ ille in obſervationibus occupare debebat. Quod vero obſervationes *g*, *h*, *i*, cum calculo egreſſus minus accurate conſentiant, id ad refractionem refero, cum aeris, tum vitrorum teleſcopii, qua de re alio loco.

Mercurius in Sole obſervatus Norimbergæ A.O.R. 1690. d. ult. Octobr. Joh. Phil. Wurzelbaur.

TAB. V.
Fig. 3.

	Tempora Horol. Oſcillator.	Tempora ſupputata
d. 30. Oct. p. m.	H. Min. S.	H. M. S.
	6.32. 0. culminat Os Pegaſi	9.28.45.
	9. 0. 0. culm. Cap. Andromedæ.	8.52.17.
	9. 4. 0. culm. Jupiter.	

6.40.0.

d. 31. Oct. a. m.	6.30. 0.	Cœlum undiquaque nubibus obductum ut		
	7.30. 0.	Solis exortus obſervari nequierit.		
	8. 0. 0.	Nubes ab occaſu verſus ortum propelluntur, & vi ventorum ibidem ad horizontem conſtipantur.		
	8.30. 0.	Sol e nubibus emerſit. Mercurius in diſco ejus ſuperne a verticali ad dextram, revera ad lævam, diſtans plus quam dimidio digito a limbo, exituriens apparet.		
	8.36. 0.	Mercurius poſtquam undulanti Solis limbo ad Min. temporis circ. adhæſitavit, exit ad 14° a Zenith Septentrionem verſus.		
	8.49. 0.	Altitudo Solis	10. 5.	8.38.38.
	8.59.45.	Altitudo Solis	11.10.	8.47.48.
	9. 7.10.	Altitudo Solis	12.10.	8.56.24.
	9.50. 0.	Altitudo Solis	16.28.	9.38. 7.
	11. 1.30.	Altitudo Solis	21.31.	10.46.32.
	12. 0. 0.	Obſervationem Solis meridianam cœlum nubilis denuo obductum denegavit.		

Ratio diametrorum Solis & nuclei Mercurii, dum lucido Solis diſco immorabatur, quantũ per auram haud ſatis defæcatam conjici poterat, erat ut 1000 ad $8\frac{1}{2}$. Poſt autem quam ad limbum Solis pervenerat, ejusque limbo undulanti ad minutum fere adhæſitaret, & genuinam rotunditatem ſuam (quæ antea ex luce diſci Solaris formam quaſi ellipticam mentiebatur) recuperarat, erat ut 1000 ad $12\frac{1}{3}$.

Idem Mercurii tranſitus ibidem *a Domino Sebaſtiano Braunio* obſervatus, exitum ex diſco exhibuit Sole 8°. 45 alto, hoc eſt Hor. 8. 27.40.

Eadem Obſervatio Sommerfeldiæ, pago a Lipſia milliari Germanico meſocaciam verſus diſtante, a Michaele Arnoldo (quem heri, die nempe 15 April. anni hujus 1695 e vivis excesſiſſe, dum hæc ſcriberemus, inviti accepimus) habita Die 31. Oct. ſt. vet. 1690.

Poſtquam Sol mane ex nubibus, circa Horizontem ortivum conſiſtentibus emerſiſſet, capta ejus altitudine 50 minutorum, ſtatim perpendiculi mei vibrationes, quarum undecim 10 ſec. reſpondent, ope alterius adminiſtri numerare occepi. Quanquam vero tunc tempo-

ris Sol conſpicuus eſſet, aura tamen non usque quaque defæcata, Mercurium non ſtatim deprehendere potui. Cæterum ſpeciem Solis per tubum 11 pedum micrometro inſtructum in alba Tabella, cujus magnitudinem *figura 4* refert, excepi; extremis diſci duobus digitis in quinque partes diviſis, appenſo etiam pro retinendo ſitu Tabellæ verticali, perpendiculo. Pro determinanda Mercurii magnitudine, deſcriptis in charta diverſis rotundis punctis aut orbiculis diverſæ magnitudinis, iisque umbræ Mercuriali applicatis, diameter ejus 135tam partem diametri Solaris æquare, adeoque 15 ſec. fere, mihi viſa eſt. Exitum ejus ex diſco Solari nubes poſt quintam Mercurii ſtationem plagam orientis infeſtantes, intercepere; quæ toto reliquo antemeridiano tempore Solem obtexere.

TAB. V. Fig. 4.

Vibrat. perpend.	Obſerv. Mercur.	Altit. Solis.		Temp. Vibrat.	
		°	′	′	″
0.	- - -	0.	50.		
600.	1.	- - -		9.	6.
1000.	2.	- - -		15.	10.
1500.	- - -	3.	45.	22.	45.
2100.	3.	- - -		31.	51.
2200.	- - -	5.	7.	33.	22.
2600.	4.	- - -		39.	26.
2800.	Diam. Solis.	vertic.		32.	20.
		horiz.		32.	36.
3400.	5.	- - -		51.	34.

ΖΑΜΟΛΞΙΣ

PRIMUS GETARUM LEGISLATOR, ACAdemica Diſſertatione luci publicæ reſtitutus &c.

Auctore CAROLO LUNDIO.

Upſaliæ typis Henr. Keyſer/ 1687 in 4. Alph. 1 plag. 6.

DEdicavit Scriptum hoc Autor doctiſſimus Regi Sueonum Gothorum & Vandalorum Sereniſſimo ac Potentiſſimo, Domino CAROLO XI, præmiſitque illi *carmen Græcum in antiquos antiquarum*

quarum Legum Geticarum conditores. In Prooemio, quo Legentem ſalutat, redarguit eos, qui minus recte ſe feciſſe credituri ſint, quod initia legum Geticarum ad SAMOLSEN (ſic enim verius ſcribi) retulerit. Sibi vero animum fuiſſe ait, accuratiorem exhibere collationem legum patriarum & Atticarum antiquisſimarum, ut cuivis manifeſtum eſſet, jus alterum ab altero deſumptum: ſed hoc ſibi non licuiſſe, cum etiam aliud quoddam ſeparatum volumen tanti momenti conatus requirere viſus ſit. Quæ in Diſſertatione deſiderari posſint, curis ea poſterioribus certis de cauſis reſervata ſe velle profitetur. *Capite primo,* membraneos ait codices cum cæteris etiam manuſcriptis p. 2.
originem legum patriarum ad *Samolſen* referre, quem licet unus & alter qui ſit homo, ac natus nec ne fuerit unquam, neſcire ſe dicant, saniores auctores tamen pluſculi tradant ortum terra Thracia, quam *Getæ* tunc temporis incoluerint, tempore procedente *Gothi*, antiquioribus etiam ſeculis *Scythæ* appellati; quod *Meſſenius* evincat, & aliorum etiam præclarisſimorum virorum, quos adducit, autoritate confirmetur. Moxque nominis *Getarum*, *Gothonum*, & cognatorum nominum o- p. 3.
riginem exhibet, & *Suiones* etiam *Suevique* ac affinia his unde nuncupentur, disquirit: hanc *Odino*, qui etiam *Suidor* dictus, aliisque multis nominibus gaudeat, appellationem deberi negantes confutans, allegando pro ſe *Eddam*, quam una cum aliis libris non paucis, ſingulari cura & benignitate celſisſimi Herois ac Comitis, Domini *Magni Ga-* p. 4.
brielis de la Gardie, Academia Upſalenſis jampridem posſideat. Et liquere quidem ait ex Autoribus gravisſimis citatis, Majores ſuos toti p. 7.
Europæ ad Ægyptum & Etruriam usque, nec non Scythiæ minori ad Mæotim imperitaſſe, jaculandi peritia cæteris quibuscunque gentibus p. 9. 10.
præſtantes, qui legitimam filiorum bello potisſimum ferocium & me- p. 17.
liorum ter duodenis arcubus abſolverint, non tam ad ſignorum imitationem cœleſtium & aſtrorum, quam XII venerationem Deorum, & hinc *Scythæ* appellati ſint, quod in legibus priſcis Skuta Latino *ſagittare* planisſime reſpondeat. Mentionem ante injecerat *Vallis Elyſiæ* (Glyſis dal, Elyſis dal, Liusdal) Ovidio memoratæ, nec non *cam-* p. 11.
porum Elyſiorum (Glyſis hed, Elyſis hed, Liushed) qui Virgilio aliisque decantati ſint, & in Sueonia ſua, in regione Helſingiæ, reperiantur. Quare a Gothico lyſa & å ſ. e. & lius, liuſis ſive lyſis, originem cenſet omnino petendam, quod æſtivo tempore campi hi ſemper lu- p. 12. ſq.

Nn 2 cen-

centes conſpiciantur: indeque locum Poëtarum fabellis factum. Qui-
p.14. bus campis Virgilius *Stygios lacus*, a Gothico *Styg*, & verbo *Styggias* formidare, & *nigra Tartara*, a ταρταρίζειν, quod eſt gelu tremere, lu-
p.17. culenter opponat. Addiderat quoque *Atlanticos*, *Hyperboreos* atque etiam *Elyſios* terrarum tractus dierum productiorum longitudine a vetuſtisſimis quibusque ſcriptoribus quam optime deſignari. *Capi-*
p.21. *te ſecundo* docet, cur *vagina nationum* Jornandi *Scandinavia* dicatur. Getas enim ſive Gothos, qui iterum & ſæpius ante & poſt N. C. arma longe lateque per orbem victricia circumtulerint, e Gothia ſua egresſos eſſe, argumentis plurimis prorſus evinci tradit. Confirmatque id 1. *monumentis Poëtarum veterum*, quos ſuæ gentis homines appellarint *Scalldos*. 2. *concentu hiſtoriarum patriarum librorumque annalium.* Ut *Olaus Petri* merito ſic, ipſo judice, deſeratur, qui ſolus
p.22. ex aliis atque aliis terris Gothos iſtos educere conetur. 3. *Communi ſcriptorum exterorum conſenſu.* 4. *Legibus Oſtrogothorum in Italia, & Viſigothorum in Hiſpania*, præter alias bene multas Longobardorum, Burgundionum, Francorum, Alemannorum, aliarumque gentium, quæ ſeipſæ oſtendant. His adjici cupit confirmationem Regis CAROLI IX. legum R. Chriſtophori communium: nec non Stiernhielmii præfationem in leges W-Gothicas auctoritate publica non ita pridem editas, collato præcipue Codice legum antiquarum Lindenbrogii. Nec prætereundum putat, quod in oratione ſua de Sueonum Gothorumque vetuſtate & fortitudine militari concinne perſequatur
p.23. Illuſtr. *Johannes Skytte*, de legibus hiſce Gothicis erudite diſſerens. Sed & plura cerni ait monumenta virtutis antiquæ Gothorum ſuorum per Italiam paſſim aliaque regna, quæ maximam partem, ſuæ occaſione peregrinationis cum conſilio riteque inſtitutæ, in Diariis ſuis, qua ingenii ſit felicitate pariter ac induſtria, fideliter adnotata ſervet Nobilisſimus Juvenis *Johannes Gabriel Sparvenfelt*, lucem forte auſpicatam, Fatis ſic adgubernantibus, tandem viſura. 5. *Legibus patriis omnium antiquiſſimis, & ſigillatim W-Gothicis*, quæ militaris quoque expeditionis, atque in Græciam aliasque regiones migrationis ſat perſpicue meminerint. 6. *Moribus, ritu, lingua, ſacris, & id genus aliis, cum exteris communicatis.* Certe Grotium inquit in Proleg.
p.23. Hiſt. Goth. ad Mæotim & mores & linguam & nomen vigere hodie Gothorum, evincere; a quo nec hoc prætermiſſum, quod plurima

Per-

Perſicæ linguæ nomina Scythæ ortis a ſe Parthis, qui diu Perſidem te-
nuerint, primum tradiderint. Quin de uſu etiam nunc Gothica-
rum vocum in Taurica Cherſoneſo & Præcopenſi Tartaria teſtari vi- p. 24.
ros longe celeberrimos, Melanchthonem, Busbequium, Scaligerum,
Vulcanium, Boxhornium, Rachelium affirmat. Neque diſſimulat,
Verelium non pauca ex iisdem vocabulis plane eſſe Gothica, mon-
ſtraſſe in notis ad additamenta Vulcanii ad Jornandem. Ait-
que poſſe pari ratione cætera, quæ ibidem viſantur, ad eandem referri
originem. Id quod curæ quoque novi libri ejus poſſeſſoris, Viri Cla-
riſſimi *Wolff*, defuncto jam Verelio, conſummandum forte relin-
quatur. 7. *Gentium naturali quadam migratione verſus meridiem*;
quæ verba Cromeri ſint. Nec ſilet hic latitudinem corporis for-
mamque, qua ſcriptores accurati Gothos ab aliis populis diſtinxerint.
8. *Antiſtibus ſacrorum ex univerſo fere orbe Chriſtiano in Concilio Ba-* p. 26.
ſileenſi, qui aſſeveranti hoc *Nicolao Ragvaldi*; tum Wexionenſi Præ-
ſuli, & ad dictum Concilium legato, poſtea vero ſummo Pontifici Up-
ſalenſi, ad unum omnes aſſenſi fuerint. Quibus denique 9. accedat
αὐθεντικῶς legum edita confirmatio CHRISTOPHORI *Regis Sueon.*
Dan. & Norv. quæ etiamnum hodie in tabulario Regni ſervetur. E p. 27.
ſcriptoribus producit *Jornandem*, ipſum Gothum, qui ſua e ſcriptis an-
tiquiorum excerpſerit, *ab Scantiæ gremio velut examen apum erupiſſe*
Gothos referentem, *Procopium, Paulum Warnefridi* Longobardum
qui *Scandinaviam* appellet cum aliis bene multis & Joanne Boëmo de p. 28.
moribus & ritibus omnium gentium L. III. c. 8, *Ptolomæum, Melam,*
Plinium qui *Scandiam* dicat, *Solinum, Iſidorum, Dexippi* libros de
rebus Gothorum τὰ Σκυθικὰ inſcriptos, *Eunapium* cujus de
Scythis tradita verboſius promiſcue Ammianus Gothis & ve-
riſſime tribuat, & vernacula lingua *Ablabium* Gothum: ſed & *Dio-*
nem qui librum de rebus Gothorum geſtis Γετικὸν vocavit, *Zoſimum,*
Zonaram, Trebellium Pollionem, Anaſtaſium, Roſendium Antiquit. Luſit.
Jacobum Bergomenſem Supplem. Chron. *Schedelium* Senenſem Epit.
orbis, Heinſium in Paneg. Guſtavi Magni, *Ferrarium* in Panegyr. Re- p. 29.
ginæ Chriſtinæ. Ubi tacere ſe dicit, quæ de Scythis eorumque
Imperio per orbem longe ampliſſimo *Herodotus, Xenophon, Strabo,*
Diodorus Siculus, aliique aliis atque aliis in locis commemorent. De
Hiſpanis provocat ad *Alphonſum de Villa Diego* in Chron. Goth. Re-

gni; cum quo conſentiant *Rodericus Toletanus* de rebus in Hiſp. ge-
p. 30. ſtis, *Joh. Lupus* de J. & J. Regni Navarr. *Alphonſus Carthag.* anac. Regum Hiſp. & alii. Exitum etiam Gothorum in Italiam una voce fatentes *Italos Latinosque* indicat; & hic verborum *mulctare, mulgere, mulcere* fontem e Scythia inveſtigat. Juxtaque *Halophantam*, vocem apud Plaut. in Curcul. obviam examinat, quæ unde potiſſimum
p. 31. deſcendat, Salmaſius & Scaliger neſciverint. Ipſe tamen hominem ſignificare ait nequiſſimum præcipitis lubricæque fidei, ab *hal* & *fante*; ut neceſſe non ſit cum aliis rectius ſcribi exiſtimemus *Holophantam*, quaſi notetur ὁλοφάντης. *Vadari, convadari, vas, vadimonium* quid potiſſimum intendant, neminem dicit noſſe, niſi ad fontem in Suionia recurrat, ubi etiam nunc placide manans cernatur. Pari modo vocabulorum *Buſtirapi, (Buſt-ei-rapr) Machæræ, ſpennere, tennere*, unde *diſpennere* & *diſtennere, ſocci* ſeu *ſoccæ, ſoli, halli* & *hallicis* pariter a-
p. 32. pud Plautum occurrentium, item *Scurræ* convitii, & plurimarum adhuc vocum, quæ in Ennio, Plauto, Catone, Varrone compareant, in-
p. 33. que aliis legantur, ſignificationem & originem Scythicam excutit. Speciatim monet. *Zythum* ζῦθον Diodoro Siculo, potû etiam Ægyptiorum Æſchylo, Græcam an Ægyptiam vocem ſtatuant, interpretes dubitare: permultos tamen bene deduci a ζέω, quod eſt ferveo, arbitrari: ſed eſſe Gothicam vel inde monſtrari, quod ζῦθος illis ſit ſyth/ſödh; verbum autem eſſe *ſieda, ſiuda*, Germ. ſieden/co-
p. 35. *quere*, quia ſignificet potum ex hordeo coctum. Poſtea *Francos* ſeu *Gallos*, nec non *Trojanos* e Scandinavia exiviſſe, auctoribus plurimis
p. 36. probare nititur, & *Galli Trojæque* quid ſignificent, oſtendit. *Hachen-*
p. 38. *bergium* vero quid humani paſſum eſſe arguit, *Lazium* erroris inſimulantem, quod Trojanos ſive Phryges & Cimbros Francosque unam origine gentem conſtituerit, atque etiam Phryges Cimbrica h. e. Teutonica lingua primum uſos docuerit. Contra laudat *Petrum Trecenſem Gallum*, qui tradat, e Sueonum proſapia *Amazones* proceſſiſſe; ut *O-*
p. 39. *roſius* & *Iſidorus* referant, communi ſcriptorum conſenſu. Et manere dicit etiamnum in Verendia Smalandiæ honorem & antiquæ fortitudinis inſigne: nam & faſciis ſericis militaribus, Feltſtecken/fœminas in conviviis ibidem uti, & ad hæreditatem cum viris ex æquo admitti, cetera promiſcuo mulierum jure agentes. Hinc pergit ad clariſſimum *Seringham*, Cantabrigienſem, qui c. VII. de Orig. Angl. Getas narret,

qui

qui poſtea Gothi nominati ſint, ex Scanziæ peninſula egreſſos vicinas inſulas primos occupaſſe, ac perhibeat Anglo-Britannos ex Saxonibus Anglis & Getis duxiſſe originem. Nec fraudi Scotico nomini eſſe poſſe tradit, ſe Gothorum prolem agnoſcere, quum ipſe Imperator Carolus V. e Scandiæ & Gothiæ tractibus totius Europæ nobilitatem exortam fuiſſe, ſerio dictitare ſolitus ſit, *Camdeno* teſte. Quæ *Munſteri* etiam in Coſmographia ſit ſententia. De Germanis *Paulum Fagium*, ipſum Germanum, teſtem advocat lib. de Meth. Hebr. p. 56. qui a Gothis Theutones prodiiſſe commonſtret, jungique jubet *Guilielmum Poſtellum*. *Verſteganum* autem, qui priusquam in Scanzia gens ulla unquam conſediſſet, colonias eo ex abundante incolarũ multitudine Germania ablegatas prodat, a Clariſſimo *Seringhamo* domeſticis teſtimoniis convictum vanitatis, ejusdem poſtulat. Ita quoque *Suizeros* primordia nominis gentisque docet e *Stumpſio*, *Hachenbergio*, *Julio Cæſare Scaligero*, *Werdenhagenio*, ad Sueviam ſuam jure meritoque referre. Unde etiam *Dani* vicinique reliqui genus ac ſanguinem petierint. Idemque *Moſcovitis*, qui vetere Goth. lingua *Auſturvegſmen*, creditum, *Sigismundum Baronem Herberſteinium* in eorum hiſtoria confirmare innuit: & *Chytræum* affert Præf. Chron. verbis legum Gothicarũ antiquarum, de propagato Gothorum nomine in diſtinctas alias regiones, exacte reſpondentem. Tum quando prima Gothorum facta ſit emiſsio declarat, quæque ſedes fuerint exeuntibus. Ubi præ cæteris allegatis, *Chronicon vetuſtum Sueoniæ* ut videatur, præcipit; progrediturque ad exponendum cauſas ejuscemodi profectionum. Deinde monſtrato huic aſſenſui, ſcriptorum omnium cultiorum gentium vetuſtate roborato, qui oppoſuerint ſe recentiores, quos inter emineant *Piaſecius Epiſcopus Præmislienſis*, *Anton. Bonfinius*, *Goropius Becanus*, *Cluverius*, *Pontanus*, quique annis his proximis ſcripſerint, *Chriſtophorus Hartknoch* Diſſ. III. de Origine gentis Pruſſ. & *Philippus de Waldenfelſe* in Select. Antiquit. a quibus & quomodo refutentur, conſpiciendum præbet: arguens inprimis, adſtructa laxius ubertate Sueoniæ cultisſimi ſoli ac incolarum fortitudine, a *Kranzio*, cujus fidem *Waldenfelſius* elevare ſtudeat, ſtare omnes, qui recte ſentiant. Viſo ſic & cognito progreſſu Sueonum Gothorumque in regiones pene orbis totius diffuſorum, quærit an *America*, uti nunc appelletur, Sueonibus ſive Scythis ſuis prorſus incognita & inacceſſa fuerit?

p. 40. p. 41. p. 42. p. 43. p. 44. p. 45. p. 46. p. 47. ſeq. p. 49. ſeq. p. 53.

fuerit? ſimulque ſeptem præcipuas variorum ſententias de recens ejus
p. 54. detecti orbis incolis recenſet. Ut autem non neget, prima fronte difficultate haud carere, ſi ſtatuatur, non notitiam tantum Scythis ſuis fuiſſe hujus orbis, ſed & ipſum iisdem aditum: variis tamen argumen-
p. 55. ſeq. tis, quæ depromit ordine, induci ſe fatetur, ut ſententiam hanc a veri-
p. 61. tate minus judicet alienam. *Capite tertio* ex *Andreæ Burei* Deſcriptione Sueon. polit. legum W. Gothicarum antiquitatem ſuffulcit, quam fruſtra labefactare contenderit *Herm. Conringius* de Orig. Jur. Germ. c. V. Cujus *argumentum primum*, quod ſubjicit, nimirum ante Ulphilam ne Runicas quidem literas ſeptentrionalibus illis fuiſſe uſitatas,
p. 62. deſtructum it ex hoc capite, quod evidentiſſime monſtret *Joh. Magnus* literarum uſum Gothicarum in patria ſua ex eximiæ magnitudinis ſaxis paulo poſt diluvium erectis. Comprobare idem putat *legem Attinis illius primi*, quam exhibeat *Meſſenius* Sueopentap. c. III. e Chronicis *Johannis Martini*, conſpirantibus etiam membranis legum patriarum antiquisſimis. Imo linguam Græcam eandem, quæ fuerit Gothorum veterum, exiſtimare ait Nobilisſimum *Stiernhielmium* in præfat. ad Ulphilam. Et quo nihil dubitetur, literas ejus linguæ, ut aliarum, Gothis eſſe acceptas referendas, cupit Clarisſimum *Rudbeckium*, affinem ſuum, in Atlanticis conſuli. Sed & probat e Clarisſimo *Salmaſio* de Hellen. homines primos, qui Græciam populis repleverint, & Græcæ linguæ fuerint auctores, e Septentrionali & Scythica plaga eo delatos. *Herodotum* etiam (cujus vulgatum Interpretem hic minus convenientis verſionis accuſat) diſerte teſtantem profert L. V. c. 58. Græcos literas ante uſitatas, Septentrionique debitas, ad ductum Phœnicearum, a Cadmo invectarum, accommodatiores reddidiſſe.
p. 63. Ad *alterum Conringii argumentum*, nempe leges ſcriptas nullas fuisſe Sueonibus & Gothis, antequam iisdem uſi ſint Dani, juris ſui autores principes laudantes Reges Valdemarum primum, alterumque hujus nominis, quorum ille Scanicas & Sialandicas anno 1163, hic Cimbri-
p. 64. cas (ſeu Jutarum) anno 1240 promulgaverit, & has quidem magnam partem ex juris Saxon. ſpeculo acceptas, teſtante *Arnoldo Huitfeldio*, Magno Danici Regis Cancellario præf. leg. prov. Fion. reſpondet, concedi facile, juris illius vel emendatores illos Principes, vel auctores ſtrenuos extitiſſe, ſed prima ipſis initia deberi, vero non eſſe conſentaneum. Hiſtoriasque mittere ſe ait cultisſimæ gentis antiquisſimas, quæ

legum

legum ejuscemodi mentionem fecerint. Quod ad Scanicas ſeorſim attineat, cæteris certe Gothicis perſimiles eſſe contendit, cum & olim Scania pars Regni & cella penaria Gothiæ fuerit, primusque *Amundus Slemme* Rex eandem certis a reliqua Gothia limitibus ſeparari fecerit. Caput autem, quod innuat *Bureus* in Codice Legum W. Goth. ab judicibus variis iſtius regionis collectarum, etiam nunc extare, aperte memorans Gothos in *Græciam*, (quæ in veteribus lapidibus membranisque Girkia, Grikia & Girklandi promiſcue, ſæpe & Grikum, Grikium & Girkium ſcribatur) & *Thraciam* egreſſos. Quod capientes de profectis religionis cauſa in terram ſanctam refellit, ſperans brevi futurum, ut *volumen integrum* ejuscemodi *lapidum Runicorum*, induſtria præſertim Viri ampliſſimi, *Joh. Hadorfii* auſpicato denique ſucceſſu in lucem edatur. Ut alia, quæ capite hoc tertio ſequuntur, brevitatis ſtudio prætereamus, *capite quarto* evincere porro Clariſſimus Auctor nititur, Zamolzin omnino Gothorum olim legislatorem fuiſſe. Qua occaſione varia Herodoti, Laërtii, Strabonis aliorumque idem aſſerentium loca, cum antiquis membranis Gothicis conſentientia excutiuntur. *Capite quinto* Zamolxin Deum quoque Getarum celebratum, & pro Saturno, Hercule, Apolline cultum docet. Ubi ut & in ſequentibus capitibus, *ſexto* & *ſeptimo* varia, quæ ad Mythologiam veterum nominumque origines ſpectant, aliaque notatu digna obvia ſunt, quæ huc tranſcribere e libello, brevi tempore a quovis perlegendo ſuperſedemus. Quemadmodum & ea, quæ capitibus *octavo* & *nono* de Theologia & Philoſophia Zamolxis & veterum Gothorum, ex Edda aliisque monumentis antiquis diſſeruntur, ex ipſo fonte malumus hauriri. Deſinit Auctor Nobiliſſimus in elogio CAROLI MAXIMI hodierni Sueonum Regis, cujus ſumma eo redit, ut *miro* eum *conjunctione & poteſtatis & ſapientiæ eo usque pertendiſſe prædicet; quo virtus vera ſuffulta prudentia, felicibus etiam auſpiciis, unquam poſſit eniti.* p.65.

EXCERPTA EX LITERIS ILLUSTRIS D. MARCHIONIS HOSPITALII ad Joh. Bernoulli, addenda ejus Solutioni problematis æquilibrii in Actis Eruditorum Lipſienſibus A.1695. pag.56. publicata.

Oo Vix

Mich. Sendivogius *Divi Leſchi genus amo*; Johan. Hemelarius *Omnium e alis herens*; Car. Utenhovius οὐθὲν ὁ βίος, Andr. Orthelius ἀνδρὸς ὀρθὸς ἥλιος, alii aliis ſymbolis uſi nomen ſuum celarunt, ejusmodi ſententiam iſtius loco poſuiſſe contenti p. 448. ſq. Cap. XVIII. nominis occultandi profertur modus decimus nonus, quum nempe ſolæ nominis initiales literæ appinguntur, quod apud veteres uſitatum fuiſſe in appellativis etiam nominibus, eorum libri docent, quibus iſta explicantur, Valerii Probi, Mangoni, P. Diaconi, Sert. Vrſati p. 451. In propriis autem vel prænomina, vel cognomina, vel utraque, hac ratione deſignari obſervat, variaque exempla adfert p. 452. ſeq. Judæos, & inter hos Rabbinos, hunc modum præ cæteris amare annotat, apud quos nihil ſit vulgarius, quam ex aliquot vocabulorum initialibus literis integrum fingere nomen, v. g. *Radak*, quod notet Rabbi David Kimchi; *Ralbag*, R. Levi Ben Gerſon; *Rambam*, Rabbi Moſe Ben Maimon; *Ramach*, Rabbi Moſe Cohen &c. p. 459. 460. Eosdem finales etiam literas ita adhibere e Buxtorffii libro de Abbreviaturis Hebr. tradit p. 461. quos imitatus ſit Gulielmus Cambdenus, ſeu William Cambden, qui per M. N. nomen ſuum denotaverit, p. 462. Apud omnes fere Europæ gentes literam N huic uſui inſervire, quando auctores nomen exprimere nolunt, obſervat p. 462. Cap. XIX. duos adhuc nominis celandi modos explicat: vigeſimum, quando extenduntur ſyllabæ, v. g. *Velasquez* loco Vasquez, *Simonville* loco Simon p. 464; vigeſimum primum, quando eædem abbreviantur vel diminuuntur, v. g. *Demas* pro Demetrius, *Menas* pro Menelaus, *Amphus* pro Amphiaraus, *Artemon* pro Artemidorus, *Alexas* pro Alexander, *Theudas* pro Theodorus, &c. Utriusque modi lepidum exemplum adferri a Martiale Lib. VI. ep. 17. annotat. Ultimo capite XX. de corruptione nominum, ex qua complures chimærici auctores ſine exorti, agit; cauſamque depravationis diminutioni ſeu contractioni, aut etiam e lingua altera in alteram trajectioni imputat p. 475. alias corruptionis hujus occaſiones p. 476. ſeqq. profert.

Parte *quarta* Auctor incommoda oſtendit, quæ ex immutatione nominum in eccleſiam & rempublicam literariam redundant. Religioni periculum imminuiſſe cap. I. tradit, quando Socini ἀνωνύ-

μως

μως editus *de auctoritate Scripturæ ſacræ* liber, ceu a Jeſuita Dominico Lopez ſcriptus, fuit creditus receptusque a pluribus iſtius ordinis Theologis p. 488. ſub nomine *Hippophili Melangæi* & *Filippo di Terra nera* editi Melanchthonis, ſub nomine *Gaſparis Caballini de Cingulo* Molinæi, & ſub *Aretii Felini* nomine Martini Buceri ſcripta, p. 490. In familiis pſeudo-principes & pſeudo-nobiles confingi, dum falſa nomina intruduntur, veris exturbatis, cap. II. docet. In re literaria autem plurimam confuſionem naſci, & librorum auctores vel ignorari, vel confundi cap. III. pluribus exemplis docet. Bezam quinquies, Macedonem undecies, Scioppium vicies, larvatos prodiiſſe in publicum, diverſis usque nominibus inſignitos, p. 502. obſervat. Seldenum etiam deceptum fuiſſe, & *Nic. Fabricium Peireſcium* pro Nic. Fabro Ludovici XIII. informatore (quem & ipſum *Fabricii* nomine indigitat Baronius) habuiſſe, p. 505. Proſperum Mandoſium ſimili errore *Eugenium Philadelphum Romanum* Romanis ſcriptoribus in Bibliotheca accenſuiſſe, qui tamen revera ſit P. Annatus in Gallia natus & mortuus, p. 509. Tandem cap. IV & ultimo incommoda enarrat, quæ ad ipſos ſcriptores profecta ſubinde fuerunt ex nominum immutatione; exemplo Bellarmini, quem omnes adverſariorum injurias ſufferre oportuit, quousque *Torti & Schulkenii* tegmine latuit, p. 511. eorum item, qui Paulo II. Pontifici ob nomina mutata ſuſpecti viſi, velut novarum rerum turbarumque auctores, tormentis excruciati fuerunt, quos inter Pomponius Lætus, Platina, Ph. Callimachus Experiens p. 512. Privari præterea mutatione iſtac doctos eo honore, quem e publico applauſu capere poterant, obſervat p. 513. quinimo mortuos aliquando ſuperſtitibus damna intuliſſe ea transformatione nominum, annotat p. 514. ubi exemplum affert *Petri Læti*, cujus vidua quum cauſam ageret adverſus hæredes Comitis de Laval, vix perſuadere ac non niſi productis Scævolæ Sammarthani Elogiis apud judices obtinere potuerit, verum mariti ſui nomen eſſe *Pierre Joyeux*. Tum & accidere nonnunquam, ut quum ſub Anonymi larva adverſarius credat latere alium, in eum, quem ipſe putat, omnem animi effundat bilem: quemadmodum Calvini indignationem paſſus fuerit Franc. Balduinus, quem ſub nomine *Veranii Modeſti Pacimontani* occultari credebat, quum is tamen eſſet Georgius Gaſſander p. 515. Et Theophilus Raynaudus a Barone

Jacobi-

Jacobino habitus pro eo, qui nomen ſibi ſumſerat *Amadei Guimenii*, quum tamen Hiſpanus Matth. de Moya is eſſet, p. 516. Carceres etiam inde ſenſiſſe quosdam, falſo crediti qui ſunt auctores anonymorum ſcriptorum, exemplo *Exegeſeos articuli de ſacra Cœna* demonſtrat p. 516. *Joach. Curai* nomen quæ præfert, ab Urſino Vratislavienſi ſcripta: cujus auctorem cum Caſp. Peucerum credidiſſet Auguſtus El. Sax. & editorem librarium Vogelinum, ambo carcere Dreſdæ mulctati fuerint. Sic quum Alex. Morus librum Petri Molinæi, cui titulus: *Clamor Regii ſanguinis*, Hagæ Comitum absque auctoris nomine curaſſet imprimi, ac nomen ſuum Dedicationi ad Carolum II. ſubſcripſiſſet; maximis injuriis a Miltono & reliquis Cromwellianis fuiſſe petitum p. 517. Trajano autem Boccalino vita conſtitiſſe, quod pro autore *Lapidis Lydii* (quem a Cardinale tamen Cajetano, vel pluribus, ſcriptum exiſtimant alii) habitus fuerit, p. 518. narrat.

Hæc potiſſima ſunt egregiæ Diſſertationis Ballietianæ capita; cui ſubjungitur inſignis *Pſeudonymorum detectorum index*, velut ſpecimen aut pars prima eorum Collectionis: quam vaſtam & copioſam eſſe, ex hac ſectione intelligimus, cujus nos participes reddidit; ſed ne diutius publico invidere velit, doctiſſimum Auctorem omnium, qui elegantiores Muſas earumque delicias amant, nomine obteſtamur. Sed & rogandus merito eſt vir celeberrimus, *Vincentius Placcius*, ut quæ & is de ſcriptoribus Anonymis & Pſeudonymis prælo parata habere dicitur, publico propediem impertiat.

MARTINI LISTERI HISTORIA Conchyliorum.

Londini, ſumptibus Authoris, 1685. ſqq. in fol.
Conſtat tabulis æneis plus quam 460. Proſtat Lipſiæ apud Jo. Th. Fritſch.

HOminem ideo effectum eſſe, ut Divini operis rerumque creatarum contemplator exiſteret, & dum admiraretur creaturam, ejus auctorem agnoſceret, Hermetis in Pimandro effatum fuit. Etenim ex contemplatione tali non omnipotentia & ſapientia ſolum Creatoris, ſed & maxime providentia evidentiſſime oculis mortalium exponitur: ut proinde hominis officio rite fungi cenſeri debeant, qui

rerum

Fig. 1.



Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

v.

rerum naturalium quarumcunque accuratiori cognitioni ſtudium tempusque impendunt. Inter eos merito celebratur vir clariſſimus, *Martinus Liſterus*, cujus eximiam plane in hoc genere induſtriam, tum alia ejus opera, quibus dudum Orbis Eruditus fruitur, tum illud cumprimis, quod nunc Lectori Benevolo ſiſtimus, abunde comprobant. In eo nimirum doctiſſimus Auctor univerſam Conchyliorum nitidiſſimis figuris delineatorum hiſtoriam complexus ita eſt, ut libro primo, qui A. 1685 prodiit, Cochleas terreſtres; ſecundo A. 1686 edito, Teſtacea fluviatilia; tertio, qui A. 1687 publicatus eſt, Bivalvia marina, una cum Conchitis, ſeu lapidibus concharum marinarum formam exprimentibus; & quarto denique, qui A. 1688 lucem adſpexit, Buccina marina, inque Appendice A. 1692 demum adjuncta, lapides buccinatorum imaginem referentes, exhibeat: inſertis etiam *Harderi* cochlearum, & *Williſii* oſtrearum tabulis anatomicis. Et ea quidem quatuor velut ſumma Conchyliorum genera in tot tamque diverſas ſpecies diſtinxit Liſterus, ut ſingulas hoc loco recenſere prolixum nimis foret, & a noſtro inſtituto alienum. Potius itaque, ut elegantiſſimi operis ſpecimen, ſimulque paſtum qualemcunque oculorum Lectori præberemus, placuit ex eo mutuari atque huc transferre tabulam, in qua fig. 1. Buccinum ventricoſum ampullaceum, fig. 2. pars uteri ejus, & fig. 3. uterus integer exhibentur. TAB. IV.

GEORGII VVOLFFGANG VVEDELII, Med. Doct. Conſiliarii & Archiatri Saxonici &c.

Exercitationum Philologico-Medicarum

Decas Tertia, 1687.

Decas Quarta, 1689.

Decas Quinta, 1691.

Jenæ apud Jo. Bielken in 4. plag. 21.

PRæmiſſa de intemperie ſtudiorum præfatione utiliſſima, laborem ſuum proſecuturus celeberrimus Vir, totam de latere Chriſti aperto hiſtoriam *Decadis tertiæ* Exercitatione *prima* exhibet, ſtatuitque in medio fere thorace inter quintam & ſextam coſtam ſiniſtri lateris introactam fuiſſe lanceam, vulnusque ad ipſos cordis thalamos penetraſſe, indeque ſanguinem & aquam effluxiſſe ſolide demonſtrat; de-

hinc ipſius miraculi vim extollit & altius perpendit. Neque minorem poſtea in corporis Chriſti ſudore cruento explicando collocat operam *ſecunda* Exercitatione. *Tertia* morbos ſenum Salomonæos conſiderat. *Quarta* hypericum myſtice exponit, ejusque vires accurate & perſpicue perluſtat. *Quinta* amellum Virgilii nec caltham paluſtrem, nec meliſſophyllum, nec chelidonium, nec primulam veris, nec chamæmilum, nec aſterem Atticum, ſed potius melilotum flore luteo fuiſſe demonſtrat. *Sexta* autem quæ habetur Exercitatione de fortuna Medici diſſerit, aſſeritque non eum fortunatum Medicum dicendum eſſe, qui omnes ægros ſuos evadere, neminem mori jactitat; nec, qui temerariis auſibus, feliciter tamen quandoq; ægros ad ſanitatem perducit, Andabatarum more pugnans, (quatenus ex enormi purgatione, ex qua alias vix centeſimus tutus evadit, hydropicus ſanatus quandoque legitur); nec eum, qui in declinatione morbi accedit: ſed qui artis eſt peritus, poſtmodum recte procedit, cæterum pius, prudens, moratus, & uno verbo, gratioſus eſt, & ab omnibus habetur. *Exercitatione ſeptima* uſum cucumerum rite præparatorum & cum aceto potiſſimum, non cum muria vulgari, conditorum innoxium, quin & non raro ſalutarem oſtendit. *Octava* de potu calido & frigido ejusque uſu lectorem informat, concluditque ea, quæ calide ſumta vires & gratiam immutant, frigida potius aſſumenda eſſe, (cum nemo facile acidulas calefactas aut thermas refrigerium paſſas ſine nauſea hauriat;) ea quoque quæ ventriculo magis conducunt & gratiora ſunt calida vel frigida, non temere eſſe invertenda. Ulterius vero temporis, ætatis, conſuetudinis, morbi, aliarumque circumſtantiarum rationem in potus vel calidi, vel frigidi applicatione, ineundam eſſe adhortatur. *Nona* fundamenta empiricorum, & *Decima* ſtatum aeris auſtrinum docte indagat & erudito diſcurſu exornat.

Decadis IV. Exercitatio *prima* Lectori unguentum nardinum, cujus mentio Matth. 26. v. 6. 7. Marc. 14. v. 3. Joh. 12. v. 5. fit, enucleat. *Secunda* morbum Hiobi, quem ulcus graviſſimum cum inflammatione conjunctum fuiſſe probat celeberrimus Autor, tradit. *Tertia*, quid ſub pane quotidiano, in ſolenni illa precandi formula nobis Chriſtianis uſitata comprehendatur, declarat. *Quarta* quadrageſimam medicam, diem criticum ultimum, ſive terminum ultimum

morbo-

morborum acutorum dicendum eſſe oſtendit. *Quinta* morbi craſſi Hippocratis naturam, cauſam, ſubjectum delineat, & non niſi colicam ſcorbuticam a craſſitie tartarea, acido, ſalſo, amaro bilis & pituitæ concurſu ortam, ipſumque genus nervoſum afficientem eſſe, probat. *Sexta* vocem tetragoni Hippocratis illuſtrat, eaque nihil aliud quam helleborum album ſubinnui docet. *Septima* Hippocratis artem demonſtrandi Medico utilem explanat. *Octava* morbum inſputatum Plauti, inſputatione curatum dilucidat, oſtenditque epilepſiam ſubintelligendam eſſe, quæ cum morbus archealis ſit, eatenus inſputatione perſanetur, quatenus in conflictu ſuccumbens archeus inſputatione exſuſcitetur, pudore ſuffundatur, ſuffuſusque ſecum habitare diſcat, contra morbum inſurgat, eumque devincat. In hujus inſputationis locum ſucceſſiſſe perfuſionem capitis cum aqua multa frigida vel ſalſa, cujus meminit Celſus l. 3. c. 23. Autor magnificus ſuſpicatur. Exercitatio *nona* anil Arabum ipſiſſimum glaſtum eſſe, non ſecus ac illorum alkekengi ſolanum veſicarium nobis audiat, & ex ea planta recta præparatione indigo provenire monſtrat. *Decima* denique de herbis Germanis, quas Ovidius in canitie corrigenda, & colore meliori quærendo, fœminas olim adhibuiſſe dicit libro de arte amandi, Autoris meditationes exhibet, in eaque claſſe rubiam tinctorum, ſerratulam, carthamum, maxime autem iſatidem ſive glaſtum, ex cujus præterea cineribus Germanos ſal paraſſe pro exaltandis coloribus ſuſpicatur, reponit.

Decadis quintæ Exercitatio *prima* epiſpaſmum Judæorum explanat. *Secunda* paralyſin torquentem, qua ſervus centurionis Matth. 8. v. 6. diſcruciebatur, ſpaſmadicam ſeu convulſivam paralyſin fuiſſe probat. *Tertia* ſinapios granum, de quo Matth. 17. v. 20. ſermo eſt, deſcribit. *Quarta* ſal inſulſum, ſeu quod ſaporem ob quem ſal audit exuit, ejusque naturam tradit. *Quinta* nectar & ambroſiam Deorum pabulum examinat, & ſub iis vinum atque mel deliteſcere comprobat. *Sexta* balſamationem in genere ejusque varios modos eruit. *Septima* in Chriſti balſamationem inquirit. *Octava* animalitatem hominis ſiſtit. *Nona* de Naturæ miniſtro Medico agit, exponitque & vim Naturæ, & Medici in ea adjuvanda officium modumque. *Ultima* autem Naturam Medicam morborum perſpicue & erudite tradit & explicat. Præmittit autem celeberri-

mus Auctor Decadi huic epiſtolam, quam ad perilluſtrem Dn. Maurocordatum dederat, & accuratius, ex ejus reſponſione annexa, quid Maslach Turcos prælium inituros animans, quid Ruſma Turcarum fœminas in balneis depilans, remedii quid Alcohol & Raſtich Turcarum ſit, non tantum ipſe cognoſcit, ſed &, quæ Viri hujus eſt integritas & ab omni invidia remotus candidiſſimus animus, toti orbi literario ea Turcarum arcana communicat, & tot luculentiſſimis teſtimoniis, quanto aliis inſerviendi ſtudio flagret, comprobat atque tuetur.

SAMUELIS STRYKII JCTI SPECImen Uſus Moderni Pandectarum, ad V. libros priores in Academia Francofurtana publicis diſputationibus exhibitum.

Francof. & Wittebergæ, apud Jerem. Schrey & Henr. Joh. Mayerum, 1690, in 4to. Conſtat 2. alphab. & 20. plag.

SPecimen hoc, quod opus ſolidum ac tanto JCto digniſſimum promittit, non aliam ob cauſam aliquanto ſerius exhibemus, quam quod pulcherrima ſpes nos foverit hactenus, partem novam forte non multo poſt acceſſuram, quæ huic prodromo commode magis committi poſſet. Voti vero iſtius cum nos compotes reddere cohibeant concatenati Viri ſummi labores, quos hoc potiſſimum tempore in vicina Academia, Halæ Saxonum a POTENTISS. ELECTORE BRANDEBURGICO regali cum magnificentia non ita pridem dedicata, egregio cum ſucceſſu impendit; idcirco penſum iſtud adhuc ſeorſim offerre tenemur. Scopum, quem in hoc opere concinnando Autor celeberrimus intendit, duplicem, eundemque amœna concertatione quodammodo contrarium deprehendimus; quandoquidem ſecundum ſeriem Pandectarum circa ſingulos titulos (& hac quidem vice priorum V. librorum) more ſolito, h. e. perſpicue ac ſuccincte declarat, qua ratione Jus Romanum ad caſus in foro noſtro obvenientes dextre applicetur, & quibus in articulis idem Jus a Germanico Jure deflectat. Caute tamen hic ſemper procedit magnificus Autor, ut iſtam Jurium diſcrepantiam intra limites evidenter poſitos provide coerceat. Hunc in finem loco competente Juris Roma-

Romani textus quamplurimos adnotat, eorumque ſoliditatem ac autoritatem vindicat, quos alii Doctores majori, quam par erat, libertate ac confidentia, contrario fori noſtri uſu vel nudo non uſu abrogatos eſſe, aut ob ſcrupuloſam (ut ipſis videtur) ſubtilitatem abrogatione dignos eſſe, paſſim declamarunt. Interea nulli diſſimulamus, eatenus difficilem iſtum nobis videri laborem, quando ex hoc ſpecimine aliud ſpecimen pro more apud nos recepto exhibere debemus. Quandoquidem enim Autor, pro ſummo, quo pollet, ingenii acumine, ea tantum, quæ ſcitu neceſſaria ac utilia nec ubivis obvia ſunt, hoc in opere ſelegit, & nervoſo ac amœno orationis genere expreſſit, certe aut prolixa nimis aut ſubobſcura evaderet relatio, ſi rerum iſtarum capita adjectis, ut par eſſet, rationibus aut digreſſionibus, conciſo ſtylo exponere præſumeremus. Quocirca e re viſum fuit, indicare ſolum potiores materias ac quæſtiones, ſecundum paginarum titulorumve ſeriem. Præmittitur autem ipſi tractatui diſcurſus de uſu & autoritate Juris Romani in foris Germaniæ, in quo (α) *ſeorſim* exponitur Juris Germanici ſtatus & conditio, ſecundum remotiorum propiorumque ſeculorum ſeriem, quamque variæ ſpecies ac nomina exinde provenerint; tranſitus dehinc fit ad Jus Romanum *p. 11*, quæ fata videlicet poſt exceſſum Juſtiniani Jus ab eodem conditum ſuſtinuerit, quibusque auſpiciis ac ſubſidiis in Germaniam introductum ſit: (β) *comparate* magis *p. 26.* & ſeqq. declaratur, quam autoritatem Jus Romanum cum Germanico concurrens obtineat; quo ſucceſſu in nonnullis Germaniæ provinciis Jus Romanum in ſolidum receptum ſit, abrogato Jure Saxonico antehac uſurpato. *Pag. 33.* pulchre adſtruitur, quod paradoxon primo intuitu videri poterat: Jus Romanum majori autoritate pollere in cauſis Principum, quam in cauſis privatorum. Prope finem iſtius diſcurſus hæ quæſtiones ſemet offerunt: an Corporis Juris Germanici compilatio expectari commode ſatis poſſit aut debeat? quid ſentiendum de Autoribus, qui circa Jus Romanum in edendo LL. abrogatarum cenſu nimium faciles ſunt. His præmiſſis *p. 39.* tituli ſinguli Pandectarum prodeunt, quos inter primus *de Juſt. & Jure* Jus publicum circa Sacra ex parte conſiſtens potiſſimum declarat. Quæ noſtro in foro autoritas Reſponſis Jurisprudentum competat, *p. 49.* diſtincte docet. *Pag. 59. 60. 61.* has quæſtiones ventilari deprehendimus, an aliquis ex Statibus Imperii Jus Romanum in

ſuo territorio penitus tollere poſſit? An Receſſibus Imperii ſemel probatis per leges provinciales derogari poſſit? *Pag. 69.* diſquiritur, an ſententiæ Cameræ Imperialis (hoc ſuppoſito, quod non ſolius Imperatoris, ſed & Imperii nomine ferantur) eandem autoritatem habeant, ac ſi ipſe Imperator in Comitiis conſenſu Statuum ſententias ferret? Similis argumenti eſt illud, quod *pag. 71.* occurrit, de autoritate ſententiarum, quæ ex Tribunalibus Provincialibus promanarunt. Contra Gudelinum & Chriſtinæum *p. 110.* aſſeritur, adoptionum Jura, utut hodie rarius uſurpentur, pro abrogatis tamen haberi non oportere. *Pag. 113.* præjudicium conſpicuum eſt, in quo ſecundum *l. 38. ff. de Adopt.* adoptio non Jure facta a Principe confirmata fuit. Ad mentem famoſiſſimæ *L. Barbarius 3. ff. de off. Præt.* præjudiciis quibusdam confirmatur, geſta coram Judice injurato, qui tamen vi ſtatutorum juramento adſtrictus eſſe debuerat, valida haberi. Item ſententiam a Pontifice latam eo tempore, cum omnes Pontificiæ Religioni addicti eſſent, adhuc ſtringere ſucceſſores Evangelicos, cum nihil religioni adverſum continent. *Pag. 164.* edocemur parum præſidii præſtare Judicibus fori noſtri *l. 18. ff. de off. Præſ. & l. 6. §. 3. ff. de Off. Procoſſ.* quaſi a partibus litigantibus xenia & eſculenta licite acceptare poſſint. Offerebantur etenim talia munera a Provincialibus (non a litigantibus in Judicio) & quidem Præſidibus aut Procoſſ. in provincias remotiores miſſis, ceu novis hoſpitibus, cum inſtructam œconomiam nondum haberent; quæ omnia in noſtris Judicibus ſe longe aliter habere plus quam manifeſtum eſt. *Pag. 201.* diſceptatur, an Nobilis manutenendus ſit contra Principem in exercitio Jurisdictionis ex eo ſolo, quod hactenus in quaſi poſſeſſione fuerit, an vero ipſi ſimul ſit oſtendendus titulus? Et hac poſteriori ſententia recepta, porro quæritur, an omni penitus ſucceſſionis commodo excidat Vaſallus jurisdictionis poſſeſſor, an mox ad petitorium ablegandus interdicto interim Jurisdictionis exercitio? Circa *tit. de Procurat. p. 354.* contra Schilteri objectiones, Brunnemanni aſſertum defenditur, quod ſatisdatio impediat, ne morte mandantis expiret mandatum. *Pag. 375.* novatorum cenſuræ *ad l. 6. §. 9. l. 8. §. 1. ff. de neg. geſt. & l. 8. C. eod.* cenſuras & ipſæ patiuntur. Sic & *p. 390.* ratio ſufficiens deſideratur, cujus intuitu ob rem metu ablatam ab actione pœnali in quadruplum abſtinere, & ſimplici reſtitutione

cum

cum Grœnwegen contenti eſſe debeamus. Ejuſdem argumenti ſunt, quæ de uſu moderno *l. 13. ff. quot met. comm.* non multo poſt *p. 394.* proponuntur. Occaſione tituli de capite minutis *p. 422.* exemplum arrogationis Potentiſſimi Electoris Brandeburgici autoritate factæ exhibetur. Sub tit. *de inoff. teſtam.* notiores illæ controverſiæ occurrunt, exhæredationem a Patre non rite factam, & præteritionem concernentes. Circa tit. *ſi pars hered. pet.* contra novatores adſtruitur, & in noſtro foro ventri tres portiones ſecundum *l. 3. d. t.* in hæreditate dividenda reſervandas eſſe, cum poſſint tergemini naſci; qua in re ſolenne exemplum civitatem Stralſundenſem ſuppeditaſſe commemoratur, in qua anno 1672. intra 1. Jan. & feſtum Paſchatos trina vice tres infantes vivi uno partu editi fuerunt. His in titulis cum, ut ſupra monitum eſt, Illuſtris Autor ſubſiſtat, & nos ſubſiſtimus, ſerio perſuaſi, unumquemque, qui veram & non ſimulatam Jurisprudentiam profitetur, celeberrimo huic JCto animitus applaudere, ac enixe vovere, ut Specimen hoc affabre exhibitum per partes impoſterum edendas incrementa lætiora obtineat, & conſummati denique operis gloriam ſucceſſu proſperrimo conſequatur.

FRANCISCI HERCULANI PERUSINI, JCti & Equitis Lauretani, Tractatus de Cautione de non offendendo, nunc denuo accurate reviſus & annotationibus Theoretico-Practicis fuſius illuſtratus ab ANDREA CHRISTOPHORO RöSENERO, J. U. D.

Lipſiæ apud Hæredes F. Lanckiſii, 1691. in 4to. Alph. 2. plag. 20.

FRanciſci Herculani Tractatus de Cautione de non offendendo, olim Venetiis A. M D LXIX. in forma octava fuit impreſſus. Sed hujus editionis exemplaria dudum diſparuere, ita ut liber hic in officinis librariis ne pretio quidem, niſi forte bibliothecæ alicujus veteris latebras evaſerit, comparari potuerit. Materiam hanc de cautione de non offendendo utilem & frequentem in foro JCtus ille Italus ingenio Italico, i.e. ſubtili & acuto, quinquaginta duobus capitibus pertractavit. Ubi in prioribus viginti quatuor agit de natura cautionis de non offendendo, de ejusdem diviſione, quando & quomodo præſtanda, de exceptionibus contra eandem opponi ſolitis, pro quibus & a quo peti poſſit, item de effectu cautionis præſtitæ. In reliquis viginti ſex capitibus potiſſimum tractat de modis, quibus cautio de non offendendo rumpitur, tum licitis, tum illicitis. In ultimis denique duobus capitibus in medium afferuntur ſcholia & allegationes ad ulterius declarandam

dam hanc cautionem. Ex Autore hoc Maſcardus, Farinacius aliique Dd. ea, quæ ad præſentem materiam ſpectant, haurire non dubitarunt. Librum hunc typis novis iisdemque magis diſtinctis formaq; commodiore D. Röſener publicæ luci reſtituit, eumque annotationibus theoretico-practicis adauxit; ita ut Herculanus ab ipſo reſuſcitatus totus quantus, ſed dimidio ferme auctior revixerit. Annotationes a clariſſ. Editore ſingulis capitibus ſunt ſubjectæ, in quibus tum ea, quæ in Herculano obſcura videbantur, uberius illuſtrantur, tum etiam quæ deficiebant, ex JCtorum Germanorum ſcriptis & ipſa Conſtitutione Criminali Caroli V. paſcendis lectorum deſideriis ſunt accommodata. Utrobique tam Tractatui quam Annotationibus eſt adjectus index præcipuarum rerum locupletiſſimus.

JOHANNIS OLDENDORPII SYLLOGE EXCEptionum forenſium, cum Progymnaſmatibus fori, Locis Communibus actionum, probationum, teſtium &c. denuo reviſa, & neceſſariis ſupplementis, ex Jure Civili, Imperiali, Canonico & Saxonico, Reſponſis item ac Deciſionibus recentiorum Autorum practicorum collectu, ad forum accommodata ab ANDREA CHRISTOPHORO RöSENERO, J.U.D.

Lipſiæ apud Hæredes F. Lanckiſii, 1692. in 4to. Alph. 4. pl. 13.

DE Republica optime ſemper fuit meritus Oldendorpius primi ſubſellii JCtus, quod ingenii ſui monumenta poſteritati relicturus, illam Jurisprudentiæ noſtræ partem, quæ ad praxin forenſem tendit, elegerit, electamque ſingulari cum diligentia & induſtria delineaverit. Quem in finem non ſolum Actiones forenſes in ſeptem claſſes diſtinctas, ſed etiam Syllogen exceptionum forenſium, cum aliis fori progymnaſmatibus & locis communibus actionum, probationum, teſtium, uſucapionum, præſcriptionum, ſententiæ & rei judicatæ, publicæ luci expoſuit. Quæ opuſcula antea in forma octava ſunt impreſſa, & maximam partem diſtracta, jam vero in forma quarta typis denuo excuſa. Non vero inanem laborem ſuſcepit conſultiſſimus D. Röſener, dum argumentum hoc, ex judicio D. Iliconis Ummii JCti, procul dubio præclarum & utiliſſimum, continuavit, revidit, & inſuper praxi juris communis tam Civilis, quam Saxonici adauxit. Idcirco cum in priori editione verba tantum initialia fuerint allegata, non ſolum legum numeros addidit, ſed etiam exceptiones ab Oldendorpio conciſa brevitate compoſitas, & ad proceſſum Cameralem reſtrictas, novis additionibus & acceſſionibus locupletavit; ita ut quæcunque ad latiſſimam hanc exceptionum perſecutionem ſpectare videantur, pro cujusque materiæ qualitate aliquanto latius pleniusque interpretatus fuerit. Præterea cum viderit, plurimas præter illas ab Oldendorpio traditas, adhuc ſupereſſe exceptiones, quæ in foro tam Imperiali quam Saxonico apprime ſint utiles, easdem D. Röſener ſecundum ductum Oldendorpii adjecit. Cujus commatis ſunt exceptio ſatisdationis, guarandæ, legitimi impedimenti, nondum tentatæ amicabilis compoſitionis, poſitionis non admiſſibilis, refuſionis expenſarum &c. a pag. 266. usque ad pag. 306. Quo ſtudio atque labore continuato ita excrevit libellus, ut vel triplo plus auctior, & quaſi novus liber, novam qui ſumſerit togam, factus cenſeatur.

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II. Sect. VI.

ATLANTE VENETO &c.

Hoc eſt,

ATLAS VENETUS, CONTINENS DESCRIPTIOnem Geographicam, Hiſtoricam ſacram & profanam, & Politicam Imperiorum, Regnorum, Provinciarum & Statuum totius Univerſi &c. Operâ & ſtudio P. CORONELLI, Coſmographi Reipublicæ Venetæ &c.

Tomus I.

Venetiis Anno 1691. in folio regali. Conſtat plagulis 111, quarum 61. mappas & figuras continent.

EXhibuimus in Actis anni 1694. pag. 332. ſeqq. Clariſſimi Autoris Epitomen Coſmographicam, ſeu Introductionem ad Aſtronomiam, Geographiam & Hydrographiam. Nunc præſens Opus Geo-Hydrographicum ſiſtimus, præclaram itidem Scriptoris ſui non minus induſtriam commendans, quam ſtudium ornandi bonum publicum. Cujus quidem operoſa recenſione, cum titulus argumentum ejus ſatis prodat, merito ſuperſedemus: unius tamen alteriusve, cujus indicium ex titulo non æque conſtat, mentionem facere non pigrabimur. Nam præter compendioſam navigationum duobus abhinc ſeculis, magna diverſorum populorum æmulatione inſtitutarum narrationem, navigiorum hoc tempore celebrioribus gentibus uſitatorum genera non tantum deſcripta, ſed & æri curioſe inciſa, Lector hic offendet: interque ea *Bucentaurum*, Potentiſſimæ Venetorum Reipublicæ navim famoſiſſimam, annuæ maris Hadriatici deſponſationi devo-

tam; & quæ terrorem hodie per oras & munimenta maritima late circumferunt, exitio eorum natas *Palandras incendiarias*; cum non ingrata in Heroem incomparabilem *Franciſcum Maurocenum* Venetorum Ducem nuper defunctum, memoria: cujus ſcilicet ingenio Triremes (*Galeren*) debent, quod longe ſecuriori impetu & audacia, ac Palandræ, mortariorum fulmina & decretorios ignes in adverſa portuum clauſtra, nunc evibrare ſint idoneæ.

Nec ſequiori voluptate curioſus Lector claſſes inſignibus nobilitatas expeditionibus, ex antiqua & recentiori hiſtoria, hic repetet, quam piſcaturæ hinc inde per orbem terrarum tam mari, quam in majoribus fluviis exercitæ deſcriptionem. Quos porro notitia Geographiæ ſacræ delectat, cum antiquam, ſub hierarchia eccleſiaſtica quinque Archiepiſcopatus cum ſuis Exarchatibus ſeu Primatibus complexam; tum modernam diligenti recenſu Patriarchatuum, Archi- & Epiſcopatuum, quæque ad natales & varia eorum fata ſpectant, in promtu habebunt. Chartas autem Geographicas, Autoris opera ſtudioſe delineatas exornant, quæ ideam univerſi, varia mundi ſyſtemata, cum planiſphæriis cœleſtibus exhibent: ut adeo optandum ſit, & alterum Tomum, in Operis luculentiſſimi complementum, propediem luci publicæ donari. In quo tamen clariſſimum Autorem, a nobis pro veritatis ſtudio etiam atque etiam rogatum, ex Proteſtantium albo deleturum ſperamus, perperam iis pag. 31. hujus Tomi accenſos cum Anabaptiſtis Socinianos: quos poſteriores etiam tantum abeſt ut communi ſecum nomine appellari velint Proteſtantes, ut ne Chriſtianorum quidem titulo dignos habeant; nec damnatis eorum erroribus renunciantes, niſi ſacro Baptiſmate denuo initiatos, in gremium ſuæ Eccleſiæ recipiant.

TOPOGRAPHIA HISTORICA GALLO-BRABANTIÆ, auctore JACOBO BARONE LE ROY, S. R. I. Domino S. Lamberti &c.

Amſtelædami, typis Hermanni Alardi, A. 1692. in fol.
Conſtat plag. 72. & figuris æneis 57.

Dudum eſt, quod *Jo. Baptiſta Grammaye*, Belgii Principum ac provinciarum Hiſtoricus, tribus libris Bruxellis A. 1606. editis, Gallo-Brabantiam pagatim deſcripſit; quem poſtea ſecutus eſt *Joannes Blondeau*,

dean, urbis Nivellenſis Syndicus, qui ampliori opere Gallico idiomate concepto negotium id proſecutus eſt, ſed cujus editionem mors antevertit. Eorum tamen commentariorum autographum ab hæredibus Auctor noſter illuſtriſſimus obtinuit, & cum eadem,qua ille,cura teneretur,in ſuos uſus convertit, ita tamen,ut multa adjunxerit, quædam etiam non rite intellecta enodarit. In illuſtrandis enim Gallo-Brabantiæ,aut veteri verbo,Romanduæ oppidis, municipiis, ac dominiis, in monaſteriis item,Nobiliumque prætoriis & caſtellis delineandis ſic occupatus eſt,ut diligentiam ante omnia deſignandis temporibus impenderit, e diverſis chronicis hiſtoricisque non ſolum typis excuſis, ſed manuſcriptis quoque, præſertim ex ſupremæ curiæ feudalis Ducatus Lotharingiæ ac Brabantiæ regeſtis, uniuscujusque origines ac poſſeſſores eruerit,& cuncta alia teſtimoniis idoneis ſtabilita dederit, archiva, codices, & tabularia ubivis demonſtrans. Pleraque inſuper Nobilium prætoria ad vivum in loco ipſo delineari ſuisque ſumtibus in æs incidi juſſit,exceptis paucis,quæ ad exemplaria pridem facta effingi placuit. Accurata autem tabula geographica, quæ Gallo-Brabantiam univerſam ſiſtit,præmiſſa, ſeptem libris hanc dilucidat, quorum primus præfecturam Nivellenſem, ſecundus Genappienſem, tertius præfecturam Montis S. Wiberti, quartus Hulpenſem,quintus Gravienſem,Gemblacenſem&Gemblacum oppidum,ſextus Aincuriæ,Dongelberghæ,Melinii,GeſtæS. Joannis,GeſtæGeronpontis,Jacheæ,& oppidumGeldonenſe,ac ſeptimus deniq; Jandranienſem, Orpienſem,Hanutenſem,&Hanutum oppidū cum appendicibus complectitur.Sed & inſuper alia quædam,ad hiſtoriā quæ ſpectant, inſperguntur, velut ubi is de Pipinorum armis gentilitiis diſquirit; ubi de Templariorum excidio & cauſis diſpicit; ubi tumbas aliquot Baronum ac Nobilium illuſtriores exhibet; ubi de cauſa necis illatæ S. Lamberto, Tungrorum ac Trajectenſium Epiſcopo,diſceptat; deque annulo ſignatorio, & de ævo,quo cœperint Nobilium cognomina & arma gentilitia eſſe hæreditaria,nonnihil diſſerit. Cæterum uti proximis annis agros Lovanienſem,Bruxellenſem,& Sylvæducenſem,tribus voluminibus eodem modo adumbratos,in lucem ſeſe emiſſurum pollicetur: ita omnes,quorum intereſt,rogatos in Præfatione vult, ut ad ſe Antverpiam tranſmittant, ſi quæ habuerint operi iſti congrua, quæque optent inſeri: nulla tamen alia, niſi authentica aut ſaltem fide digna deſiderat, & ſi

quis correctionem aliquam aut obſervationem velit ſuggerere, ſeorſim illam ut deſcribat, expetit.

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII, MED. D. Conſiliarii & Archiatri Ducalis Saxonici, & Profeſſoris Publici, Pathologia Medica Dogmatica.

Jenæ ſumptibus Joh. Bielkii, in 4. Conſtat alphabetis quaſi tribus.

EXtare voluit illuſtris Autor hoc opus Pathologicum, ordinem vulgo receptum ſequens, ſed methodo diverſa. Axiomatibus quippe generalibus erutis, ſatius duxit, ſtabilire recepta, quam ſubruere, id non merita; quæ & exhibeant rem prout ſe habet, & abſolvant, in tantum ſaltim, ut ratum eſſe queat, quid ſtatuendum tandem ſit, quid minus, ne liber ex libro ſcribatur.

Sic revocantur ſingula velut ad certas theſes, ut lector ſtatim aſſequatur rei ſummam, pluribus hinc dilucidatam. Præmiſſis ergo, quæ generalius de morbo, ejusque ſubjecto & cauſa dici poterant, ipſius differentias eſſentiales explicat, & ſumma genera morborum, intemperiem, conformationem læſam, & unitatem ſolutam, in ſpecies ſuas dirimit, explicatis terminis neceſſariis, ſuggerendo exempla, ſupponendo mechanicam, & dirigendo ſingula hæc ad uſum.

Hinc differentiis accidentalibus perluſtratis, & temporibus morborum, pathologiam in ſpecie dictam claudit, & ætiologiam proſequitur, recenſitis differentiis cauſarum, has ipſas in humoroſas, flatulentas, tartareas, animatas, & ex principiis chimicis oriundas diſpeſcens; viſis poſtmodum ordine & remotioribus, ſupernaturalibus, naturalibus, medicis dictis, non naturalibus & præternaturalibus. Generali huic ætiologiæ ſpecialis ſubjungitur, in ſummorum illorum generum morborum cauſis inveſtigandis occupata.

Tandem & συμπτωματολογίαν aggreditur, & iterum de ſymptomatibus in genere præmiſſa tractatione, de cauſis actionum læſarum, excretorum & retentorum, ac qualitatum mutatarum ſpecialibus agit, in ſingulis ventribus luſtratis.

Ubivis magis ſtudet in rei ipſius adytis inveſtigandis, quam autorum placitis, controverſias vix tractat, antiqua novis, præſertim chimicis hypotheſibus combinat, utraque propriis obſervationibus hinc inde

de interſperſis illuſtrat, ut ſuo ſic loco dogmata hæc pathologica ad ſpecialiorem diſquiſitionem tum ſupponi, tum inſervire amplius queant. Idque tanto magis, quanto magis huc facientia allaborat ſcientificum in modum firmis quaſi demonſtrationibus exponere, quæ ex quibus fluant, ut ſic artis forma, quæ ſcientia ipſa eſt, ſtatuminetur & Empiricis contra habeatur Pathologia Dogmatica.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΤΗΣ ΔΙΑΝΟΙΑΣ σχημάτων, &c.

hoc eſt:

ALEXANDRI DE FIGURIS SENTENTIÆ ATQUE elocutionis, Liber primus & ſecundus: Phœbammonis de Schematibus Oratoriis Scholia, Liber primus & ſecundus: Minutianus de Sedibus argumentorum. Interprete Laurentio Norrmanno.

Upſalæ, excudit Henricus Keyſer, A. 1690. in 8. plag. 13.

TRes heic ſub uno conſpectu exhibentur ſat vetuſti Rhetores, quorum duo priores commune de Schematibus Oratoriis argumentum tractant, ac mutuas ſubinde jungunt operas; tertius vero argumentorum inveniendorum rationem brevi, ſed non inutili libello, operis majoris ἀποσπασματίῳ, complexus eſt. Et eos jam olim in corpore duodecim Rhetorum ediderat Aldus Manutius, at clariſſimus Norrmannus denuo ad manus eosdem ſumſit, locis innumeris, qua ex ingenio, qua inveſtigatis auctorum teſtimoniis, meliores ornatioresque facere inſtituit, ac nova verſione & notis quibusdam inſtructos Orbi erudito exhibuit. Prout autem de ipſorummet opuſculorum contentis plura dicere non attinet: ita quid de Auctoribus obſervare Noſtro placuerit, paucis eloquemur.

Primus inter eos ALEXANDER eſt, ac ille quidem, ſi Conrado Geſnero & Manuſcriptorum Vindobonenſis Bibliothecæ Indici adſtipuleris, Aphrodiſienſis, Medicus & Philoſophus celeberrimus, qui principio ſeculi poſt C.N. tertii ſub Septimio Severo & Antonino Caracalla floruit. Verum Norrmanno ſecus videtur, qui hunc non eſſe alium exiſtimat, quam qui Numenii filius, ὁ Νουμηνίου σοφιστής, nullo præterea rerum aut temporum adjecto chacteriſmo, a Suida appelletur. Suæ enim hujus ſententiæ fundamentum in Julii Rufiniani, antiqui Rhetoris Latini, teſtimonio poſitum eſſe autumat, qui ab initio

libri de figuris ſententiarum Aquilam Romanum nonnulla ex Alexandro Numenio deſumſiſſe affirmet. Quod autem minime diverſus ab hoc ſub eo nomine indicetur, haud difficulter agnoſci putat a quolibet, qui Aquilam cum Alexandro noſtro ſtudioſius commiſerit. Hujus namque veſtigiis, quicquid diſſimulet, tum in ordine ac recenſu ſchematum, præſertim ſententiæ, tum tractatione ipſa illum plerumque inſiſtere, ſic tamen, ut ſuis auſpiciis, ſuo arbitrio ubique rem gerat, non alieni operis interpretationem condat. Jam igitur certum liquidumque de ætate Alexandri ferri poſſe judicium, quod ſcilicet Antoninorum ævo floruerit; ſiquidem ipſius parens, Numenius Rhetor, Suida teſte, παραμυθητικὸν Ἀδριανῷ εἰς Ἀντίνοον ſcripſerit, cui cum hypotheſes etiam περὶ τῶν τῆς λέξεως σχημάτων idem Suidas tribuat, aut ſimillimum & maxime geminum, aut hoc ipſum forte filii ſcriptum innui. De cætero lubens profitetur, nec illam Natalis de Comitibus verſionem, nec alia hujus Alexandri ſcripta, quæ extare perhibeantur, ſe vidiſſe; quamobrem & omne hac de re judicium iis, quibus meliorum & inſtructiorum bibliothecarum copia ex voto ſuppetat, relinquit.

Opuſculo ſecundo nullum Scriptoris in editione Aldina nomen fuit additum; reapſe autem PHOEBAMMONIS hæc Scholia, non Tiberii aut alius cujuspiam eſſe, vel ex iis patere aſſerit, quæ ab illo accepta & citata a pluribus in hoc libello compareant, veluti, quod Matthæus Camarilla, ſive quisquis auctor ſit τῆς συνοπτικῆς παραδόσεως τῆς ῥητορικῆς, definitionem ſchematis κατὰ Φοιβάμμονα verbis iisdem, quæ heic p. 98. extent, adferat; quod Eraſmus adagium, ἡ πορφύρα παρὰ τὴν πορφύραν διακριτέα, quod heic eadem pagina legatur, a Phœbammone Sophiſta in Commentario de figuris rhetoricis referri, manuſcripti cujusdam codicis fidem haud dubie ſecutus tradiderit; quod ex codicibus Regiis & Colbertinis, Phœbammonem Sophiſtam Φόρον pro foro juridico poſuiſſe, in Gloſſario ſuo Carolus du Freſne (p. 106.) obſervaverit. Qua in ſententia non leviter ſe confirmatum addit ſuffragio Viri clariſſimi Thomæ Gale, qui in notis ad Tiberium Rhetorem περὶ τῶν παρὰ Δημοσθένει σχημάτων, Phœbammonem varias ſchematis definitiones collegiſſe, ipſumque ab Aldo ſine nomine datum fuiſſe annotet. Uti autem manifeſto ſibi apparere cenſet, Phœbammonis eſſe hoc opuſculum: ita de eo imprimis

queritur,

queritur, quod nihil adhuc præterea de ipſo comperire licuerit, niſi quod eſſe videat, qui eum Hermogene fecerit antiquiorem. Huic autem calculum ſuum adjicere haud ſuſtinet, quin ita potius exiſtimat, poſt diviſum veteris novæque Romæ imperium, legibus Romanis earumque formulis ubique vigentibus, Phœbammonem vixiſſe, ac dictionis καινοτομίαν & inſolens Græcis hominibus, verum Ægyptiis convenientius nomen, ut Ægyptium Alexandrinumque ipſum eſſe credat, efficere.

MINUCIANUM tandem patre Nicagora, Sophiſta, Athenis natum, Gallieni Imp. temporum æqualem, artes oratorias, progymnaſmata, variasque orationes ſcripſiſſe, ex indicio Suidæ docet, ac minus proin adſtipulatur Synopticæ Rhetoricæ auctori, qui ab Hermogene illum tum inceſſi tum deſcribi & compilari memoret. Hermogenem namque, ut Suidas affirmet, τέχνην ſuam ῥητορικὴν Marco adhuc apud Romanos imperante compoſuiſſe, unde nihil ſane quicquam ex hortis Minuciani, octoginta amplius annis poſt viventis, ſublegere potuerit. Et librum ſane hujus integrum ante duo adhuc ſecula in manibus hominum verſatum, & forſan quoque a Georgio Trapezuntio habitum fuiſſe ſubjicit. Utut autem hodie operis adeo luculenti particula, quoquo olim caſu modoque a reliquo corpore divulſa ſolum extet, fore tamen nihilominus confidit, ut eadem abs ſe nunc iterum vulgata τοῖ φιλοκάλοις καὶ φιλαρχαίοις ad cætera omnibus veſtigiis indaganda & in lucem proferenda, novum aliquod ſignum ſuſtollat, ducemque ſeſe atque adjutricem præbeat.

ΟΜΗΡΟΥ ΙΛΙΑΣ ΚΑΙ ΕΙΣ ΑΥΤΗΝ ΣΧΟΛΙΑ τῶν παλαιῶν.

HOMERI ILIAS, ET VETERUM IN EAM SCHOLIA, quæ vulgo appellantur Didymi.

Cantabrigiæ ex officina Joann Hayes, A. 1689. in 4. plag. 104. Proſtat Londini apud Ed. Brevvſter.

INter egregia & præclara laudis ornamenta, quæ in Homero priſca miratur ætas & extollit, non eſt poſtremo loco habendus uſus, quem opus ejus præſtare poteſt diſciplinæ militaris ſtudio. Tametſi enim huic ſcriptorum generi accenſeri Homerus nequeat, qui præcepta di-

ctæ

ctæ artis tradiderunt,& ſcriptores Tactici dicuntur; tamen inter hiſtoricos & poetas epicos,qui res in uſu militari poſitas exemplis illuſtrare ſatagunt,deſcriptis eam in rem prœliis & oppugnationibus,cauſisque bellorum,fœderibus, conſiliis ducum, & ſtratagematis expoſitis, quin principem locum is teneat,dubium facile erit nemini. Nam adeo dilucide bellorum,quæ deſcripturus erat, cauſſas memorat, libidinem in Paride,perfidiam in Laomedonte: tam accurato ſtudio delectum militum exponit, ubi non ſolius imperatoris, verum aliorum quoque ducum & militum officia atque diſcrimina perſequitur: adeo ſolicite armorum telorumque genera, cibaria, totamque rationem victus passim explicat. Et quem militaris ſtudioſum artis non ea parte juvet, ubi claſſem maximam militibus, ac ſociis navalibus, & omni apparatu ornat? ubi caſtra munienda foſſa docet in longum latumque deducta, & aggere acutis vallis in orbem præfixo? Quis prudentiam iſtius non miretur,in deſcriptione caſtrorum elucentem? Fortiſſimos ſiquidem, Achillem & Ajacem,in extremis caſtrorum partibus collocat, muri molisque inſtar aliis objectos: Regem vero mediis in caſtris facit,velut in loco tutiſſimo, tendentem. Quem non caſtrorum oppugnatio inſtruat,& graviſſima defenſio, libro XII.Iliados: ſolicita item vigiliarum ratio, libro X. deſcripta? Quem non varia erudiant prœliorum genera, navale cumprimis libro XII, terreſtria toto opere quamplurima,& in his ſingulare iſtud Paridis & Menelai, libro III. memoratum? Quis porro approbatam ei inſtruendæ aciei rationem improbet? prima ſiquidem in acie equites,in poſtrema pedites conſtituit, ignavioribus in mediam concluſis & coactis. Quæ ordinis ratio & ſapientisſimo quondam duci Xenophonti viſa fuit optima: *Ἐν πολέμῳ*,dicenti, *τοὺς τε πρώτους ἀρίστους δεῖ τάττειν καὶ τοὺς τελευταίους, ἐν δὲ μέσῳ τοὺς χειρίστους, ἵνα ὑπὸ μὲν αὐτῶν ἄγωνται, ὑπὸ δὲ τῶν ὠθῶνται.* Nec alia de cauſſa Homerus, ducum alios in prima acie hortantes fingit & pugnantes, alios qui aciem extremam urgeant & impellant ad pugnandum. Quis præterea ſpernenda putet ſalutaria ejusdem monita de curandis & reficiendis ante, quam prœlium ineatur,corporis viribus? Quem non cautum ac providum efficiat,ubi fortes militum ac peritos, ſilentio & ordinibus ſervatis; imperitos contra & glorioſos, magnis clamoribus, magnoque cum tumultu procedentes ad prœlium introducit? Quis averſetur conſilium ejus, ubi fuſis quidem hoſtibus,

prœlio

prælio tamen nondum plane confecto, non continuo prædæ attendendum, ſed hoſtes potius perſequendos monuit? Quem non oppugnatio capiat & delectet oppidi, quæ in clypeo depicta legitur? Quis absque ſenſu voluptatis, inſperſa paſſim legat ſtratagemata, quorum aliquot Pauſanias collegit in Meſſenicis? Cui ex uſu non ſint, quæ ſubinde inſeruntur, militaria conſilia, etiam nocte habitum Libr. X, legationes, ſpeculatores, fœdera, induciæ, conciones pulcerrimæ, præmia & pœnæ, aliaque ad rem militarem facientia innumera?

Et quid de luculentis dicemus virtutum exemplis, in pulcro poemate paſſim emicantibus? Lapis ſit, quem parum moveat imago fortitudinis in Achille, in Hectore, Ajace, Diomede: prudentiæ in Neſtore, Ulyſſe, Ænea, Piſandro, Sarpedone: vigilantiæ denique ac diligentiæ in Agamemnone, Imperatore ſummo propoſita & ad vivum expreſſa. Habent profecto hic adoleſcentes generoſi & heroica indole, quos imitentur, Antilochum & Merionem: viri Hectorem, Æneam, Idomeneum, Ulyſſem, alios: ſenes Neſtorem præcipue. Nec ulla facile virtus nominabitur, cujus non exempla proponi cuivis ætati ex Homero queant.

Quæ diligentius paulo cogitanti minus mirum videbitur, qua ratione adduci Alexander Magnus olim potuerit, ut Homerum cumprimis in expeditionibus bellicis ſibi eligeret comitem, magiſtrumque adeo aſſiduum, ut ne nocte quidem a ſeſe dimitteret: cur idem Poeta Macedoniæ regi Caſſandro, tanto in pretio fuerit, ut complecti memoria totum laborarit: cur adeo familiaris, Strabone teſte, & charus fuerit Julio Cæſari, ut Ilienſibus agrum majorem ejus cauſa tribuere, libertatemque & vectigalium immunitatem confirmare decreverit, rerum jam potitus: cur Juſtinianus, Imperator ſacratiſſimus, tanti eundem fecerit, ut omnis virtutis patrem, in ſuo Pandectarum præfamine dicere eum nullus dubitarit.

Quanquam vero Plato in Homerum fuerit iniquior, ſuaque e civitate exulare prorſus eum juſſerit; ſidus tamen multo benignius idem expertus eſt in Ariſtotele, qui id in Homero potiſſimum admiratur & deprædicat, quod poëſin & exorſus ſit, & perfecerit: cum alias nulla res, judicio Senecæ, conſummata ſit dum incipit, & in omni negotio longe ſemper a perfecto fuerint exordia: quod communi etiam

hominum conſenſu adeo probatur, ut, quod ſimul affectum ſit & perfectum, ne Solem quidem vidiſſe arbitrentur.

Quæ cum ita ſint, nec reprehendendus eorum labor erit, qui in dictis Homeri monumentis ad poſteritatem nitide, integreque transmittendis, curam omnem, ſtudium, & operam indefeſſam poſuerunt; quo laudis genere nec Cantabrigianæ hujus editionis Autorem facile quis privet. Ea quippe, textum ipſum quod attinet, editionem Henrici Stephani, anno 1566. adornatam, exprimere contendit, utpote quam eum in finem ſe relegiſſe totam, optimarumque editionum conſenſu menda ſuſtuliſſe teſtatur Autor, eaque in re Florentinam, quæ anno 1488. prodiit: Romanam, quæ conjuncta eſt cum Euſtathio: & eam quam in Commentariis ſuis Euſtathius ſequatur ipſe: nec non aliam ab Adriano Turnebo anno 1554. procuratam, ſeſe conſuluiſſe.

Præmiſſi autem leguntur operi duo de Homero libelli, unus Herodoti, & alius Plutarchi, cum Stephani modo laudati annotationibus. Addita dein Iliados textui nova Latina interpretatio, quæ ipſa ordinem ſtructuramque verborum, quantum quidem linguæ Latinæ indoles tulit, ſequitur, verborum portentis, quæ ad imitationem Græcorum compoſitorum olim erant facta, ejectis inde & proſcriptis. Textui continua ſerie ſubjecta habes ſcholia, & lectiones varias, quarum autorem παλαιὰς ſeu veteres maluit, quam unum Didymum agnoſcere. Quinam autem fuerint, ex quorum commentariis hæc Scholiorum epitome confecta, id ſe recepit oſtenſurum in peculiari Diſſertatione, parti operis ſequenti, Odyſſeæ nimirum, præmittenda. In extremo voluminis occurrunt quoque Ἐπιγραφαὶ Ἰλιάδος, variæque lectiones, quas H. Stephanus marginibus Homeri a ſe editi appoſuit, ejuſdemque annotationes in ſuam Homeri editionem; variæ præterea lectiones, emendationes, conjecturæque in Scholia Homerica, quibus & additamenta nonnulla ex Excerptis MSS. accedunt cum ſuppoſititiorum ſcholiorum elencho.

Cæterum, quæ in Hackiana editione habentur, Scholia Lugduni Batavorum excuſa, locis pene infinitis, contra omnium priorum editionum fidem, detorta obſervat, depravata, mutilata, plurimiſque additamentis turpiſſime coinquinata. Verſionem, quam eadem habet Hackiana, & infamem & maculis fœdam nominare non dubitat, experientia propria edoctus, & Diſſertatione cumprimis M. Caſauboni.

Quam

Quamvis autem de autore fraudis, circa ſcholia admiſſæ, certi quid pronunciare nolit, optat tamen, non adeo negligentem nominis ſui fuiſſe Schrevelium, ut verba hæc, ACCURANTE CORNELIO SCHREVELIO, dictæ in editionis fronte legi permiſerit. Contagionem mali & Oxonienſem editionem traxiſſe non diſſimulat, utpote quæ Hackianam, paucis exceptis, κατὰ πόδα ſequatur: multoque melius actum cum eruditis fuiſſe exiſtimat, ſi iſtæ bonarum literarum corruptelæ maturius innotuiſſent publice.

TRAITE DES ETUDES MONASTIQUES &c.
hoc eſt:
TRACTATUS DE STUDIIS MONASTICIS IN tres partes diviſus; una cum enumeratione præcipuarum difficultatum, quæ in lectione Patrum cujusvis ſeculi queunt occurrere; ut & catalogo librorum ſelectiorum, componendæ bibliothecæ eccleſiaſticæ præcipue inſervientium, Auctore JOHANNE MABILLON, Monacho Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.
Lutetiæ Pariſiorum apud Car. Robuſtellum &c. 1691. 8.
Alph. 2. plag. 14.

VEtus quæſtio, & pridem agitata, *utrum Monachis licitum ſit ſtudiis incumbere,* Auctori celeberrimo & toties in Actis hiſce laudato anſam dedit hunc Tractatum conſcribendi; præſertim cum non paucis eam ab utraque parte premi difficultatibus, probe animadvertiſſet.

In tres eum diviſit partes. In *prima* oſtenſurus, non licere ſolum, ſed incumbere Monachis, ut ſtudiis navent operam, non diffitetur quidem, Monaſteria non eum in finem condita fuiſſe, ut Scholarum atq; Academiarum loco eſſent, ſed ut ad ſui potius ac rerum mundanarum omnium, interque eas artium non minus ac ſcientiarum profanarum contemtum ducerent, ſolique ſuos Scripturæ conſiderationi quotidianæ, virtutumque indefeſſo ſtudio conſecrarent. Non poſſe tamen absque adminiculo ſcientiarum juſtum illum & a fundatoribus præceptum ordinem ſervari, vel ex eo patere autumat, quod absque eo nec ſeniores rite juniores queant inſtruere, nec Scripturæ iis myſteria explicare, nec dubia eorum ſolvere, multo minus cum iis

c. I.

c. II.

colloquia de rebus ſpiritualibus a S. Pachomio ſevere ipſis injuncta, inſtituere. Jam certum eſſe, Pachomii diſcipulos non Scripturæ tantum, ſed & Patrum lectioni vacaſſe, Baſiliumq; idem fere ſuis præcepiſſe. Quod ſi igitur illis temporibus, cum in prima adhuc puritate eſſet conſtituta, literarum ſtudiis diſciplina indiguerit monaſtica, multo
c. III. magis ea his temporibus futura neceſſaria. Imprimis vero Abbatibus id negotii datum innuit, ut ſtudiis navarent operam; quod non ſolum alios erudire, ſed & ſæpenumero Conciliis intereſſe, inque illis Epiſcoporum vice fungi, tum & alia obire munia, quæ non niſi probe
c. IV. in his talibus exercitatos poſcunt, teneantur. De Clericis & Sacerdotibus eo minus dubitandum cenſet, quo magis ſtatus ipſorum accuratam ſacræ Scripturæ, tum diſciplinæ ac traditionum eccleſiaſticarum cognitionem videtur requirere, ne, quam Hoſ. IV. 6. Deus mina-
c. V. tur, pœna ipſos tangat. Neque vero etiam exempla deeſſe eorum, qui maximam doctrinæ atque eruditionis laudem conſecuti, non alibi ejus, quam in monaſteriis fundamenta jecerint: quales e Græcis Baſilius, Chryſoſtomus, Nazianzenus atque Athanaſius; e Latinis Hieronymus, Auguſtinus atque Gregorius Magnus. Quin & plurimos in Oriente pariter ac Occidente ne prima quidem literarum elementa deguſtaſſe, cum pueri adhuc, aut ætate nondum ſatis adulta, monaſteria ingrederentur, & tantum tamen in iis profeciſſe, ut Epiſcopi potuerint prodire. Alios ſcriptis in publicum editis inclaruiſſe, ut Ephræmum, Iſidorum Peluſiotam, Nilum, Caſſianum, Vincentium Lirinenſem, Maximum, Anaſtaſium Sinaitam, Bedam Venerabilem, Theodorum Studiten, Anſelmum, Bernhardum, aliosque plures; unde jam o-
c. VI. lim ſtudia in monaſteriis floruiſſe, omnino ſit probabile. Idem Bibliothecas innuere antiquitus in monaſteriis repertas, nulli alioquin uſui futuras, niſi lectio librorum etiam fuiſſet uſitata. Quorſum pertineat eorum labor, qui frequenti varii generis librorum tranſcriptione id egerint, ut quicquid eſt ſacrarum atque profanarum antiquita-
c. VII. tum, ad poſteros transmitteretur. Sed & S. Benedictum id egiſſe ſedulo, ut ſui ordinis Monachis aſſiduam librorum Veteris ac Novi Te-
c. VIII. ſtamenti, ut & Patrum ac Interpretum lectionem commendaret, pluribus ejusdem regulis oſtendit, & neglectum ſtudiorum cauſis inclinati-
c. IX. X. onis monaſteriorum in deteriorem ſtatum annumerandum probat. Unde factum, ut quotiescunque labentem diſciplinam reſtituere

volue-

voluerint, quibus hæc incubuit cura, omnem moverint lapidem, ut ſcholas ante omnia redintegrarent, bibliothecas congererent, collegia conventusque ordinarent, libros etiam conſcriberent. Quid? quod Anſelmus in epiſtola Mauritium expreſſe non tantum Virgilium, ſed & alios auctores profanos legere jubeat, iis ſolum exceptis, qui puritati atque honeſtati ſunt contrarii. In Monte inſuper Caſſino litera- c. XI.
rum ſtudia ad duodecimum usque ſeculum floruiſſe, Petrum Diaconum in ſuo de Viris Montis Caſſini illuſtribus opere ſatis ſuperque teſtari. In Anglia Bedam Venerabilem omnis generis ſcientias fratres ſuos docuiſſe, cujus poſtea exemplum alii fuerint ſecuti. In Germania præcipue Fuldenſe atque Hirſchfeldenſe, tum & Hirsaugienſe, Scaffnabrugenſe aliaque floruiſſe monaſteria literarum cultu inclyta. In Gallia quamplurima ſcholis academiisque inſtructiſſima Launoyum pridem indicaſſe. Porro nec Concilia, nec Papas ſtudia c. XII.
monaſtica prohibuiſſe, ſed ſuaſiſſe multo magis, probat ex Concilio generali Viennenſi, Colonienſi, Tridentino, ut & Conſtitutionibus Clementis V. atque Benedicti XII. Poſt abuſus ſtudiorum monachalium c. XIII.
examinat, tantique eos momenti eſſe non putat, ut omnibus in univerſum literarum cura ſit abjicienda. Neque enim ſic humilitati atque pœnitentiæ derogatum iri, neque ſupervacaneis diſputationibus contentionibusque viam aperiri, aut a laboribus conſuetis abſtrahi Religioſos, dummodo juſtus ſtudiorum finis ad virtutes atque pietatem ducens rite obſervetur. Operarum vero manuariarum loco, quas, uti c. XIV.
pluribus commonſtrat, magnopere ſibi commendatas Monachi habere debeant, ſtudia nonnunquam aſſumenda, librisque conſcribendis dandam ſuadet operam. Ita enim & otium evitari, cujus gratia laborem Benedictus Monachis impoſuerit, & mentem a pernicioſis cogitationibus abſtrahi. Eundem porro morem apud Græcos pridem tra- c. XV.
ditum & per ſingula continuatum ſecula, multorum exemplis probat, quos vel monaſticam amplexos vitam ſtudiis in ea nihilominus inclaruiſſe, vel prima ſaltem literarum rudimenta monaſteriis accepta tuliſ- c. XVI.
ſe conſtet. Ad Latinos denique dum pergit, ingens volumen vix futurum ſatis ait, ad deſcribendum omnes eos, quotquot a Pammachio, quem primum inter Monachos in prima urbe vocat Hieronymus, in literis gloriam ſint conſecuti. Imprimis in Gallorum monaſteriis, non virtutibus ſolum, ſed doctrinæ etiam ſcientiisque locum ſemper fuiſſe,

maxime teſtari Lirinenſe atque Arelatenſe, tum & Maſſilienſe, Viennenſe, Luxovienſe, Fontanellenſe, Corbeienſe, Turonenſe aliaque monaſteria. In Anglia Pelagium funeſtum equidem, ſed certum tamen, rectius Gildam cognomento Sapientem, Bedam Venerabilem & Alcuinum præbere exemplum. Italiam, Hiſpaniam ac Luſitaniam Gregorium præcipue Magnum reddidiſſe celebrem. Germaniam vel unicum Fuldenſe monaſterium, cui tamen Corbejenſe, Hirſaugienſe aliaque addi queant, ſatis illuſtraſſe. Omnibus vero his palmam præripere ordinem S. Benedicti, utpote qui ſolus fere literas pluribus in Europa ſeculis conſervarit.

c. I. Hæc ita cum oſtendiſſet, ad *ſecundam partem* progreditur, docetque, quænam Monachis ſtudia cumprimis, & quibus ea modis ſint tractanda. Hic ſub initium difficile cenſet atque arduum, certa ſtudiorum genera præſcribere, præſertim cum nec ingenia omnibus ſint eadem, nec ordines ſinguli eandem inſiſtere viam habeant neceſſe. Nihilominus in genere moneri illud poſſe, quod paria ſemper cum Eccleſiaſticis, quorum fere unicum in Scripturæ, Patrum ac Conciliorum lectione conſiſtebat ſtudium, fecerint, utque eo melius ſuperioribus ſcientiis ſe præpararent, inferiores primum qua par erat induſtria addidicerint.

c. II. Scripturæ ergo ſacræ ſtudium quod attinet, nunquam illud omittendum ſuadet. Eſſe tamen ait libros quosdam, quorum lectio familiaris magis eſſe debeat. Baſilium, Nilum atque Iſidorum Novi Teſtamenti libros non immerito præferre reliquis, quod imprimis ad compunctionem ii faciant, atque hinc junioribus præ ceteris ſint legendi: Caſſiodorum vero Pſalmos etiam ac Prophetas addidiſſe; ſingulos non excluſiſſe reliquos.

c. III. Poſt Scripturam Patres etiam ejusdem interpretes non omnino negligendos cenſet, nec tamen absque diſcrimine omnia eorum opera aſſumenda. Itaque exponit pluribus, quænam præcipue Patrum ſcripta & quo ordine ſint legenda, adultioribus Tractatum de lectione Patrum Eccleſiæ, Pariſiis A. 1688. editum commendans.

c. IV. Speciatim ad Poſitivam ac Polemicam Theologiam rectius imbibendam Patres ſingulos, vel ſecundum temporum, vel materiarum ordinem legi jubet; poſteriorem tamen uti breviorem, ita fortaſſis utiliorem exiſtimat, ſimul de ſingulis articulis in ſpecie qui ſint legendi, monſtrans.

c. V. Ab his progreditur ad Notitiam Conciliorum ac utriusque Juris, & ex quibus Scriptoribus hauriri ea commodiſſime

ſime queat, oſtendit. Scholaſticam Theologiam multis inutilibus, miſerandis, puerilibus, & ſanctiſſimæ religionis gravitate indignis deformatam quæſtionibus, non diffitetur; eam tamen tanti olim habitam, noſtro ſeculo longe magis eſſe purificatam ait. Hic ſummam D. Thomæ, ſub quo Theologia novo primum habitu induta fuerit, commendat, eique *Epiſcopii* Inſtitutiones Theologicas, aliquot tantummodo locis exceptis, non dubitat adjungere, ac ſingularem poſtmodum in ſtudio Scholaſticæ Theologiæ feliciter progrediendi methodum communicat. Eandem cum Scholaſticis, imo pejorem Caſuiſtarum quoque ſortem fuiſſe ait, atque hinc Monachos in legendis iis tempus non perdendum cenſet, ſed illud ſtudio potius Hiſtoriæ eccleſiaſticæ atque profanæ impendendum, quæ majoris uſus ſit futura. Itaque poſt Hiſtoriam monaſteriorum & Acta martyrum Hiſtoricos Græcos pariter ac Latinos, (a quibus nec profani ſint omnino excludendi, quorum Hiſtoria, Auguſtino judice, multum ad intelligendam Scripturam conferat,) conſuli jubet, ſimul quæ obſervanda ſint Hiſtoricos lecturis, aliquot regulis tradit. Philoſophiam quoque non omnino adſpernandam judicat, ita tamen, ut præjudicia tollantur, & non niſi veritatis ſtudio totum negotium ſuſcipiatur. Medicinæ, niſi in quantum ad corpus conſervandum faciat, nullam ſuis cognitionem concedit. Eos qui jam antequam monaſticam ingrederentur vitam, Philoſophiæ placita perceperint, ulterius iiſdem invigilare non arbitratur neceſſarium. Qui vero plane ἀμυστοι acceſſerint, eos prudentis informatione magiſtri habere opus. Politioris literaturæ ſtudia, quandoquidem ad Patres intelligendos atque veritatem contra adverſarios tuendam multum conducant, non penitus omittenda, ſobrie tamen, & non ad oſtentationem, ſed neceſſitatem potius tractanda. Stylum non ad ſuperſtitionem usque poliendum; pronunciationem diſtinctam atque gravem, in ſacris præſertim actionibus, ſequendam; Manuſcripta ſæpius, at cum circumſpectione quadam, conſulenda; Inſcriptiones atque Numiſmata non adeo ſollicite inquirenda; Criticam denique, cujus aliquot proponit regulas, non ſine magno multijugæ lectionis apparatu, judicioque limatiſſimo ſuſcipiendam judicat. Memoriæ ut eo conſulatur rectius, Adverſaria a ſuis colligi, inque iis quicquid obſervatu dignum ſeſe offert, paucis notari cupit, ita tamen ut ad fidei dogmata, ethicam Chriſtianam, diſciplinam eccleſiaſticam ac hiſtoriam

Margin: c.VI. p. 288. c.VII. c.VIII. c.IX. c.X. c.XI. c.XII. c.XIII. c.XIV.

riam monaſticam pleraque referantur, neque ſtatim ſimul ac occurrerint, ſed probe, etiam per dies aliquot nonnunquam, penſitata in chartam conjiciantur.
c. XV. Ad ſcribendum eos cito proſilire non jubet, eaque componi ſolum præcipit, quæ eccleſiæ, vel ſtatui monaſtico, vel Fratribus ad minimum ſint utilia; reliqua aut plane negligi, aut certe parcius tractari cupit, ne dum in onere ſibi non impoſito occupantur, ab impoſito abſtineant. Inde optimum laborem eum fore, ſi quis aut Græcos Patres Latine, aut ex Latino Gallice vertat, aut aliorum verſiones emendet. Quod ut eo rectius fiat, aliquot, quæ obſervari debeant, regulas communicat.
c. XVI. Pergit ad colloquia conventusque Monachorum, in quibus divinas olim lectiones exponere, aut de aliquibus quæſtionibus ſalubriter diſſerere inter ſe fuerint ſoliti; qualia colloquia jam quidem maximam partem in deſuetudinem abierint, commode tamen reſtituenda.
c. XVII. Magis neceſſarias judicat ſacras ad populum orationes, iis maxime inſtituendas, qui pietate, humilitate, zelo, tum & doctrina, verbiq; cumprimis divini intelligentia, non vero inani eruditionis oſtentatione, aut eloquentia interno ſenſu deſtituta aliis præſtent. Ad quas Catechiſationes, majoris etiam hic uſus futuras, nec adeo, ut quidem ſub initium videri queat, faciles, omnino requirantur.
c. XVIII. XIX. His ita expoſitis, nunc denique quo pacto juniorum ac novitiorum ſtudia, tam Philoſophica, quam Theologica ſint ordinanda, qui libri iis legendi, quæ exercitia ſuſcipienda monet; iisque regulas
c. XX. peculiares etiam præſcribit, qui tantum jam in ſtudiis profecerunt, ut absque cortice natare, h.e. ipſos ſectari fontes, & Scripturam pariter ac Patres in linguis originalibus legere queant. Hic Auctores juxta
c. XXI. ſeculorum ordinem enarrat, & quid in quolibet ſit attendendum docet. Claudit partem hanc ea indicando breviſſime, quæ Superioribus, quorum arduum officium graphice depingit, ſint lectitanda. Ubi totam quidem Scripturam una cum Regulis Monaſticis, maxime tamen Ezechielis caput XXXIV, Johannis X, Epiſtolas Pauli ad Titum ac Timotheum; e Patribus Gregorii Nazianzeni Orationem I, Chryſoſtomum de Sacerdotio, cum Epiſtolis Vitisque Sanctorum Monachorum, præ omnibus autem Gregorii Magni ac Bernhardi Opera quotidie ante oculos habenda præcipit.

In *Parte tertia* de Fine ſtudiorum Monachalium duplici agit, nempe veritatis cognitione, ac charitate cum voluntatis atque morum

rum emendatione conjuncta, absque quibus doctrina omnis inutilis ſit ac pernicioſa. Obſtare vero fini huic ait partim inanis gloriæ cu- c. II.
piditatem, partim curioſitatem nimiam, partim veræ ac legitimæ atten- c. III.
tionis defectum: quibus omnibus tum intentionis puritas, tum devo- c. IV.
ta ac quotidiana oratio mederi poſſit. His alios adjungit fines minus principales, nempe ut tempus recte collocetur, ut officio ſatisfiat, ut animus ſanctis cogitationibus piisque affectibus repleatur. Tan- c.V.
dem quærit, an non ſtudiorum Monachalium finibus accenſeri queant prædicatio ac ſcriptio, utpote quæ directe proximi utilitatem ſpectare videantur. Exiſtimat Auctor, cum vix ea absque oſtentatione aliqua, aut gloriæ cupiditate obtinenda ſint, rectius facturos Monachos, ſi ſemet ipſos ante omnia reſpiciant, neque prius ad proximum referre velint ſtudiorum fructum, quam divino nutu eo impellantur; cum alioquin non levibus tentationibus ſe nimii horum affectatores exponant.

Subjunxit his, quam Part. II. c. XX. promiſerat, Enumerationem præcipuarum difficultatum, quæ in lectione Patrum, Conciliorum ac Scriptorum denique Eccleſiaſticorum cujusvis ſeculi queant occurrere, ubique fere additis Auctoribus, qui has difficultates uberius explicarunt, & propriis nonnunquam obſervationibus. Ita Sec. VII. ex Epiſtola Columbani, quam reperiri ait in Epitome operum ejus a Flemingo concinnata, & Lovanii A. 1667. in fol. edita, probat, Concilium in Gallia circa A. C. 600. in cauſa Paſchatis fuiſſe habitum, cujus tamen Le Cointe in Annalibus nullam plane fecerit mentionem, neque aliunde etiam cognitio hauriri queat. Agmen claudit Catalogus librorum ſelectorum, præſtantiſſimarumque eorum editionum, componendæ Bibliothecæ Eccleſiaſticæ cumprimis inſervientium, ſingulari ſtudio ac labore congeſtus.

TRACTATUS DE OFFICIALIBUS BARONUM, Civilem & Criminalem Juriſdictionem habentium, vel Civilem tantum, aut ſolum Criminalem, Auctore Franciſco Joſepho de Angelis a Scanno.

Neapoli apud Franciſc. Benzi, 1689. in fol. Alph. 5.

SI ullus unquam multis homonymiis expoſitus multisque difficultatibus implicitus fuit, certe ille eſt, qui de jurisdictione inſcribitur

& tractat juris articulus. Sive enim jus vetus civile Romanum, ſive modernum reſpiciamus, tot in utroque nodos, tot a ſe invicem differentias offendunt nonnulli, ut exinde ſe vix expedire, vel certi quid ſtatuere queant. Optime itaque de Jurisprudentia mereri illi exiſtimandi ſunt, qui intricatam hanc jurisdictionis doctrinam juxta genuina principia curatius excutere, ac præprimis ex loci, quo degunt, conſuetudine & ordinationibus dijudicare ſatagunt. Quibus merito ſuo accenſendus eſt præſentis tractatus Auctor Nobiliſſimus, qui non quidem univerſam jurisdictionis materiam, ſed illam ſaltem, quæ aliis mandata eſt, excolendam ſibi ſumſit, & quid tam quoad theoriam, quam potiſſimum praxin, in variis circa demandatam jurisdictionem vel criminalem & civilem ſimul, vel alterutram obvenientibus caſibus obtineat, late expoſuit. Sed digitum maxime ad ſuam, in qua vivit, regionem, Neapolitanum ſcilicet Regnum direxit, ac quoniam, ut ipſe fatetur, ejusmodi fungitur officio, ſingula fere, quæ tali officiali ibidem expedienda incumbunt, ſpeciatim perſequitur, eumque hinc inde formulis tum Latinis tum Italicis inſtruit, ut habeat, quo in neceſſitatis caſu recurrat, ne forte contra receptos mores vel Curiæ ſtylum ullo modo impingat. Licet vero in eorum gratiam, qui Neapolitani Regni tractant judicia, hoc conſcriptum ſit opus, nulli tamen dubitamus, quin & in noſtris foris verſantibus aliquem præbere uſum poſſit.

Η ΘΕΙΑ ΓΡΑΦΗ, ΔΗΛΑΔΗ ΠΑΛΑΙΑΣ ΚΑΙ ΝΕΑΣ Διαθήκης ἅπαντα.

DIVINA SCRIPTURA,

nempe

VETERIS AC NOVI TESTAMENTI OMNIA, A viro doctiſſimo & linguarum peritiſſimo diligenter recognita, & multis in locis emendata, variisque lectionibus ex diverſorum exemplarium collatione decerptis, & ad Hebraicam veritatem in V. T. revocatis aucta & illuſtrata.

Παλαὶ μὲν ἑτερώθι τυπωθεῖσα, καὶ νῦν πρῶτον ἐκδοθεῖσα. Ἐνετίησι παρὰ Νικολάῳ Γλυκεῖ τῷ ἐξ Ἰωαννίνων. ΑΧΠΖ.

Olim

Olim quidem alibi excuſa, & nunc primum impreſſa Venetiis, apud Nicolaum Dulcem Ordinis Johann. 1687. in fol. reg.

Conſtat Alphab. tribus, ſex triernionibus.

VAriæ editiones Bibliorum Græcorum extant, quas inter etiam in Germania noſtra ſuperiori ſeculo, Argentoratenſis jam ab anno 1526, ac Baſileenſis, & hæc quidem cum textu Latino, in octavo, ut vocant, anno 1582. excuſæ laudem merentur. Hoc vero decurrente ſeculo in Anglia quidem & Belgio non una forma impreſſa ſunt, cumprimis portatili illa; apud Germanos vero, quod ſciamus, adhucdum id inter deſiderata eſt, licet ſummo ſtudio commendatum bibliopolis omnibus peculiari alloquio a *Zacharia Roſenbachio* in Lexico in LXX interpretes & libros apocryphos, A. 1634 impreſſo, *p. 197.*

Duplex in illis textus cumprimis occurrit, non inſigni adeo differentia, aliis Aldinam ſecutis editionem, ut in dictis prioribus illis & dicenda jam, aliis Romanam, ad exemplar Vaticanum, quod in recentioribus alteris hodie ſecuti ſunt magis editores. Operæ vero pretium eſt, notare editionem hanc Venetam, cujus titulum dedimus. Sequitur eadem *κατὰ πόδα* & per omnia editionem Wechelianam, (adeoque & Aldinam laudatam,) Francofurti A. 1597 impreſſam cum variis lectionibus, accurante, ut non ſine ratione conjicere licet, *Sylburgio*, editam.

Duplici ſaltim differt nomine; præfatione, ſeu dedicatione potius Græca, ad Johannem Serbanum Cantacuzenum, cujus munificentiam in diſtribuendis libris pro ſacris eccleſiis deprædicat; & additamento alphabeti & plagulæ unius, *σύνοψις τῶν περιεχομένων ἐν τοῖς κεφαλίοις τῆσδε τῆς θείας γραφῆς*, *Synopſis contentorum in capitibus hujus ſacræ ſcripturæ* inſcripto, velut indice pleniſſimo. Non aliter ac apud nos etiam ſeorſim excuſa viſuntur ſimilem in modum ſacrorum Bibliorum ſummaria. In exempli vicem capitis 1 Geneſ. hæc eſt Synopſis: *κεφαλ. α. περὶ τῆς τοῦ κόσμου δημιουργίας. τῆς διαιρέσεως καὶ καλλονῆς τῶν κτισμάτων. καὶ τῆς πλάσεως τοῦ ἀνθρώπου. καὶ ὅτι πάντα ὑπέταξεν αὐτῷ ὁ θεός. Φυλ. 1. De mundi opificio; diviſione & pulchritudine creaturarum; formatione hominis; quodque omnia ipſi ſubjecerit Deus. Fol. 1.*

MERCURII IN SOLE ANNO M DC XC, D. XXXI OCT. ST. VET. VISI, OBSERVATIONES.

IN votis quidem nobis erat, rariſſimi hujus phænomeni hiſtoriam, a curioſis ejusdem obſervatoribus conquiſitam, Aſtrophilis quantocyus, & antequam novitatis gratiam exueret, communicare: ſed dum ſperatas hinc inde obſervationes fruſtra præſtolamur, id temporis nobis effluxit, ut eo quo conſtitueramus loco, hoc eſt in menſibus Actorum, eandem exhibere jam non amplius ſit integrum. Cœleſtium tamen rerum ſcrutatoribus non ingratum fore perſuaſi ſumus, ſi eorum quæ Amicorum ſtudio & humanitati accepta debemus, etiam poſt tantum temporis intervallum, vel in his Supplementis participes redderentur. Quamvis autem quæ a Clariſſimo *Kirchio* habemus, ipſe jam *Ephemeridibus* ſuis *ad annum 1692* inſeruerit: iis tamen, ad quorum manus eæ non pervenere, repetita eorundem publicatione inſerviendũ duximus. Junximus his obſervationes Reverendi P. *Kochanski*, & Domini *Wurzelbaueri*: nec indignam cenſuimus, quæ his annecteretur, obſervationem ruricolæ cujusdã, in vicinia noſtra habitantis, qui naturæ quodam inſtinctu ad Aſtronomica ſtudia propenſus, jam ab annis inde aliquot inſpectandis cœli ſiderumque viciſſitudinibus attentiſſime incubuit, cœloque favente hunc etiam Mercurii incurſum in Solem animadvertit.

Excerptum ex literis R. P. A. A. Kochanski *Warſaviæ 10. Nov. ſt. n. 1690. datis.*

Solito lætior mihi dies illa Novembris illuxerat, quod Horizontem ortivum ſereniorem paucisque nubeculis infuſcatum cernerem. Cum ergo domui noſtræ Varſavienſi, ortus hyemalis plagam templum Parochiale obſtruat, me ad arcem Regiam contuli; ubi capto in aula ſcenica commodo loco, absque mora Solem ipſum prorſus innubem cernens, eundem per Teleſcopium Romanum, quod olim celeberrimus *Euſtachius Divini* paraverat, intuitus, interpoſitis tamen ad attemperandos Solares radios, quaternis tabulis ſpecularibus Veneris, ſaturati viroris, diſtinctiſſime conſpexi maculam nigram rotundam & quidem in ambitu ſuo accurate terminatam: tubus enim is opticus quanquam haud longior tribus pedibus Rhenanis cum quadrante, computatis una tribus lentibus ocularibus, egregie tamen objecta repræ-

Fig. 2.



lem.
30
40
50
60
70
80
90
Via Mercurii
Ecliptica.
Latitu
☿ Ingreſſus

Fig. 4.



D
A
B

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

præſentat, ipſos etiam comites Joviales hybernis noctibus illuni ac depurato cœlo. Situm igitur Mercurii in diſco Solari, non quidem ullis inſtrumentis, ſed ſola oculi æſtimatione deprehendi, qualem *Fig. Prima* exhibet (in qua lineæ oblique ductæ & punctis expreſſæ, a me tunc mente conceptæ ſunt, ut ex earum interſectione Locum Mercurii in Diſco Solari memoria firmius retinerem, non ut tramitem vel orbitam curſus Mercurialis exprimerem; hæc enim ex una inſpectione obtineri non poterat) inſpectoque ſub idem tempus Sciatherico penſili mecum allato, quod conſtat duabus armillis æneis auro oblitis, Meridiano videlicet & Æquatore, cujus axis mobile gerit foramen pervium, eſtque opus Anglicum peritæ manus, inveni Horam apparentem 8, cum Minutis 45 vel 48 proxime. TAB. V. Fig. 1.

Verum cupidus ſpectandi hujus Phænomeni per Teleſcopium pedum 18, & illud quatuor vitris inſtructum, dum mirarer, id præter ſolitum, omnia confuſe referre, ac proinde in lentibus ocularibus debite diſponendis diutius immoratus, nequicquam tamen proficerem, (Vitrum quippe Objectivum incuria famuli Tubum bajulantis, ſede ſua motum oblique conſtiterat, quod tandem ſerius deprehendi) Mercurius interea temporis, quod ipſi ſolemne eſt cum turba Alchymiſtarum, me ſpemque meam deluſit hiantem, atque a Syzygia Solari abiit, exceſſit, erupit, evaſit. Spectarunt illum vicibus alternis duo Juvenes Ordinis noſtri, quos privata inſtitutione Matheſeos Elementis imbuendos ſuſcepi; hi, dum ego cum Teleſcopio illo majore luctarer, identidem exclamabant; video illum ad marginem Solis: quod ego platice dictum ratus, exiſtimabam mihi tempus abunde ſuperfore, pro appulſu ☿ ad Limbum ☉ diligentius obſervandum: At pauſo poſt inſpecto Sole, hunc omni parte illuſtrem comparere, plurimum indolui. Conjecturam tamen prudenter inſtituendo, dixerim limbum Solarem a Mercurio peregrinante, Hora IX Solari, quam proxime ſuperatum eſſe. Latitudinem porro Urbis Varſavienſis, a *T. Livio Burattini*, viro in Mathematicis verſato, deprehenſam eſſe Grad. 52 cum 15 minutis, ex ipſomet, dum336 ſupereſſet, audiviſſe memini. De Longitudine certi nihil auſim pronunciare.

Excerptum ex Ephemeridibus Godofredi Kirchii *Anni 1692.*

Erfordiam delatus, quoties nocte obſervationem prægreſſa ſerenitate frui licuit, fixarum quarundam conſectabar altitudines, quas cum Solis altitudinibus poſt egreſſum Mercurii obſervatis, ſequens Tabula oſtendit:

Ordo obſervationum.	Tempora ſecundum Horolog. Oſcillator.	Altitudines.	Tempora ex altitudinibus ſupputata.	Differentiæ.
	H. ′ ″	Gr. ′	H. ′ ″	′ ″
		Proc.		
1	2. 9. 0	38. 5	2.16. 5	7. 5
2	2.12.30	38.25	2.19.17	6.47
3	2.14.35	38.40	2.21.40	7. 5
4	2.16.20	38.55	2.24.20	8. 0
5	2.18.43	39.12	2.27. 8	8.25
		Reguli		
6	2.26.34	26.35	2.32. 3	5.29
7	2.28.22	27.10	2.35.54	7.32
8	2.34.14	27.55	2.40.42	6.28
9	2.36.57	28.15	2.42.53	5.56
10	2.39.16	28.48	2.46.37	7.21
11	2.41.49	29. 0	2.47.56	6. 7
		Arct.		
12	5.46.43	24.20	5.51.25	4.42
13	5.48.55	24.42	5.53.42	4.47
14	5.50.39	24.55	5.55. 1	4.22
15	5.51.58	25. 6	5.56.12	4.14
16	5.53. 3	25.22	5.57.57	4.54
17	5.54.29	25.30	5.58.49	4.20
18	6.19.53	29. 6	6.21.36	1.43
19	6.21.21	29.38	6.25. 4	3.43
20	6.22.35	29.43	6.25.40	3. 5

Ordo Obſervationum.	Tempora Secundum Horologium Oſcillator.	Altitudines Solis.	Tempora ex altitudinibus ſupputata.	Differentiæ.
Calcul	H ′ ″	G. ′	H ′ ″	′ ″
21 f	7.40. 0	obſerv.	7.43. 0	3. 0
22 e	7.45. 0	g.	7.48. 0	3. 0
23 d	8. 7. 0	h.	8.10. 0	3. 0
24 c	8.11. 0	i.	8.13. 0	3. 0
25 b	8.20. 0		8.23. 0	3. 0
26 a	8.24. 0	a.	8.27. 0	3. 0
27	8.55.15	11. 0	8.58.12	2.57
28	8.56.45	11. 5	8.59.12	2.27
29	8.57.34	11.12	9. 0 4	2.30
30	8.58.24	11.17	9. 1. 0	2.36
31	8.59.13	11.23	9. 1. 56	2.43
32	9. 0.36	11.32	9. 3. 12	2.36
33	9. 1.50	11.36	9. 3.48	1.58
34	9. 2.42	11.47	9. 5.54	3. 2
35	10. 2.13	17. 4	10. 4.12	1.59
36	10. 3.16	17.12	10. 5.44	2.28
37	10. 3.56	17.12	10. 5.44	1.48
38	10. 4.34	17.20	10. 7.36	3. 2
39	10. 5.46	17.24	10. 8.28	2.42
40	10. 6.15	17.28	10. 9.24	3. 9
41	10. 7.51	17.30	10. 9.52	2. 1
42	10. 8.46	17.36	10.11.12	2.26
43	10. 9.35	17.40	10.12. 8	2.33
44	10.10.53	17.46	10.13.36	2.43

Ipſe Sol quamprimum mihi poſt horam 7, 30 min. redditus eſt, Mercurium tam in Tabella per tubum 13 pedum, quam directo intuitu, per tubum octo pedum, quatuor vitris coloratis inſtructum, ſed fruſtra quærebam. Immutato autem non nihil partium Teleſcopii prioris ſitu H. 7, 40 min. Mercurius in Tabula diſtincte ſatis apparuit, Solari maculæ non abſimilis, & niſi fallit memoria, propior Teleſcopii limbo oblongior, centro vero rotundior videbatur. Hor. 7, 45 min. horologii mei oſcillatorii, attentius Mercurii rimatus ſum magnitudinem, conjectisque in chartam aliquot variæ magnitudinis punctulis, in eadem linea diſpoſitis, eadem cum Mercurio contendebam: eoque puncto, ad cujus magnitudinem proxime accedere videbatur, miſcroſcopii ope omni cura adhibita examinato, diametrum ejus 15 ſecunda non excedere animadverti. Hoc ipſo quoque tempore circa Hor. 7. 45 min. locum Mercurii *g* (*Fig. 2*) in Tabula ſubnotaveram, in limbo Solis inferiori deſignatum; cum ejus diſtantia in ſuperiori Solis limbo non amplior quam 2 min. 45 ſecundorū, & circiter prope *k*, eſſet: Unde colligere licet, refractionem limbi Solaris inferioris 2 $\frac{1}{4}$ minutis ſuperaſſe refractionem limbi ſuperioris, adeoque diſcum Solarem ellipticum apparuiſſe. Hora 8, min. 7 & 11 Mercurio cum proximo limbo Solis notato, diſtantiaque in diſcum Solis relata, Mercurium in *h* & *i* me deprehendiſſe video. Ab Hora 8. 20 min. nubeculæ tenuiores Mercurium oculis meis abſtulerant, & paulo poſt etiam Solem obſcuraverant nubes: quibus diſſipatis Mercurius Hor. 8, 24 min. limbum Solis attingebat in *a*, totumque ejus corpus Soli adhuc erat immerſum, mox vero nubes quædam labores meos iterum turbabant. Annotaveram tamen antea regionem egreſſus, quam 15 gr. a vertice ſeptentrionem verſus eſſe deprehendi. Si itaque quæratur angulus Eclipticæ cum verticali, tempore memorato egreſſus Mercurii, Eclipticam invenio 43 gr. 25 min. meridiem verſus, quibus ſi addas 15 gr. egreſſus Mercurii a verticali, habebis 58 gr. 25 min. egreſſus Mercurii ab Ecliptica. Si præterea angulum viæ viſæ Mercurii cum Ecliptica ſtatuamus 8 gr. 15 min. quantum calculus ſecundum *Tab. Rudolph.* inſtitutus ſubindicat, non contradicentibus obſervationibus antea factis; nec non Solis ſemidiametrum, quantam recentiſſimæ optimæque obſervationes definiunt, 16 min. 17 ſec. ut & horarium Mercurii a Sole motum 6 min. 2 ſec. quem obſervationes *Dни.* *Galleti*

TAB. V. Fig. 2.

Galleti & Halleii anni 1677 me docuere, ſequentia ex obſervatione noſtra colligere licebit.

	Erfurti.		Uraniburgi.	
	T.Med.	T.App.	T.Med.	T.App.
	H. ′ ″	H. ′ ″	H. ′ ″	H. ′ ″
Ingreſſus Mercurii in diſcum Solis.	4.50.36	5. 0.30	4.54.36	5. 4.30
Appropinquatio centrorum proxim.	6.34.21	6.44.15	6.38.21	6.48.15
Egreſſus Mercurii è diſco Solis.	8.18. 6	8.28. 0	8.22. 6	8.32. 0
Tota Duratio.	3.27.30	3.27.30	3.27.30	3.27.30
Latitudo Mercurii tempore Ingreſſus.	10.53	10.53	10.53	10.53
Arcus inter centra in Conjunctione.	12.30	12.30	12.30	12.30
Latitudo Mercurii tempore Egreſſ.	13.52	13.52	13.52	13.52

Et huic rei magis innitendum eſſe exiſtimo, quam obſervationibus, quæ Mercurium literis *g, h, i,* in diſco Solis notatum exhibent; viſa enim illa Mercurii via tantum non impoſſibilis mihi videtur, maxime quod magnum nimis cum Ecliptica efficiat angulum: interim tamen optima fide omnia ita ut a me fuere deprehenſa, Lectori communicare volui, nec quicquam auſus fui curioſa emendatione immutare. Viam porro Mercurii, prout eam ex gradu egreſſus colligere licuit, totam delineavi, & ſub literis *f, e, d, c, b, a,* iis ſemper in locis exhibui, quæ ille in obſervationibus occupare debebat. Quod vero obſervationes *g, h, i,* cum calculo egreſſus minus accurate conſentiant, id ad refractionem refero, cum aeris, tum vitrorum teleſcopii, qua de re alio loco.

Mercurius in Sole obſervatus Norimbergæ A.O.R. 1690. d. ult. Octobr. Joh. Phil. Wurzelbaur.

TAB. V. Fig. 3.

		Tempora ſupputata
	Tempora Horol. Oſcillator.	
d. 30. Oct. p. m.	H. Min. S.	H. M. S.
	6.32. 0. culminat Os Pegaſi	9.28.45.
	9. 0. 0. culm. Cap. Andromedæ.	8.52.17.
	9. 4. 0. culm. Jupiter.	

6.40.0.

d. 31. Oct. a. m.	6.30. 0.	Cœlum undiquaque nubibus obductum ut		
	7.30. 0.	Solis exortus obſervari nequierit.		
	8. 0. 0.	Nubes ab occaſu verſus ortum propelluntur, & vi ventorum ibidem ad horizontem conſtipantur.		
	8.30. 0.	Sol e nubibus emerſit. Mercurius in diſco ejus ſuperne a verticali ad dextram, revera ad lævam, diſtans plus quam dimidio digito a limbo, exituriens apparet.		
	8.36. 0.	Mercurius poſtquam undulanti Solis limbo ad Min. temporis circ. adhæſitavit, exit ad 14° a Zenith Septentrionem verſus.		
	8.49. 0.	Altitudo Solis	10. 5.	8.38.38.
	8.59.45.	Altitudo Solis	11.10.	8.47.48.
	9. 7.10.	Altitudo Solis	12.10.	8.56.24.
	9.50. 0.	Altitudo Solis	16.28.	9.38. 7.
	11. 1.30.	Altitudo Solis	21.31.	10.46.32.
	12. 0. 0.	Obſervationem Solis meridianam cœlum nubilis denuo obductum denegavit.		

Ratio diametrorum Solis & nuclei Mercurii, dum lucido Solis diſco immorabatur, quantũ per auram haud ſatis defæcatam conjici poterat, erat ut 1000 ad $8\frac{1}{2}$. Poſt autem quam ad limbum Solis pervenerat, ejusque limbo undulanti ad minutum fere adhæſitaret, & genuinam rotunditatem ſuam (quæ antea ex luce diſci Solaris formam quaſi ellipticam mentiebatur) recuperarat, erat ut 1000 ad $12\frac{1}{3}$.

Idem Mercurii tranſitus ibidem *a Domino Sebaſtiano Braunio* obſervatus, exitum ex diſco exhibuit Sole 8°. 45 alto, hoc eſt Hor. 8. 27.40.

Eadem Obſervatio Sommerfeldiæ, pago a Lipſia milliari Germanico meſocaciam verſus diſtante, a Michaele Arnoldo (quem heri, die nempe 15 April. anni hujus 1695 e vivis exceſſiſſe, dum hæc ſcriberemus, inviti accepimus) habita Die 31. Oct. ſt. vet. 1690.

Poſtquam Sol mane ex nubibus, circa Horizontem ortivum conſiſtentibus emerſiſſet, capta ejus altitudine 50 minutorum, ſtatim perpendiculi mei vibrationes, quarum undecim 10 ſec. reſpondent, ope alterius adminiſtri numerare occepi. Quanquam vero tunc tempo-

Nn ris

ris Sol conſpicuus eſſet, aura tamen non usque quaque defæcata, Mercurium non ſtatim deprehendere potui. Cæterum ſpeciem Solis per tubum 11 pedum micrometro inſtructum in alba Tabella, cujus magnitudinem *figura 4* refert, excepi; extremis diſci duobus digitis in quinque partes diviſis, appenſo etiam pro retinendo ſitu Tabellæ verticali, perpendiculo. Pro determinanda Mercurii magnitudine, deſcriptis in charta diverſis rotundis punctis aut orbiculis diverſæ magnitudinis, iisque umbræ Mercuriali applicatis, diameter ejus 135tam partem diametri Solaris æquare, adeoque 15 ſec. fere, mihi viſa eſt. Exitum ejus ex diſco Solari nubes poſt quintam Mercurii ſtationem plagam orientis infeſtantes, intercepere; quæ toto reliquo antemeridiano tempore Solem obtexere.

TAB. V. Fig. 4.

Vibrat. perpend.	Obſerv. Mercur.	Altit. Solis. °	'	Temp. Vibrat. '	''
0.	- - -	0.	50.		
600.	1.	- - -		9.	6.
1000.	2.	- - -		15.	10.
1500.	- - -	3.	45.	22.	45.
2100.	3.	- - -		31.	51.
2200.	- - -	5.	7.	33.	22.
2600.	4.	- - -		39.	26.
2800.	Diam. Solis.	vertic.		32.	20.
		horiz.		32.	36.
3400.	5.	- - -		51.	34.

ΖΑΜΟΛΞΙΣ
PRIMUS GETARUM LEGISLATOR, *Academica Diſſertatione luci publicæ reſtitutus &c.*
Auctore CAROLO LUNDIO.

Upſaliæ typis Henr. Keyſer/1687 in 4. Alph. 1 plag. 6.

DEdicavit Scriptum hoc Autor doctiſſimus Regi Sueonum Gothorum & Vandalorum Sereniſſimo ac Potentiſſimo, Domino CAROLO XI, præmiſitque illi *carmen Græcum in antiquos antiquarum*

quarum Legum Geticarum conditores. In Procemio, quo Legentem ſalutat, redarguit eos, qui minus recte ſe feciſſe credituri ſint, quod initia legum Geticarum ad SAMOLSEN (ſic enim verius ſcribi) retulerit. Sibi vero animum fuiſſe ait, accuratiorem exhibere collationem legum patriarum & Atticarum antiquisſimarum, ut cuivis manifeſtum eſſet, jus alterum ab altero deſumptum: ſed hoc ſibi non licuiſſe, cum etiam aliud quoddam ſeparatum volumen tanti momenti conatus requirere viſus ſit. Quæ in Diſſertatione deſiderari posſint, curis ea poſterioribus certis de cauſis reſervata ſe velle profitetur. *Capite primo,* membraneos ait codices cum cæteris etiam manuſcriptis p. 2.
originem legum patriarum ad *Samolſen* referre, quem licet unus & alter qui ſit homo, ac natus nec ne fuerit unquam, neſcire ſe dicant, ſaniores auctores tamen pluſculi tradant ortum terra Thracia, quam *Getæ* tunc temporis incoluerint, tempore procedente *Gothi*, antiquioribus etiam ſeculis *Scythæ* appellati; quod *Meſſenius* evincat, & aliorum etiam præclarisſimorum virorum, quos adducit, autoritate confirmetur. Moxque nominis *Getarum*, *Gothonum*, & cognatorum nominum o- p. 3.
riginem exhibet, & *Suiones* etiam *Suevique* ac affinia his unde nuncupentur, disquirit: hanc *Odino*, qui etiam *Suidor* dictus, aliisque multis nominibus gaudeat, appellationem deberi negantes confutans, allegando pro ſe *Eddam*, quam una cum aliis libris non paucis, ſingulari cura & benignitate celſisſimi Herois ac Comitis, Domini *Magni Ga-* p. 4.
brielis de la Gardie, Academia Upſalenſis jampridem posſideat. Et liquere quidem ait ex Autoribus gravisſimis citatis, Majores ſuos toti p. 7.
Europæ ad Ægyptum & Etruriam usque, nec non Scythiæ minori ad Mæotim imperitaſſe, jaculandi peritia cæteris quibuscunque gentibus p. 9. 10.
præſtantes, qui legitimam filiorum bello potisſimum ferocium & me- p. 17.
liorum ter duodenis arcubus abſolverint, non tam ad ſignorum imitationem cœleſtium & aſtrorum, quam XII venerationem Deorum, & hinc *Scythæ* appellati ſint, quod in legibus priſcis Skuta Latino *ſagittare* planisſime reſpondeat. Mentionem ante injecerat *Vallis E-* p. 11.
lyſiæ (Glyſis dal, Elyſis dal, Liusdal) Ovidio memoratæ, nec non *camporum Elyſiorum* (Glyſis hed, Elyſis hed, Liushed) qui Virgilio aliisque decantati ſint, & in Sueonia ſua, in regione Helſingiæ, reperiantur. Quare a Gothico lyſa & ǻ ſ.e. & lius, liuſis ſive lyſis, originem cenſet omnino petendam, quod æſtivo tempore campi hi ſemper lu- p. 12. ſq.

centes conſpiciantur: indeque locum Poëtarum fabellis factum. Quibus campis Virgilius *Stygios lacus*, a Gothico *Styg*, & verbo *Styggias* formidare, & *nigra Tartara*, a ταρταρίζειν, quod eſt gelu tremere, luculenter opponat. Addiderat quoque *Atlanticos*, *Hyperboreos* atque etiam *Elyſios* terrarum tractus dierum productiorum longitudine a vetuſtiſſimis quibusque ſcriptoribus quam optime deſignari. *Capite ſecundo* docet, cur *vagina nationum* Jornandi *Scandinavia* dicatur. Getas enim ſive Gothos, qui iterum & ſæpius ante & poſt N. C. arma longe lateque per orbem victricia circumtulerint, e Gothia ſua egresſos eſſe, argumentis plurimis prorſus evinci tradit. Confirmatque id 1. *monumentis Poëtarum veterum*, quos ſuæ gentis homines appellarint *Scalldos*. 2. *concentu hiſtoriarum patriarum librorumque annalium*. Ut *Olaus Petri* merito ſic, ipſo judice, deſeratur, qui ſolus ex aliis atque aliis terris Gothos iſtos educere conetur. 3. *Communi ſcriptorum exterorum conſenſu*. 4. *Legibus Oſtrogothorum in Italia, & Viſigothorum in Hiſpania*, præter alias bene multas Longobardorum, Burgundionum, Francorum, Alemannorum, aliarumque gentium, quæ ſeipſæ oſtendant. His adjici cupit confirmationem Regis CAROLI IX. legum R. Chriſtophori communium: nec non Stiernhielmii præfationem in leges W-Gothicas auctoritate publica non ita pridem editas, collato præcipue Codice legum antiquarum Lindenbrogii. Nec prætereundum putat, quod in oratione ſua de Sueonum Gothorumque vetuſtate & fortitudine militari concinne perſequatur Illuſtr. *Johannes Skytte*, de legibus hiſce Gothicis erudite diſſerens. Sed & plura cerni ait monumenta virtutis antiquæ Gothorum ſuorum per Italiam paſſim aliaque regna, quæ maximam partem, ſuæ occaſione peregrinationis cum conſilio riteque inſtitutæ, in Diariis ſuis, qua ingenii ſit felicitate pariter ac induſtria, fideliter adnotata ſervet Nobiliſſimus Juvenis *Johannes Gabriel Sparvenfelt*, lucem forte auſpicatam, Fatis ſic adgubernantibus, tandem viſura. 5. *Legibus patriis omnium antiquiſſimis, & ſigillatim W-Gothicis*, quæ militaris quoque expeditionis, atque in Græciam aliasque regiones migrationis ſat perſpicue meminerint. 6. *Moribus, luctis, lingua, ſacris, & id genus aliis, cum exteris communicatis*. Certe Grotium inquit in Proleg. Hiſt. Goth. ad Mæotim & mores & linguam & nomen vigere hodie Gothorum, evincere; a quo nec hoc prætermiſſum, quod plurima

Per-

p. 14. p. 17. p. 21. p. 22. p. 23. p. 23.

Perſicæ linguæ nomina Scythæ ortis a ſe Parthis, qui diu Perſidem tenuerint, primum tradiderint. Quin de uſu etiam nunc Gothicarum vocum in Taurica Cherſoneſo & Præcopenſi Tartaria teſtari viros longe celeberrimos, Melanchthonem, Busbequium, Scaligerum, Vulcanium, Boxhornium, Rachelium affirmat. Neque diſſimulat, *Verelium* non pauca ex iisdem vocabulis plane eſſe Gothica, monſtraſſe in notis ad additamenta Vulcanii ad Jornandem. Atque poſſe pari ratione cætera, quæ ibidem viſantur, ad eandem referri originem. Id quod curæ quoque novi libri ejus poſſeſſoris, Viri Clariſſimi *Wolff*, defuncto jam Verelio, conſummandum forte relinquatur. 7. *Gentium naturali quadam migratione verſus meridiem*; quæ verba Cromeri ſint. Nec ſilet hic latitudinem corporis formamque, qua ſcriptores accurati Gothos ab aliis populis diſtinxerint. 8. *Antiſtibus ſacrorum ex univerſo fere orbe Chriſtiano in Concilio Baſileenſi*, qui aſſeveranti hoc *Nicolao Ragvaldi*; tum Wexionenſi Præſuli, & ad dictum Concilium legato, poſtea vero ſummo Pontifici Upſalenſi, ad unum omnes aſſenſi fuerint. Quibus denique 9. accedat *αὐθεντικῶς legum edita confirmatio* CHRISTOPHORI *Regis Sueon. Dan. & Norv.* quæ etiamnum hodie in tabulario Regni ſervetur. E ſcriptoribus producit *Jornandem*, ipſum Gothum, qui ſua e ſcriptis antiquiorum excerpſerit, *ab Scantia gremio velut examen apum erupiſſe Gothos* referentem, *Procopium, Paulum Warnefridi* Longobardum qui *Scandinaviam* appellet cum aliis bene multis & Joanne Boëmo de moribus & ritibus omnium gentium L. III. c. 8, *Ptolomaeum, Melam, Plinium* qui *Scandiam* dicat, *Solinum, Iſidorum, Dexippi* libros de rebus Gothorum τὰ Σκυθικὰ inſcriptos, *Eunapium* cujus de Scythis tradita verboſius promiſcue Ammianus Gothis & veriſſime tribuat, & vernacula lingua *Ablabium* Gothum: ſed & *Dionem* qui librum de rebus Gothorum geſtis Γετικὸν vocavit, *Zoſimum, Zonaram, Trebellium Pollionem, Anaſtaſium, Roſendium* Antiquit. Luſit. *Jacobum Bergomenſem* Supplem. Chron. *Schedelium* Senenſem Epit. orbis, Heinſium in Paneg. Guſtavi Magni, *Ferrarium* in Panegyr. Reginæ Chriſtinæ. Ubi tacere ſe dicit, quæ de Scythis eorumque Imperio per orbem longe ampliſſimo *Herodotus, Xenophon, Strabo, Diodorus Siculus*, aliique aliis atque aliis in locis commemorent. De Hiſpanis provocat ad *Alphonſum de Villa Diego* in Chron. Goth. Re-

p. 24. p. 26. p. 27. p. 28. p. 29.

gni; cum quo conſentiant *Rodericus Toletanus* de rebus in Hiſp. ge-
p. 30. ſtis, *Joh. Lupus* de J. & J. Regni Navarr. *Alphonſus Carthag.* anac. Regum Hiſp. & alii. Exitum etiam Gothorum in Italiam una voce fatentes *Italos Latinosque* indicat; & hic verborum *mulctare, mulgere, mulcere* fontem e Scythia inveſtigat. Juxtaque *Halophantam*, vocem apud Plaut. in Curcul. obviam examinat, quæ unde potiſſimum
p. 31. deſcendat, Salmaſius & Scaliger neſciverint. Ipſe tamen hominem ſignificare ait nequiſſimum præcipitis lubricæque fidei, ab *hal* & *fante*; ut neceſſe non ſit cum aliis rectius ſcribi exiſtimemus *Holophantam*, quaſi notetur ὁλοφάντης. *Vadari, convadari, vas, vadimonium* quid potiſſimum intendant, neminem dicit noſſe, niſi ad fontem in Suionia recurrat, ubi etiam nunc placide manans cernatur. Pari modo vocabulorum *Buſtirapi, (Buſt-ei-rapr) Macheræ, ſpennere, tennere*, unde *diſpennere* & *diſtennere, socci ſeu ſoccæ, ſoli, balli & ballicis* pariter a-
p. 32. pud Plautum occurrentium, item *Scurra* convitii, & plurimarum adhuc vocum, quæ in Ennio, Plauto, Catone, Varrone compareant, in-
p. 33. que aliis legantur, ſignificationem & originem Scythicam excutit. Speciatim monet, *Zythum* ζύθον Diodoro Siculo, potû etiam Ægyptiorum Æſchylo, Græcam an Ægyptiam vocem ſtatuant, interpretes dubitare: permultos tamen bene deduci a ζέω, quod eſt ferveo, arbitrari: ſed eſſe Gothicam vel inde monſtrari, quod ζῦθος illis ſit ſuthl/ſodh; verbum autem eſſe *ſieda, ſiuda*, Germ. ſieden / *co-*
p. 35. *quere*, quia ſignificet potum ex hordeo coctum. Poſtea *Francos* ſeu *Gallos*, nec non *Trojanos* e Scandinavia exiviſſe, auctoribus plurimis
p. 36. probare nititur, & *Galli Trojaque* quid ſignificent, oſtendit. *Hachen-*
p. 38. *bergium* vero quid humani paſſum eſſe arguit, *Lazium* erroris inſimulantem, quod Trojanos ſive Phryges & Cimbros Francosque unam originе gentem conſtituerit, atque etiam Phryges Cimbrica h.e. Teutonica lingua primum uſos docuerit. Contra laudat *Petrum Trecenſem Gallum*, qui tradat, e Sueonum proſapia *Amazones* proceſſiſſe; ut *O-*
p. 39. *roſius & Iſidorus* referant, communi ſcriptorum conſenſu. Et manere dicit etiamnum in Verendia Smalandiæ honorem & antiquæ fortitudinis inſigne: nam & faſciis ſericis militaribus, Feltteckẽn/ fœminas in conviviis ibidem uti, & ad hæreditatem cum viris ex æquo admitti, cetera promiſcuo mulierum jure agentes. Hinc pergit ad clariſſimum *Seringham*, Cantabrigienſem, qui c. VII. de Orig. Angl. Getas narret,

qui

qui poſtea Gothi nominati ſint, ex Scanziæ peninſula egreſſos vicinas inſulas primos occupaſſe, ac perhibeat Anglo-Britannos ex Saxonibus Anglis & Getis duxiſſe originem. Nec fraudi Scotico nomini eſſe poſſe tradit, ſe Gothorum prolem agnoſcere, quum ipſe Imperator Carolus V. e Scandiæ & Gothiæ tractibus totius Europæ nobilitatem exortam fuiſſe, ſerio dictitare ſolitus ſit, *Camdeno* teſte. Quæ *Munſteri* etiam in Coſmographia ſit ſententia. De Germanis *Paulum Fagium*, ipſum Germanum, teſtem advocat lib. de Meth. Hebr. p. 56. qui a Gothis Theutones prodiiſſe commonſtret, jungique jubet *Guilielmum Poſtellum. Verſteganum* autem, qui priusquam in Scanzia gens ulla unquam conſediſſet, colonias eo ex abundante incolarũ multitudine Germania ablegatas prodat, a Clariſſimo *Seringhamo* domeſticis teſtimoniis convictum vanitatis, ejusdem poſtulat. Ita quoque *Suizeros* primordia nominis gentisque docet e *Stumpſio*, *Hachenbergio*, *Julio Cæſare Scaligero*, *Werdenhagenio*, ad Sueviam ſuam jure meritoque referre. Unde etiam *Dani* vicinique reliqui genus ac ſanguinem petierint. Idemque *Moſcovitis*, qui vetere Goth. lingua *Auſturvegſimen*, creditum, *Sigismundum Baronem Herberſteinium* in eorum hiſtoria confirmare innuit: & *Chytræum* affert Præf. Chron. verbis legum Gothicarũ antiquarum, de propagato Gothorum nomine in diſtinctas alias regiones, exacte reſpondentem. Tum quando prima Gothorum facta ſit emiſſio declarat, quæque ſedes fuerint exeuntibus. Ubi præ cæteris allegatis, *Chronicon vetuſtum Sueoniæ* ut videatur, præcipit; progrediturque ad exponendum cauſas ejuscemodi profectionum. Deinde monſtrato huic aſſenſui, ſcriptorum omnium cultiorum gentium vetuſtate roborato, qui oppoſuerint ſe recentiores, quos inter emineant *Piaſecius Epiſcopus Præmislienſis*, *Anton. Bonfinius*, *Goropius Becanus*, *Cluverius*, *Pontanus*, quique annis his proximis ſcripſerint, *Chriſtophorus Hartknoch* Diſſ. III. de Origine gentis Pruſſ. & *Philippus de Waldenfelſe* in Select. Antiquit. a quibus & quomodo refutentur, conſpiciendum præbet: arguens inprimis, adſtructa laxius ubertate Sueoniæ cultiſſimi ſoli ac incolarum fortitudine, a *Kranzio*, cujus fidem *Waldenfelſius* elevare ſtudeat, ſtare omnes, qui recte ſentiant. Viſo ſic & cognito progreſſu Sueonum Gothorumque in regiones pene orbis totius diffuſorum, quærit an *America*, uti nunc appelletur, Sueonibus ſive Scythis ſuis prorſus incognita & inacceſſa fuerit?

Marginal references (right margin, in order): p. 40. — p. 41. — p. 42. — p. 43. — p. 44. — p. 45. — p. 46. — p. 47. ſeq. — p. 49. ſeq. — p. 53.

fuerit? ſimulque ſeptem præcipuas variorum ſententias de recens ejus
p. 54. detecti orbis incolis recenſet. Ut autem non neget, prima fronte difficultate haud carere, ſi ſtatuatur, non notitiam tantum Scythis ſuis fuiſſe hujus orbis, ſed & ipſum iisdem aditum: variis tamen argumen-
p. 55. ſeq. tis, quæ depromit ordine, induci ſe fatetur, ut ſententiam hanc a veri-
p. 61. tate minus judicet alienam. *Capite tertio* ex *Andrea Burei* Deſcriptione Sueon. polit. legum W. Gothicarum antiquitatem ſuffulcit, quam fruſtra labefactare contenderit *Herm. Conringius* de Orig. Jur. Germ. c. V. Cujus *argumentum primum*, quod ſubjicit, nimirum ante Ulphilam ne Runicas quidem literas ſeptentrionalibus illis fuiſſe uſitatas,
p. 62. deſtructum it ex hoc capite, quod evidentiſſime monſtret *Joh. Magnus* literarum uſum Gothicarum in patria ſua ex eximiæ magnitudinis ſaxis paulo poſt diluvium erectis. Comprobare idem putat *legem Attinis illius primi*, quam exhibeat *Meſſenius* Sueopentap. c. III. e Chronicis *Johannis Martini*, conſpirantibus etiam membranis legum patriarum antiquisſimis. Imo linguam Græcam eandem, quæ fuerit Gothorum veterum, exiſtimare ait Nobilisſimum *Stiernhielmium* in præfat. ad Ulphilam. Et quo nihil dubitetur, literas ejus linguæ, ut aliarum, Gothis eſſe acceptas referendas, cupit Clarisſimum *Rudbeckium*, affinem ſuum, in Atlanticis conſuli. Sed & probat e Clarisſimo *Salmaſio* de Hellen. homines primos, qui Græciam populis repleverint, & Græcæ linguæ fuerint auctores, e Septentrionali & Scythica plaga eo delatos. *Herodotum* etiam (cujus vulgatum Interpretem hic minus convenientis verſionis accuſat) diſerte teſtantem profert L. V. c. 58. Græcos literas ante uſitatas, Septentrionique debitas, ad ductum Phœnicearum, a Cadmo invectarum, accommodatiores reddidiſſe.
p. 63. Ad *alterum Conringii argumentum*, nempe leges ſcriptas nullas fuiſſe Sueonibus & Gothis, antequam iisdem uſi ſint Dani, juris ſui autores principes laudantes Reges Valdemarum primum, alterumque hujus nominis, quorum ille Scanicas & Sialandicas anno 1163, hic Cimbri-
p. 64. cas (ſeu Jutarum) anno 1240 promulgaverit, & has quidem magnam partem ex juris Saxon. ſpeculo acceptas, teſtante *Arnoldo Huitfeldio*, Magno Danici Regis Cancellario præf. leg. prov. Fion. reſpondet, concedi facile, juris illius vel emendatores illos Principes, vel auctores ſtrenuos extitiſſe, ſed prima ipſis initia deberi, vero non eſſe conſentaneum. Hiſtoriasque mittere ſe ait cultisſimæ gentis antiquisſimas, quæ legum

legum ejuſcemodi mentionem fecerint. Quod ad Scanicas ſeorſim attineat, cæteris certe Gothicis perſimiles eſſe contendit, cum & olim Scania pars Regni & cella penaria Gothiæ fuerit, primusque *Amundus Slemme* Rex eandem certis a reliqua Gothia limitibus ſeparari fecerit. Caput autem, quod innuat *Bureus* in Codice Legum W. Goth. ab judicibus variis iſtius regionis collectarum, etiam nunc extare, aperte memorans Gothos in *Græciam*, (quæ in veteribus lapidibus membranisque Girkia, Grikia & Gircklandi promiſcue, ſæpe & Grikum, Grikium & Girkium ſcribatur) & *Thraciam* egreſſos. p.65. Quod capientes de profectis religionis cauſa in terram ſanctam refellit, ſperans brevi futurum, ut *volumen integrum* ejuſcemodi *lapidum Runicorum*, induſtria præſertim Viri ampliſſimi, *Joh. Hadorfii* auſpicato denique ſucceſſu in lucem edatur. Ut alia, quæ capite hoc tertio ſequuntur, brevitatis ſtudio prætereamus, *capite quarto* evincere porro Clariſſimus Auctor nititur, Zamolzin omnino Gothorum olim legislatorem fuiſſe. Qua occaſione varia Herodoti, Laërtii, Strabonis aliorumque idem aſſerentium loca, cum antiquis membranis Gothicis conſentientia excutiuntur. *Capite quinto* Zamolxin Deum quoque Getarum celebratum, & pro Saturno, Hercule, Apolline cultum docet. Ubi ut & in ſequentibus capitibus, *ſexto* & *ſeptimo* varia, quæ ad Mythologiam veterum nominumque origines ſpectant, aliaque notatu digna obvia ſunt, quæ huc tranſcribere e libello, brevi tempore a quovis perlegendo ſuperſedemus. Quemadmodum & ea, quæ capitibus *octavo* & *nono* de Theologia & Philoſophia Zamolxis & veterum Gothorum, ex Edda aliisque monumentis antiquis diſſeruntur, ex ipſo fonte malumus hauriri. Deſinit Auctor Nobiliſſimus in elogio CAROLI MAXIMI hodierni Sueonum Regis, cujus ſumma eo redit, ut *mira eum conjunctione & poteſtatis & ſapientiæ eo usque pertendiſſe prædicet, quo virtus vera ſuffulta prudentia, felicibus etiam auſpiciis, unquam poſſit eniti.*

EXCERPTA EX LITERIS ILLUSTRIS D. MARCHIONIS HOSPITALII ad Joh. Bernoulli, addenda ejus Solutioni problematis æquilibrii in Actis Eruditorum Lipſienſibus A.1695. pag.56. publicata.

VIxdum accepi poſtremas tuas, in quibus ſignificas, eſſe tibi methodum conſtruendi generaliter per communem Geometriam problema *æquilibrii*, cum & ipſe e veſtigio hujusmodi conſtructionem eruerem, quam mitto, ut videas quousque tuæ conſpiret, eamque Actis Lipſienſibus inſeri cures: *Eſto in plano verticali data curva quæcunque VBH, quæritur altera CMN, ita ut duo pondera data B, M, alligata communi filo BCM ambienti trochleam fixam C, curvis ubivis impoſita æquilibrentur.*

TAB. V. Fig. 5.

Conſtr. Centro C & radio CQ æquali filo BCM deſcripto circulo QD, ac per quodvis curvæ punctum B ductis applicata BE radioque CBD, fiat ut pondus M ad pondus B ita abſciſſa AE ad abſciſſam CP, & agatur PM parallela ipſi BE, quo facto deſcriptus centro C & intervallo BD arcus circuli ſecabit PM in puncto M quod erit in curva quæſita.

Demonſtr. Concipiantur pondera B, M per minimum moveri, ita ut filum ſumat ſitum bCm, & ductis applicatis BE, be & MP, mp, deſcribantur centro C arculi minimi BT, MO; & agantur axi parallelæ rectæ minimæ BS, MR, curvæq; perpendicularis BK. Ex conſtructione pondus M eſt ad pondus B :: AE.CP :: Ae.Cp :: Ae — AE ſeu Ee ſeu BS.Cp — CP ſeu Pp ſeu MR, ideoque $B x BS = M x MR$; quoniam vero $BCM = bCm$, ſequitur Tb eſſe = Om & proinde $\frac{B x BS}{Tb} = \frac{M x MR}{Om}$. Jam ab angulis CBT, KBb rectis ablato eodem CBb, relinquuntur æquales TBb, CBK. Ita etiam angulus SbB vel EBb = CKB quia uterque cum angulo EBK conſtituit rectum: Ergo Tb eſt ad BS ut ſinus anguli CBK ad ſinum anguli CKB; unde ex ſtaticis regulis colligitur $\frac{B x BS}{Tb}$ exprimere conatum quo pondus B agit in pondus M, & viciſſim demonſtrabitur $\frac{M x MR}{Om}$ eſſe conatum quo hoc agit in illud. Cum itaque hi conatus ſint æquales, æquilibrium fiet. Q.E.D.

Q.E.D. Exinde ſatis liquet, punctum fixum trochleæ C cadere poſſe & ſupra & infra & in ipſum verticem curvæ VBH, adeoque originem abſciſſarum AE ad arbitrium infra horizontem AH eſſe ſumendam. Coroll. Exiſtente curva VBH Geometrica, erit & CMN geometrica.

Joh. Bernoulli Additio. Hac occaſione proponam Geometris aliud jucundum problema curvæ, quæ cum Iſochrona tam Hugeniana quam Leibnitiana non parum affinitatis habet. Quæritur nimirum in plano verticali curva ABC, in qua corpus B propria gravitate & libere deſcendens premat curvam ſemper æquali vi centrifuga, vel quod eodem redit, ut curvæ DE, ex cujus evolutione progignitur quæſita ABC circumplicatum filum BE ſeſe evolvendo a pondere appenſo B æquales vires tendentes patiatur, adeoque quovis momento eadem fili firmitas requiratur. TAB. V. Fig. 6.

Problemati huic ſatisfaciunt plures variorum graduum curvæ.

VITÆ PAPARUM AVENIONENSIUM,

edita a Stephano Baluzio, Tutelenſi. Tomis II.

Pariſiis, apud Franciſcum Muguet, Anno 1693. in 4. chart. auguſt. Conſtat prior Tomus Alph. 4. plag. 7. poſterior Alph. 3. pl. 6.

FAmoſa ſatis eſt diutina illa ſedis Pontificiæ apud Gallos commoratio, quandoquidem ab A.C. 1305. usque ad annum 1376, & per annos adeo ſeptuaginta Avenione Romana curia conſedit. Iſtam vero migrationem deterrima comparatione ab Italis exilium vocari Babylonicum Baluzius in ſua ad hoc opus Præfatione annotat; eam tamen ſimul vitioſam omnino inſulſamque & ineptam eſſe perhibet. Pontifices etenim Romanos in ſuo, id eſt, vere Romanos ait fuiſſe Pontifices, tametſi ſedem ſuam extra Romam habuerint; eum vero, qui in ſuo ſit, exulem non poſſe nuncupari ſuperaddit. Hinc quemadmodum abs natione Itala præter omne fundamentum ſolidum occaſionem plurimorum in rem Chriſtianam redundantium incommodorum derivari exin conqueritur, ita imprimis Gilbertum quoque Genebrardum accuſat, qui, licet homo apud Gallos natus & inter eos educatus, ac Regum Galliæ beneficiis ornatus fuerit, nihilo tamen ſeci-

Oo 2 us

us translatione hac antiquam Eccleſiæ faciem inſigniter fœdatam cauſetur. Mox & in Abrahamum Bzovium, Italum, invehitur, qui dementiſſima & inconſideratiſſima narratione reliquis ſuis civibus adſtipulari minus dubitet, & hoc pacto miſerabili illi ſchismati, quod velut appendix quædam fuerit translationis modo memoratæ, anſam ſuppeditatam fuiſſe cenſeat. Sua igitur dum argumenta Noſter ipſi objicit, multa ſimul de lite inter Clementem VII. ac Urbanum VI. disſerit, iſtiusque partes palam præ alterius hujus perſona tuetur. De cætero uti hiſtoriam illius ſeculi, quo curia Romana ſedem ſuam ad ripas Rhodani ita fixam habuit, nobiliſſimam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ portionem appellat, ita haud leviter ad eam illuſtrandam conducunt Vitæ hæ Pontificum Avenionenſium, in quibus publicandis pariter ac explicandis non mediocrem Auctor noſter induſtriam collocare dignatus eſt.

Equidem earum nonnullas Franciſcus Bosquetus, JCtus primum Narbonenſis, poſtea vero Epiſcopus Lodovenſis ac Monspelienſis, jam anno 1632. Lutetiis ediderat, ſed adeo mendoſas & corruptas in multis locis, ut prona quorundam gravisſimorum errorum in Hiſtoria occaſio extiterint. Baluzius ergo iſtas emendavit ad fidem veterum exemplarium Bibliothecæ Regiæ & S. Victoris Pariſienſis, tum etiam Fuxenſis, cujus apographum inter ſchedas Andreæ Duchesnii repertum eſt. Aliquas etiam cum vetuſtis codicibus Bibliothecæ Colbertinæ contulit, ac præter iſtas a Bosqueto editas plures inſuper in antiquis manuſcriptis Bibliothecæ Regiæ Colbertinæque ac Sorbonicæ ſe reperiſſe, nec Vaticanos codices inconſultos reliquiſſe teſtatur. Debentur autem eædem, ut Auctorum nomina ſpeciatim nunc indicemus, Joanni, Canonico S. Victoris Pariſienſis; Ptolomæo Lucenſi, Ordinis Prædicatorum; Bernardo Guidonis, Epiſcopo Lodovenſi; Auctori cuidam Veneto Clementi V. & Joanni XXII. coætaneo; Amalrico Augerii de Biterris, Priori S. Mariæ de Aſpirano in diœceſi Helenenſi; Petro de Herentals, Canonico Præmonſtratenſi & Priori Floreffienſi; Canonico cuidam Eccleſiæ Bunnenſis in diœceſi Colonienſi; Aymerico de Peyraco, Abbati Moyſſiacenſi; quorum quidam plures, quidam unum ſaltim atque alterum ex Pontificibus iſtis Avenionenſibus deſcribentes producuntur. Cognoſces ergo heic referri diverſimode vitas ac res geſtas Clementis V, Joannis XXII, Benedicti XII, Cle-

Clementis VI, Innocentii VI, Urbani V, Gregorii XI, Clementis VII, Benedicti XIII, quorum ſingulorum numiſmata ex muſeo Joannis Foy-Vaillant, Antiquarii Regii, mutuata in ipſo tractationis frontiſpicio ſiſtuntur.

Sed nondum in eo ſibi acquieſcendum Auctor ratus eſt, ut vitas hactenus nominatas nitide ac emendate exhiberet, quin potius præterea res ibi recenſitas ſtrictim excutere ſuſtinuit, ut mirum adeo non ſit, quod in duos Tomos operam præſentem excreviſſe videamus.

Tomus namque prior vitas ante omnia ipſas juxta ſeriem Pontificum ſe invicem excipientes complectitur, ampliſſimumque poſtea Commentarium ſubjunctum exhibet: cujus contenta prout antecedaneas de Pontificibus eorumque rebus geſtis enarrationes quam maxime reſpiciunt, ita plurimis, & iis certe utiliſſimis, quæ ad illorum temporum hiſtoriam quadrant, obſervationibus referta ſunt. Nimis autem prolixum foret, ſi cum B. L. ſingulas communicare inſtitueremus, ac proinde potiores tantum aliquas breviter nunc delibabimus, & prætermiſſis iis, quæ ad res geſtas Imperatorum Romanorum, Regum item Franciæ, Siciliæ, Arragoniæ, Ducumque diverſorum pertinent, ac hiſtoriam illorum temporum civilem hac in parte affatim illuſtrant, ea duntaxat referemus, quæ ad hiſtoriam Eccleſiaſticam propius ſpectare videntur, & rei quoque literariæ amantibus alias inſerviunt. Primo igitur loco Pontifices jam modo indigitati occurrunt, quorum memorabilia ex monumentis inſuper aliis, quam quæ habentur in præmiſſis vitis, ſubinde illuſtrat. Quando v. g. de Joanne XXII. diſpicit: utrum ſutoris alicujus veteramentarii filius extiterit? & hanc opinionem nullius Auctoris, qui vetuſtior ſit Antonino, Archi-Epiſcopo Florentino, teſtimoniis corroborari innuit, p. 689; quando Clementis VI. Genealogiam p. 829. ſeq. vitæque genus ab eo, usque dum ad Papalis dignitatis faſtigium adſcenderet, traductum p. 835. ſeq. exhibet; quando circa Benedictum XII. diſquirit: an is Carmelita fuerit? & an amaſiam habuerit Petrarchæ ſororem? quæ ſcripta in lucem ediderit? p. 796. 825. quando Urbani VI. electionem factam probat arte diabolica, p. 1185. multotiesque eum velut falſum Papam rejicit, crudelitatem, mendacia, ſuperbiam, & vitia longe plura eidem objectans. Quin & hiſtoriam ſchismatis, cujus ipſe magna portio,

accurate pertractandam ſumit, multisque ad hoc ſe inſtructum fuiſſe ſcribit collectaneis variorum tractatuum ab utraque parte eorum, qui tunc de ſummo Pontificatu contendebant, editorum, adeo, ut e ſola Bibliotheca Colbertina codices illorum XXI. habuerit. Pontificibus ſtatim adſociamus Cardinales, quorum ultra ducentos in ſcenam heic produxit Noſter, ac eorum nomina, officia, & acta in aliis quidem latius, in aliis viciſſim ſtrictius enumeravit, quanquam nihil fere eorum immiſcuit, quæ apud vulgatos hiſtoriæ Cardinalium Scriptores reperiuntur, quin potius errores horum propemodum innumeros ſollicite detexit. Longe tamen major eſt Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, qui introducuntur, numerus, quorum ſeries ex Indice locupletiſſimo Operi ipſi ſubjecto haud difficulter poteſt perſpici. Atque heic ſibi magno uſui fuiſſe profitetur excerpta e libris Obligationum ſeu Inſtrumentorum, quibus Epiſcopi & Abbates promiſerint ſe ſoluturos communia ſervitia, ut tum vocabantur, Papæ & Cardinalibus, libros etiam ſolutionum eorundem ſervitiorum, quorum excerpta ampliſſima a Viro Clariſſimo, Claudio Stephanotio, Monacho Benedictino Congregationis S. Mauri, ſecum communicata fuiſſe gratus agnoſcit. De Epiſcopis interim dum agit, Catalogos eorum ab aliis contextos frequentius emendat, traditumque vulgo ordinem Epiſcoporum v.g. Carcaſſonenſium p.960. Helenenſium, p. 1432. Morinenſium, p.958. Nemauſenſium, p.955. Ruthenenſium, p.1323. Tutelenſium, p.1313. Vivarienſium, p.1171. occaſione ita ferente corrigit. Nec parcus eſt in gentibus nobilioribus ſtemmatibusque præ cæteris illuſtribus delineandis, utpote cum ſtemma Augienſium Comitum, p. 1430. Belfortiorum genealogiam, quam minus accurate a Juſtello informatam queritur, p.829. ſeq. Chanacorum item, p. 1086. 1449. Combornenſium, p. 1425. Coſnacorum, p.1443. S. Elziarii, p. 1038. gentem Fagardiorum, p. 879. Fargiorum familiam apud Vaſates, p. 662. gentem Fredelorum, p.631. Gardiorum, p. 879. 985. 1478. Landorrarum, p.694. Magnacorum apud Lemovices, p. 1313. Pelagruarum, p. 642. nobilitatem Comitum Petragoricenſium, p. 771. gentem Pugetorum in Provincia, p. 1299. Revellonum apud Pictavos, p. 1122. Rogeriorum, p.829. Ruſſorum apud Cadurcos, p. 750. 1299. Rupenſium nobilitatem apud Lemovices, p.833. Salvaniam gentem apud Aquinam, p. 990. Servulorum apud Petrocorios, p.946. Teſtarum apud Condomienſes, p.682.

p.681. deſcribit. Huc etiam referas, quæ de odio Bonifacii VIII. adverſus Columnenſes, deque horum plurimis uno die a Nicolao Laurentii Tribuno interfectis, p.883. ac de Columnenſium & Urſinorum inimicitiis, p.813.828. annotat. Pergendum nobis eſt ad Viros doctos, quorum memoriam aut vindicare, aut renovare, magisque florentem ad poſteros transmittere Auctori placuit. Ex his imprimis nominamus Jacobum Andreæ, (qui a multis perperam Andreas dicatur,) Legum Doctorem, p.806. Thomam de Aquino, de cujus corpore Toloſam translato poſt alia p.1015. 1232. differit. Bartolum, quem d.13. Julii Anno 1357. obiiſſe monet, p.969. Armandum de Bellviſu, quem natione Provincialem facit, & eos errare perhibet, qui eum patria Barcinonenſem faciant, p.759. cujus dehinc ſcripta p. 1419. fratremque Jacobum de Belloviſu, cujus Commentarii in libros Feudorum laudati habeantur ab Ægidio Bellamera, nominat; Jacobum de Butrigariis, Doctorem legum, p. 808. Durandum de S. Porciano, Epiſcopum Meldenſem, p.784.794. Jo. Lignanum, JCtum, p.1400. 1477. Paulum de Liazariis, JCtum Bononienſem, p. 807. Jo. de Rupeſciſſa, cujus præcipue revelationes conſiderat, p. 942. Jo. Pariſienſem. p. 565. ſeq. &c. Hæreticorum præterea iſto ævo aut exortorum aut condemnatorum mentio ſubinde facta eſt, Begardorum puta, p.598. Dulcini, hæreſiarchæ Novarienſis, p. 605. Jo. Columbini, qui auctor extitit Ordinis Jeſuatorum, p.991. Flagellatorum, p.908. Petri Joannis Olivi, Minoritæ, p.583. 752. 693. quibus addantur errores Raymundi Lulli Anno 1390. juſſu Clementis VII. examinati; p. 1115. Lectu etiam ſunt jucundiſſima, quæ hinc inde monuit de Academia Montiſpeſſulani, de feſto conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, deque ipſa ejus conceptione maculata an immaculata? quæ de feſto S. Stephani Grandimontenſis, p. 743. de genuum flexione inter Paſcha & Pentecoſten intermitti ſolita, p.797. de libro hierarchiæ ſubcœleſtis, p.1279. 1474. de lanceæ & clavorum Chriſti feſto, p.929. de corpore S. Mariani apud Evaonium, p. 743. de montanariis ſeu comitatinis & eorum furore, p. 1206.1461. de origine Controverſiæ circa viſionem beatificam, p.787. de concha, in qua olim Conſtantinus mundatus fuerit a lepra, p. 883. ſeq. de ſubterratione, fœminarum ſupplicio, p.592. curioſe non minus atque erudite conſignavit. Juris Canonici Studioſos delectabit quæſtio: an Clementinæ nuncupari debeant liber Decretalium ſeptimus? ad quam ita reſpondet, ut

iſtud

iſtud quidem per uſum hodiernum vix admitti concedat, olim tamen hoc nomen iis datum fuiſſe inter alia ex literis, quas Michael de Cæſena ad univerſos fratres Ordinis Minorum congregatos in Perpiniano Anno 1331. ſcripſerit, edoceat, p. 682. Tacemus nunc, quæ de Templariis, p. 589. Synodoque Tarraconenſi adverſus eos habita, p. 666. deq; aliis ejusmodi argumentis attulit. Quæ enim hactenus exin producta fuere, abunde jam, ut opinamur, Lectoris excitabunt animum, ut inſtructiſſimam hanc eruditionis ſupellectilem evolvere ac perluſtrare, totus geſtiat.

Cum vero in his pariter cæterisque omnibus ubique ad acta vetera Noſter provocaverit, non potuit non ea integra in unum Volumen collecta (quod ipſum Tomi ſecundi nomen ſortitum fuit,) ſigillatim & ad verbum exhibere, multasque adeo epiſtolas Pontificum Romanorum, Regum, Principum, fundationes Eccleſiarum collegiatarum, non pauca teſtamenta Cardinalium & aliorum Magnatum, pluraque hujuscemodi ad eam hiſtoriam pertinentia inibi reperias, Archivis, Codicibus, & ſchedis aliis, unde unumquodque depromtum fuerit, ad marginem ubique adductis. Totum denique opus Nicolai, Epiſcopi Botrontinenſis in Albania, relatione de itinere Italico Henrici VII. Imp. ad Clementem V. Papam ex Codice 9920. Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis nunc primum edita & ab negotiis hucusque pertractatis non aliena concluditur.

RIME DEL SIGNOR ASCANIO PIGNATELLO.

h. e.

Poemata Aſcanii Pignatelli, Ducis Biſacciæ &c.

Neapoli apud Antonium Bulifon Anno 1692. in 4. plag. 14.

CEntum & viginti quinque Carminibus ſuum hoc abſolvit penſum Illuſtrisſimus Autor, in quo ad varios rerum caſus hinc inde oblatos excurrit, jamque ob diuturnam nimis abſentiam ſuæ cujusdam amaſiæ ſolatia ſibi ipſi ſuggerit, jam inopinata amici morte affligitur, jam ſulphuream Puteoli voraginem delineat, jam fratris ſui Mutii obitum deplorat, nec minus iis, quibus cum ſedula ipſi quondam amici-

amicitia fuit, (quales inter plures apparent Aſcanius Piccolomini, Archi-epiſcopus Senenſis, Dux Mocere Caraffa, Dux Caſtriota, aliique,) aut gratulatur, aut reliquis etiam eorum propenſionibus indulget; quæ ſingula ab induſtriis verſuum Italicorum æſtumatoribus commode magis perluſtranda, quam prolixius a nobis hic recenſenda eſſe judicamus. Cæterum præfaminis loco nonnulla ex Caroli de Lellis Deſcriptione perantiquæ *Pignatellorum* familiæ de Noſtri vita ſolertiſſimus adjunxit Bulifon, ex qua tamen illud modo unicum, quod Aſcanius hic ſecundo genitus Scipionis Pignatelli filius, non minus literis quam religione (habitu quippe equeſtri S. Jacobi ſumto,) ac Marte clarus, obindeque etiam a Rege Hiſpaniarum Philippo II. A. 1600. Biſacciæ Dux creatus fuerit, memoraſſe nobis jam ſufficiet.

BIBLIOTHECÆ MAGNÆ RABBINICÆ D. JULII BARTOLOCCII de Celleno, Congreg. S. Bernhardi Ord. Ciſterc. & S. Sebaſtiani ad Catacumbas Abbatis Pars IV.

Abſoluta & aucta a D. Carolo Joſeph Imbonato Mediolanenſi, Ejusd. Congr. Monacho, S. Th. & Ling. S. Profeſſ.

Romæ, ex Typogr. Sac. Congr. de Propaganda Fide. Anno 1693 Fol. Alph. 8. plag. 9.

ADmirabilis induſtriæ & magnæ utilitatis Opus eſt, quo Clariſſimus Bartoloccius, inter illuſtres Philologos, quibus Roma hodie inclaruit, de Philologia ſe optime meritum abunde demonſtravit. Ampliſſimum enim pandit theſaurum ſcriptorum, qui antiquiſſimam Judæorum in toto orbe fidem, mores ritusque olim ſacratiſſimos, & vel ab illis ſervatos, vel variis artibus hodie interpolatos, uberrime deſcribant. Fecit Clarisſimus Autor, quod Philologo, & in Judæorum monumentis verſatisſimo Doctore Chriſtiano dignum. Præterquam enim quod paucis datum ſit in recondita Rabbinorum penetralia profundius deſcendere: vix uni alterive par contingit anſa locupletiſſimam farraginem librorum Judaicorum, editorum ac manuſcriptorum, qui in Vaticana & illuſtribus bibliothecis aliis Romæ viſuntur, diſtinctius contemplandi, & curatius, præclaro Bartoloccii exem-

plo, excutiendi. Cujus egregii Operis *tres* ſuperioribus annis orbi erudito ediderat *partes* Vir laborioſiſſimus, in *Actis Anni 1686. Menſe Dec.* memoratas. *Quartam* adjicere contendit ſenex. Aſt anno ætatis 75, poſtquam dimidiam vitæ partem, annos 36, linguæ Hebraicæ Profeſſioni & rerum Hebraicarum in Vaticana vigili curæ cum laude impenderat, apoplexia A. 1687. 14. Cal. Nov. vitæ operisque filum rupit. Quem ergo grandævus in ſenio fidum nactus erat Operis hujus ſocium ac collegam, feliciſſimum doctrinæ & famæ æmulum, ſuum olim in his literis auditorem (f. 229. & 279.) Clariſſimum *Imbonatum*, huic ultimam Operi imponendam reliquit manum.

Sagaciſſimus itaque hic Operis curator ac editor, *Imbonatus*, in præmiſſa *ad Cardinales S. Congr. de propag. fide Epiſtola*, in laudes linguæ Hebraicæ ejusque fructuoſiſſimi & neceſſarii ſtudii digreditur. Commendat ſummorum Pontificum, *Martini V. Clementis VIII. Pauli V. & Urbani VIII.* in ornandis ac promovendis his literis vigilantiam, nec non bina *ſacra* illius *de propag. fide Congregationis* decreta, quibus ſalubriter ſancitum, *ut in omnibus Ordinibus orientales linguæ, Hebraicæ præcipue, doceantur.* Exemplis dein probat, ſine Hebræorum fontium peritia infelicem ſæpe datam & incongruam verſionem aut ſententiam. Fatetur, veteres, alias eruditiſſimos, ex linguarum imperitia in Scripturæ explicatione plurimum a vero aberraſſe. Acutiſſimum alioqui *Tertullianum*, ex Hebrææ linguæ defectu in exegeſi egregie hallucinatum, exemplo Pſ. 91, 13. ſcite demonſtrat. Qui, cum in fontibus legatur, *juſtus* כתמר *ut palma florebit*, fontium ignarus, ambiguitate verſionis Græcæ, ὡς φοίνιξ, deceptus, de *phœnice ave* expoſuerit. In alia *Præfatione ad lectorem* laudatiſſimi ſui Magiſtri, Bartoloccii, ingentia in ſe ex Rabbinica informatione merita gratus prædicat.

Johannes Rendtorfius, Hamburgenſis, in celeberrimi *Edzardi*, de fontibus Hebraicis meritiſſimi doctoris, Rabbinicis ſcholis primum inſtitutus, dein per multas Germaniæ Academias digreſſus, Regiomonte tandem Cracoviam dilapſus, Romanæque Eccleſiæ caſtra ſectatus, & in Italia ab illuſtri *Magliabechio* clariſſimo *Imbonato* commendatus, eique Romæ arctiori familiaritate junctus, longam Operi præmiſit *Orationem*, qua monumento præcipue Bartolocciano æternitatem auguratur.

Quod

Quod ad ipſis reliquias Bartoloccianas, *quarta* hac *parte* comprehenſas attinet, ad tenorem ſuperiorum trium Tomorum ſunt inſtructæ, utpote ſcrupuloſæ deſcriptiones ſcriptorum Rabbinicorum, quæ in literas a כ usque ad ת inciderunt. Hiſtoriam & argumenta librorum, nunc breviora nunc longiora, curioſe attexuit. Nec diverſas editiones neglexit, nec verſiones diſſimulavit, nec varios notatuque dignos manuſcriptorum characteres prætermiſit. Lapſus Philologorum paſſim notavit, ſolliciteque emendavit. Honorifice plerumque Philologos a Romana Eccleſia alienos tractavit, etſi nonnunquam ex religionis affectu duriuſcule eos exceperit. Philologicos diſcurſus paſſim data occaſione commode immiſcuit: *De fatis Pſeudo-Meſſiæ, Schabbetai Zevi: De Moſe, ejus nativitate ac vitæ genere, virga ejusque pondere ac duritie, origine, inſcriptionibus, de voce Moſis per universam Ægyptum audita, de decem in mari editis miraculis, de tabulis lapideis, de vitulo aureo, de manna, de cornibus Moſis, de ſerpente æneo*, pleraque ex Judæorum ſententia: *De libris Moſis: De Samaritanis, eorum lingua, charactere, Pentateucho: De diviſione Pentateuchi in libros, ſectiones, capita & verſus: De variis editionibus Bibliorum Hebraicorum, diverſis translationibus, de vulgata editione: De morte denique Moſis. Nummi Moſis cornuti* exhibiti occaſione, promſit & deſcripſit *nummos* quoque *adulterinos Chriſti. Aureum ſigillum Cabbaliſticum Rabbenu Niſſim*, aliaque *ænea Planetarum, Lunæ, Martis & Mercurii ſigilla* delineavit, luce ex *Kirchero* illis affuſa.

Incidit etiam *f. 333. & ſeq.* in quæſtionem *de Epocha nativitatis Chriſti*, quam diverſi diverſam ponant, exacte vix definiendam. Quo loco ingenue agnoſcit Vir integerrimus, quod in *Actis Erud. anno 1686. f. 588.* modeſte notatum erat *de Judæorum Epocha 3760.* Quem Judæorum calculum *in rerum Judaicarum tractatione* tolerandum candide aſſeverat, *etiamſi illa Judæorum Epocha deprehendatur aliunde falſa.* Ut optime adeo impleverit augurium noſtrum dicto loco propoſitū, qui non ex ſua ſed Judæorum hypotheſi iſtam Epocham tantiſper admiſerit, Judæorum genio, ad convincendos illos, argute ſe accommodaturus. Quod mitisſimum Abbatis ingenium, artibus magis quam impetu cum Judæis contendens, effecit, ut non lapſum quidem Judæorum excuſaret, dolum tamen ab illis pro ſua humanitate amoliri ſtuderet. Quippe qui non tam malitia quam oſcitantia ſic videantur hal-

lucinati, qui in ſuæ quoque gentis hiſtoria metachronismis ex ignorantia frequentisſime impingant. Quando ergo absque dolo ex mera inſcitia Judæos ſæpisſime in Chronologia lapſos rectisſime judicat vir inclytus, humaniter disſimulat callidisſimorum Judæorum dolos, in Chronologia commiſſos, ab ipſismet contribulibus Rabbinis notatos. Ex pluribus unum nunc ſuffecerit exemplum. *Joſephi ben Gorion* Hiſtoria Judaica tanti omnino a doctisſimis fit Judæis, ut appellent חבור מפואר יקר מאד *præclariſſimum opus*, כל דבריו צדק ואמת ועולה לא נמצא בו *veriſſimum integerrimumque ſcriptum*. Cujus integritatis ac veritatis argumentum addunt, האות על זה והיותו יותר קרוב אל הנבואה מכל הספרים שנכתבו אחרי כתבי הקודש והוא נכתב קודם המשנה והתלמוד גם כפי האמת האיש הזה היתה עליו יד יי' בחבור הספר הזה כמעט היו דבריו כדברי איש האלהים *Quod Joſippus hicce antiquisſimo ſuo iſthoc ſcripto proximius gradum attigerit divinitatis, quam omnes alii ſcriptores a ſacrorum ſcriptorum ætate.* Tantæ integritatis laudem apud ipſos Judæos obtineat licet celebris hic eorum ſcriptor, ut ab omni dolo prorſus videatur abſolvi: nihilominus *Abarbanel*, non minoris gloriæ & judicii Judæorum doctor & ſcriptor, non lapſus duntaxat in Chronologia frequentes, ſed & calliditatis nefandisſimique doli non unius in metachronismis intrepide cum accuſat, fallacis ingenii Judaici optime conſcius. In *Majene Hajeſchua f. 65. a. b.* artem ejus his detegit verbis: הרבה דברים כתב בחלוף האמת ובחלוף מה שהעידו עליהם כתבי הקודש כדי להסביר פנים לרומיים כעבד העומד כיד אדונים קשים שידבר כרצונם *Plurima ſcripſit a veritate & ipſa ſcriptura ſacra aliena Romanis adulandi ſtudio. Uti ſervus fari ſolet, quod duro hero gratum.* Recenſitis fraudis exemplis, ἐπίκρισιν iterum ſubjicit: מיראתו פן יקצפו עליו כדברו עמם דברי יתרונות שלא הגיעו להם החניפם כדברו כלבבם *Quod metueret iram Romanorum, ſi illuſtriora de Judæis pronunciaret, quam Romani audiviſſent, ad eo-*

rum

rum palatum ſtylum ſuum compoſuit. Mox detectis aliis lapſibus Chronologicis, dolum iterum reprehendit. לא עשה זה יוסיפון רק להסביר פנים עמהם כי לא עצר כח בתוך אויביו לחלוק על מה שהיה מפורסם אצלם ואין תלונתי על הגוים ועל חכמיהם רק עליו כי הוא היה יועץ וחכם חרשים וכהן לאל עליון שמאשר ראה עצמו ברומי עם מלכים ויועצי ארץ להיות בעיניהם כמוצא שלום וכמחליק לשון כתב הדברים כפי מה שראה שהיו מוטבעים בהם בסברותיהם הכוזבות: *Non niſi adulatio Joſippum pellexit, ut dolis uteretur. Inter hoſtes quippe ſe earum non eſſe virium intellexit, ut ſe opponeret rebus, quas illi palam admitterent. Neque vero indignor gentilibus, eorumve viris doctis, ſed huic noſtro Joſippo, viro alias prudenti, erudito ac divino ſacerdoti, quod inter Romanos eorumque Reges ac illuſtres viros vivens, conſenſum ſimularit, adeoque ad falſas illorum hypotheſes ſe accommodarit.* Singulos ab *Abarbanele* in *Joſippo* damnatos metachroniſmos examinare hujus non eſt loci. Apertum interim, ab ipſis ſociis ſuis Judæorum doctiſſimos accuſari in Chronologia fraudis & doli. Uti genium ſuum negare haud ſuſtinent. Præterea *Rabbini* & *Chriſtianis* dolos, in mutatis Chronologiæ terminis commiſſos, imputare non verentur. Ex ſuo quippe genio Chriſtianorum æſtimant ingenium. *R. Abraham Hallevi b. David* in *Sepher Hakkabbala, f.* כז *col. 3.* cum obſervaſſet, Chriſtianos ſtatuere & multis probare, Jeſum ſub Herode natum, addit: אפשר שהם טוענים כל כך לאמר שלא עמד הבית ומלכות ישראל אחר תלותו אלא מעט : *Chriſtianos ideo tantopere urgere nativitatem Jeſu ſub Herode veroſimile eſt, ut inde colligant, everſo haud longe poſt ejus ſuſpenſionem templo & regno Judaico, Judæos juſtas cædis illius dediſſe pœnas.* Similiter *R. Abraham Sachut* in *Sepher Juchaſin f.* יז. *c. 1.* cum eandem Chriſtianorum ſententiam, Jeſum ſub Herode natum, & haud longe ante vaſtatum templum eſſe ſuſpenſum, commemoraſſet, ſubjungit: כוונתם לבזותינו ולומר כי מיד במהרה קודם ק׳ שנה נחרב הבית

הבית בעון מר״ה שעשינו לו: *In noſtram hoc Chriſtiani fingunt ignominiam, ut dicant, ſtatim ab iſta cæde Jeſu, nondum elapſis quadraginta annis, propter hoc ſcelus, a Judæis in Jeſu commiſſum, templum fuiſſe vaſtatum.* Ubi anguis in herba latet. Etſi enim iniqua illa ſit imputatio & manifeſte falſa, Judæorum tamen genius exinde luculenter patet, qui non ſolum contribules, ſed & in hac ipſa nati Chriſti epocha Chriſtianos doli accuſare non reformidant. Pari igitur jure a Chriſtianis hæc in Judæos retorquetur culpa. Et majori quidem. Quippe quorum fallacem genium jam detexit Abarbanel. Deinde haud obſcure apparet, conſcientiæ ſcrupulo compulſos Judæos, ut, quem in ſe notandum animadverterent dolum, prævoniendo Chriſtianis callide impingerent. A manifeſtisſima namque veritate, quæ toti orbi innotuit, Jeſum ſub Herode natum, Auguſto Romæ imperante, Hillele Hieroſolymis præſidium Synedrii tenente, qui abeunt, & πανωλεθρίαν urbis cædem Jeſu proxime excepiſſe pernegant, ſatis abundeque artem produnt, cur filum temporis rumpant, & nativitatem Jeſu ab ætate Herodis, Auguſti & Hillelis abſtrahant, & aliquot fere ſeculis ante vaſtatam urbem, ſub Jannæo Rege in lucem editum cæſumque Jeſum plebi ingerant. Quare, cum una non ſuccederet fallendi via, alia aggrediendum putarunt alii. De cætero doctisſimus *Imbonatus* in præclara ſua *Bibliotheca Latino-Hebræa*, eundem Judæorum calculum aperte quoque repudiavit, fidus Bartoloccii interpres.

Opus tandem perfecturus Imbonatus, exemplo Bartoloccii defuncti diſſertatiunculas non paucas & ipſe injecit. *Laminam auream in fronte ſummi Sacerdotis* delineavit. *De Cabbaliſticis* bonis malisve *vocis* חשן *explicationibus, de Hebræorum Muſica & de Excommunicatione egit.* Fini operis attexuit & *Appendicem* omiſſorum, juxta ſuperiorem Alphabeti ſeriem. In his eſt diſſertatio *de maculis corporis animique, quæ Sacerdotem a ſacris arcerent: de libellis repudii Judaici. Michaelis de Molinos* dogmata gravisſime perſtringuntur. *Indices* ſunt adjecti varii, Scripturæ locorum, rerum, & autorum in toto opere laudatorum.

BIBLIO-

BIBLIOTHECA LATINO-HEBRAICA D. CAROLI JOSEPH IMBONATI Mediolanenſis Congr. S.Bernb. Ord. Ciſterc. Monachi, S.Th. & L.S. Prof.

Romæ ex Typogr. Sacræ Congreg. de propaganda fide, A. 1694. Fol. Alph.8.pl.16.

EMeritus hic Linguæ S. Profeſſor, Bartoloccianis laboribus ſuos jungens, haud diſparem in hoc opere ſectatus eſt methodum. Ut ille Hebræos, ita hic Latinos de Hebraicis rebus Scriptores ordine recenſuit Alphabetico. Ortus, religionis, & vitæ conditionem breviter plerumque annotavit. In cenſum retulit, quicunque vel de Judæorum rebus ſcripſerunt, vel opuſcula eorum verterunt, vel illos oppugnarunt, vel in V.T. ſunt commentati, vel ad illuſtrandum ſtudium Hebraicum & Rabbinicum ullam operam ſubminiſtrarunt, in Grammaticis etiam & Lexicis occupati. Neque excluſæ diverſæ religionis formæ addicti, niſi quod diſcrimen ex indicibus expurgatoriis ſæpiuſcule adjectum. In *Appendice* pari fide enumerantur, qui abſoluto opere inciderant. Hæc prima Voluminis pars exhibet.

Altera ampliſſimas duas *de adventu Meſſiæ* diſſertationes complectitur. Promiſerat enim Bartoloccius in vaſto ſuo opere plus ſimplici vice *diſſertationem de Meſſia*. Mortis vero injuria hoc monumentum nobis ſubtraxerat. Quare Clariſſimus *Imbonatus* defectum hunc reſarciendi officium prompte in ſe ſuſcepit. *Chronologiam* totius Scripturæ ſacræ uſque ad natum Chriſtum concinne contentam præmiſit: differentia inter computum textus Hebræi, Græci & Samaritani, haud neglecta. Magno ſtudio natalem Chriſti ad annum a C. M. 4000. deduxit. Quam epocham, ſuo licet fundamento nixam, qua eſt modeſtia, *probabilem* appellat, *f. 29. f.* Cujus uſum etiam adverſus Judæos demonſtrat. Eoque pacto ſua in rempublicam literariam merita aucturus, publicis literatorum deſideriis *(V. f. 46. col. 2.)* ſatisfacere contendit. Cum enim ab ipſo Bartoloccio expectaretur in promiſſa diſſertatione Judaicæ Epochæ 3760. examen, quo Judæorum calculum erat repudiaturus, utrumque, pro ſua in Bartoloccianos manes pietate, ab obitu ejus ingenioſe præſtitit *Imbonatus*. Adjecit ſuæ chronologiæ varias celebriorum chronologorum de nati

Chriſti

Chriſti Epocha opiniones, ut & integrum *breve Judæorum chronicon* סדר עולם זוטא cum verſione *Genebrandi.*

Prima Diſſertatione Mesſiam adveniſſe fuſe & docte probat, & a Judæorum exceptionibus & blaſphemiis veritatem acute vindicat. Hiſtoriam quoque Pſeudo-Mesſiarum longo ordine pertexit. Scitam dein exhibet collationem dictorum Veteris & N. Teſtamenti de Chriſto, ejus genere, adventu, nativitate, divinitate, officiis ac beneficiis, ſuæ fidei regulis interim ſubſerviens: ſimiliter de Judæorum pertinacia, perfidia, rejectione, disperſione, de excidio Hieroſolymitano, de omni ſpe reſtaurandi templi adempta.

Altera, Hæreticorum, qui in doctrinam de Chriſto, ejus præcipue humanam ac divinam naturam, ullo unquam modo impegiſſe viſi, ſophiſmata curate diſcusſit.

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS VINCENTIO DE JUSTIS Nobili Lucenſe Auctore Tractatus.

Lucæ apud H. Pacium, 1691. fol. Alph. 6. pl. 14.

POſthumum hoc opus eſt Auctoris jampridem defuncti, quod filii ejus *Thomas, Honuphrius* & *Dominicus de Juſtis* anno demum 1691. luci publicæ expoſuerunt, Sereniſsimo Lucenſis Reipublicæ Senatui dicatum & in tres libros diſtributum. Eorum primo, poſtquam de Diſpenſatione, i.e. juris communis relaxatione ab eo, qui diſpenſandi poteſtatem habet, cum cauſæ cognitione facta, generatim quædam dicta eſſent, Praxis Diſpenſationum Matrimonialium in Curia Romana late explicatur: altero de Impedimentis matrimonii, quæ ſecundum jus ſeu Divinum ſeu Eccleſiaſticum obſtant, quominus licite & valide contrahatur matrimonium, diſceptatur: tertio exponuntur cauſæ, ob quas circa impedimenta illa Diſpenſatio concedi valeat. Singula ex JureCanonico & Doctorum Pontificiorum placitis copioſe pertractantur, ut non dubitemus, in Eccleſia Romana Opus hoc, ut titulus ipſe innuit, *Epiſcopis, Vicariis, Curatis, cæteriſque in utroque foro verſantibus, perutile ac neceſſarium futurum.*

ACTORUM ERUDITORUM,
quæ Lipſiæ publicantur,
SUPPLEMENTA.
Tom. II. Sect. VII.

HIBERNIA ANGLICANA:
or,
THE HISTORY OF IRELAND FROM THE CONqueſt thereof by the Engliſh to this time.
i. e.

Hiſtoria Hiberniæ a prima ejus per Anglos ſubactione in hunc usque diem. Partes II. Autore RICHARDO COX.

Londini apud Joſephum Watts, 1689. in fol. Alph. 11.

SUſcepit opus hoc Wilhelmo & Mariæ Regibus inſcriptum Auctor Clariſſimus, ut accurata tandem ſuisque temporibus distincta Hibernorum hiſtoria prodiret. Namque eam adeo hactenus denſis tenebris obfuſcatam in præfatione conqueritur, ut & Hibernis omnibus ignota, & Anglis in indagatione rerum talium alias & ſagacibus ſatis & felicibus minus accurate cognita ſit: id quod uberiore Hiſtoricorum ejus gentis cenſura paulo poſt deducit, ac modo rerum peritiam, modo chronologiam, modo juſtam operis perfectionem ipſis defuiſſe oſtendit. Qua re motum ſe profitetur, ut Inſulæ tanti momenti res e genuinis omnium temporum monumentis quæ inveniri potuerunt conquireret, atque Hiſtoriam conſignaret Hiberniæ integram debitoque modo ſibi cohærentem. Hanc uti gratam Orbi Erudito fore non dubitat, (nec ſane dubitandi cauſam habet) ita præceps de libro non ſatis lecto vel intellecto judicium merito deprecatur, & in labore difficili aliquid molitus bona quæ-

vis a lectore potius expectat. Ceterum priusquam rem ipſam aggreditur, lectori cauſas aperit motuum, bellorum, cædium a multis jam annorum centuriis Hiberniam devaſtantium: easque in tres potiſſimum claſſes diſtingui putat: 1.) diſcrimen nationum ac ingeniorum in hunc usque diem ingens ac periculoſum; 2.) commodi proprii ſeu ejus quod intereſt perverſam cupidinem; cumprimis autem 3.) ſchisma Religionum, quod non Hibernorum ſolum, ſed & miſſorum e Britannia colonorum Papiſmo adhærentium animos ita exacerbarit, ut illis præter morem aſſociati ad delendos Proteſtantes undiquaque concurrerint; id quod recentium ſeculorum hiſtoria plus ſatis manifeſtum reddat.

Finitæ Præfationi Apparatum ſubjungit, in quo generaliora Inſulæ exponit: ſitum nempe ac ambitum, fertilitatem, portuum inſignem multitudinem, (præcipuum Anglis retinendæ in obſequio Hiberniæ medium) flumina & alia iſtiusmodi. Incolarum originem fruſtra e libris Hibernorum peti annotat, cum vaniſſimi ſint, & ridiculi rerum ſuarum jactatores: interim ſi conjecturis utendum, eos partim e Britannis, partim e Saxonibus ortos, ex antiquis eorundem ſacris, Druidibus, Bardis, lingua, charactere, habitu ſuſpicatur. Linguam enim (a nonnullis inepte pro originalium una venditatam) e Cambrica, Danica Latinaque compoſitam, variis ſpeciminibus oſtendit. Regimen Inſulanorum antiquum longe peſſimum deſcribit; ſiquidem unicuique provinciæ, utut exiguæ, regulus cum abſoluta poteſtate; univerſæ autem rei Monarcha præfuit, non ullo ritu vel augurio inunctus, adeoque dux belli verius quam rex: cujus proinde auctoritas non tanta fuit, quin per cædem ejus unusquisque ad ſummum faſtigium graſſari niteretur. Ita ſane 118 Monarchas ſubditorum ſcelere necatos (quorum 86 per parricidia regnum adepti, pari fato id amiſerint) & 600 prælia bellis inteſtinis commiſſa refert. In judiciis lex nulla fuit ſcripta vel in ordinem redacta: ſola judicis vel reguli voluntas ſuffecit, prætenſis interim neſcio quibus antiquis traditionibus, quas pro lubitu inflectere nullius laboris erat. Atrociſſima criminum, latrocinia rapinæque non alia quam pecuniæ mulcta coercebantur; furtis adeo non inter peccata numeratis, ut is civis optimus fortisque vir eſſet, qui fur artificioſus. Omnium vero conſuetudinum duas ait perniicioſiſſimas extitiſſe, *Taniſtry* & *Gavelkind* nominatas;

natas; quarum illa hæredium non maximo natu ſed fortiſſimo adjudicavit: hæc ſpurios ad hæreditatis partem admiſit, excluſis uxoribus & filiabus. Ridiculum eſt, quod his annectit, munia judicum, poetarum, hiſtoricorum & philoſophorum fuiſſe hæreditaria; atque adeo ſtupidis & ineptis æque tributa. Hoc tamen non obſtante, tempus aliquando fuiſſe monet, quo Hibernia ob eruditionem incluta magnum exterorum confluxum attraxerit, adeo ut 7000 peregrini uno tempore ſtudiis in ea operam navarint: cum nempe viri docti, perſecutionum tempore ob fidem Chriſtianam fugati, ſe illuc recepiſſent. Simulac vero ſedatis perſecutionibus exteri in ſuas oras regreſſi ſint, in priſtinam Hibernos barbariem recidiſſe, & ejus veſtigia hodieque ſupereſſe annotat. Ad Chriſtianam fidem in Hibernia propagatam deveniens, omnino antiquiſſimam Inſulanorum converſionem fatetur, a S S. Patricio & Palladio ſec. poſt C.N. V. promotam: ſed vero religionem illam ab hodierna papicolarum doctrina multum differre, prolixis ex Uſſerio, quem in compendium contrahit, verbis diducit. Hodie autem tam craſſam ait penes gentem hanc eſſe rerum credendarum ignorantiam, ut ne centeſimus quidem primarios fidei articulos norit; ſed anili quisque ſuperſtitione id omne imbibat, quicquid a monachis ipſi propinetur. Muſicen Hibernorum lyra (ſcuto totius Inſulæ regio) & utriculari tibia conſtare ſcribit, & hujus uſum in deducendis præſertim funeribus ſolennem: ubi præterea ingens mulierum ejulatus riſum moveat, cum eæ haud raro ne nomen quidem defuncti norint; id quod viſum a ſe & auditum affirmat. Non tamen adeo novercam Hibernis contigiſſe naturam addit, quin eorum multos ingenio callido & ad omnes ſagi togæque artes aptiſſimo bearit; cujus rei illuſtriſſimum exemplum ſit, quod aliquando expulſis Anglis totam Inſulam non ſine prudentiæ laude gubernarint. Apparatui, quem paulo prolixius excerpſiſſe non pœnitebit, ad finem perducto, tabulam addit Hiberniæ accuratiſſimam: & ſic ad ipſam hiſtoriam pedem promovet.

Sed quemadmodum Hiberniam nonniſi Anglicanam promiſerat, ita ſeriem hiſtoriæ orditur ab Henrico II. Plantageneta R. Angliæ, qui primus Inſulæ cupiditate tactus occaſionem eam invadendi captavit. Sed pro ſuperſtitione temporum illorum, cum nil ea in re, quam impetrata prius a Pontifice R. licentia tentare auderet, A.C. 1156 Johannem

nem Sariſberienſem Romam miſit, qui ab Adriano IV. ipſomet Anglo facillime bullam cum annulo aureo in inveſtituræ ſignum accepit. Hujus vero ab Alexandro III. poſtmodum confirmatæ validitatem non adſtruit modo contra Hibernos Auctor; ſed & jure Henricum inſulam bello petiiſſe, e quotidiana & infeſtisſima Hibernorum piratica, ingentique in captos ſævitie probatum dat; quæ ſcilicet tanta fuerit, ut faſſi ſucceſſu temporum ipſimet inſulani ſint, juſto Dei judicio factum, ut quos adeo crudeli modo exercuerant, dominos nunc experiantur. Quicquid autem hujus ſit; Henricus cum in Aquitania nimium reperiſſet negotii, differre Hibernicam expeditionem coactus eſt usque ad A. 1169, quo Dermondus quidam Leinſtriæ regulus ob crudelitatem extorris opem Regis ſupplex imploravit. Tum itaque ſuis primo (nondum enim ob res Aquitanicas ipſe potuit) in Hiberniam transfretandi licentiam conceſsit: & cum hi paucis, quas advexerant ſecum, centuriis terrorem toti inſulæ incusſiſſent, Henricus ipſemet menſe Auguſto anni 1172 cum 4000 militibus Waterfordiæ appulit, & ſtatim ab omnibus Hiberniæ regulis atque clericis in Monarcham electus homagium fidei ac feudorum accepit. Convocata deinde Synodo, multa quæ ad emendandum eccleſiaſticum civilemque ſtatum facerent ordinavit, ritusque ad Anglorum mores reformari curavit. Mox tamen ob ſeditionem filii Papæque excommunicationem regredi compulſus, feneſtram aperuit Hibernorum perfidiæ: quanquam ne omnino ſibi deeſſet, Johannem filium Moretoniæ Comitem illuc miſit, Hiberniæ Dominum futurum, non Regem. Id enim quam periculoſum ſit, rege filio gaudere, expertus ingemuit & cavit. Johannes iſte, poſt parentis atque fratris obitum Rex Angliæ, monetam atque leges Anglicanas primus in Hiberniam introduxit. Allatæ vero ſunt ejus tempore A. 1194. celebris illius S. Malachiæ Clarevallenſis reliquiæ, & in monaſterium Ciſtercienſium Mellifontenſe (ad quod diu poſt nemo niſi antiquisſima ſtirpe Hibernus admittebatur) non ſine magna veneratione delatæ. Secutus Johannem Henricus III Epiſcopos Hibernorum eligi, non petita prius a ſe licentia, vetuit; appellationes ad Rom. Curiam rejecit; tributa auxit; rebellantes domuit; naves ad cuſtodiam portuum extrui curavit; legum Anglicarum obſervantiam renovavit. Ejus tempore Pontifex R. decimas per Hiberniam contra Fridericum II. Imp. colligi tam ſevere præcepit, ut ad calices

lices usque & ſacros habitus extenderentur: quod cum A.1240 iterato feciſſet, Fridericus (qui fruſtra dementiam Anglo exprobrarat) Legatis inſidias ſtrui,& captis in Italia argentum omne juſſit adimi, querulosque, ſed intactos, Romam dimiſit. Sub Eduardo I. repreſſi ſunt Scoti, qui Hiberniam ferro & flammis devaſtabant: fracti quoque in regis commodum bellis mutuis perduelles inſulani. A. 1320 Dublinium Academiæ privilegia per Alexandrum Bircknor Archi-Epiſcopum a Johanne XXII P.R. obtinuit: hinc S.Patricii templum ſacris ejus exercitiis deſtinatum. Eduardo III. regnare incipiente, Adam Duff quidam Hibernus ob negatam SS. Trinitatem exuſtus eſt. Rex vero variis edictis tum in Hibernia publicatis, tum Londino miſſis, mores ac ſtatum Inſulæ emendavit: Ulſtriam ſuis hucusque Comitibus parentem ſibi ſubjecit: Armachanum præſulem criſtas nimis erigentem repreſſit: perque Lionellum filium Clarentiæ Ducem in Hiberniam cum exercitu miſſum, ſalubria multa ordinavit. Quam exigua vero ſumma pecuniæ Anglis ex Hibernia temporibus iſtis accreverit, exinde colligas, quod omne argentum Henrico V. in ſubſidium belli Gallici A.1420 conceſſum, & per univerſam Inſulam ſtudioſe collectum, vix 400 Sterlingenſes libras æquaverit. Sub Henrico VI. parum abfuit quin totam Inſulam Hiberni (ipſius Regis, ut credebatur, ope ſuffulti) excuſſo Anglorum jugo liberaſſent; ni Richardus Eboracenſis Dux & Eduardus ejusdem filius (poſt Henricum VI. Rex Angliæ) partim vi, partim prudenti benignitate ſub obſequium & redegiſſent denuo & continuiſſent Inſulanos. Memorandus ſub hoc Eduardo Rege Johannes Worceſtrius, Angliæ Theſaurarius & Hiberniæ Prætor, quem ſuo tempore totius orbis eruditiſſimum ac eloquentiſſimum virum extitiſſe Auctor perhibet. Longe celebrior erecta Regis hujus auſpiciis illuſtris illa S.Georgii Societas (the Brotherhood of S. George) quæ junctis ſub uno Duce, quem Capitaneum vocabant, armis Hiberniam Anglicanam (Rege alibi ob negotia varia diſtento) omni quo poſſet modo protegeret; ſuis interim gauderet juribus, reditibus, ſuo magiſtratu, quem ſingulis annis inſtituto Dublinii conventu ſolenni mutabat. Quid ſub Henrico VII. in Hibernia Eboracenſi domui mire favente cum Simnello impoſtore actum, ut ille corona Marianæ ſtatuæ inſignitus, paulo poſt victus in Anglia promum condum in culina Henrici Regis egerit, in vulgus notum: id miratur Auctor, magnatibus

Hibernorum nihil pœnæ inflictum, quam quod Rex oſtenſo in culina Simnello iis illuſerit, ſtatim tamen deprecantibus ignoſcens. Vehementer autem extollit Poyningi regii per Hiberniam Prætoris merita inſignemque prudentiam, qua non Perkinum ſolum alterum impoſtorem exegerit, ſed & factis aliis quamplurimis æternum ſibi nomen pararit. Aliud longe nomen erat Armachanæ urbis, cujus peſſimos mores & miſeriam ſequentes verſiculi illis temporibus confecti indicant:

Civitas Armachana
Civitas vana
Sine bonis moribus:
Mulieres nudæ,
Carnes crudæ,
Paupertas in ædibus.

Initio regni Henrici VIII. Caſſellanus Archi-Epiſcopus cum nimia monachorum flagitia deprehendiſſet, potentiam ea coercendi politico magiſtratui, frendente licet clero, conceſſit. Lites poſtmodum inter Armachanum atque Dublinenſem præſules de prærogativa natæ, in illius favorem decisæ ſunt. A. 1535. ordinatus in Dublinenſem Archi-Epiſcopum Georg. Brown, qui cum in Anglia Provincialem Auguſtinianorum egiſſet, ac de ſola fide ſalvifica multa pro concione dixiſſet, primus dein ex Hiberniæ clero Proteſtantium religioni ſubſcripſit, ac omnino multum ad Papalis eminentiæ deſtructionem contulit. Coactum non multo poſt in Hibernia Parlamentum ſententiam quidem, ex voto Regis, de ejus divortio & abroganda Pontificis autoritate tulit; aſt in exſecutione ejus eo lentius perrexit, cum nimis alte Papalis auctoritas Hibernorum animis inſediſſet. Secutum A. 1542. aliud Parliamentum celebre decretum ſancivit, ut Henricus cum ſucceſſoribus inpoſterum REX (non, ut ante, Dominus) Hiberniæ ſalutaretur: quod regi non minus gratum quam ſalubre fuit: Hibernis enim Regis nomen longe magis venerabile viſum, adeo, ut ſolenni feſto diem hujus decreti feriarentur. A. 1541. Rob. Warchop titularis Archi-Epiſcopus Armachanus (cœcus ab incunabulis, & equis tamen pernicibus ſine ullo ſui incommodo uſus) Jeſuitas in Inſulam primus asportavit. Ceterum ſingulare eſt quod de Henrico αὐτόπτης Auctor ſubnectit; illum ſe-

nunquam

nunquam in reſcriptis ſuis annum vel Chriſti vel ſui regiminis adjeciſſe, utut menſem diemque ſedulo ſemper annotarit; quod & haud parvam chronologiæ confuſionem injeciſſe monet.

Cum Eduardo VI. memoranda inprimis veniunt Reformationis initia: edictum de Miſſa ſermone Anglico celebranda: diſſidia inter Armachanũ ac Dublinenſem Præſules exinde nata: translatio Bibliorum Hibernica, & alia prolixius ab Auctore relata. Sufficiat binis verbis indicaſſe, viciſſe Brownium Dublinenſem Regis auctoritate nixum: Dowdalium Armachanum ſede ſua pulſum, & introductam d. 2. Febr. A. 1552. Anglicam liturgiam. Verum cum præmatura Regis optimi morte res hæc ipſa quoque mutata eſt. Nolumus autem hic prolixe cum Cl. Cnoxio diſquirere, an jure regnum Maria tenuerit, & quænam in ſucceſſione regnorum ratio ſit obſervanda. Summa huc redit: *Regem de jure* non eſſe niſi terminum artis & notionem ſecundam, ſicut ens rationis apud Logicos: ac proinde qui regnum conſenſu Parliamenti occupet ac *de facto Rex* ſit, pro legitimo ſine exceptione agnoſcendum. Cum e contrario is, qui relicto regno exceſſit, non aliter ac maritus uxoris deſertor conſiderandus ac ſpernendus ſit. Maria, cujus artificium omne in feſtinatione conſtitiſſe Auctor perhibet, primo ſtatim tempore Pontificios reſtituit, expulſis Brownio reliquisque Proteſtantium partibus addictis. Inter illos erat & Petrus Walsh Epiſcopus Methenſis ex conſcripta Hiberniæ Hiſtoria notus, qui demum ſub Eliſabetha exul obiit. Non omittenda vero eſt pia mulieris cujusdam Hibernæ fraus; quæ cum Reginæ Legatum penes ſe divertentem ſæva de trucidandis Proteſtantibus mandata habere percepiſſet, iis furtim ſurreptis chartas luſorias ſtudioſe compactas ſubſtituit; atque adeo Legatum multa jam gloriantem, & in ſolenni Ordinum conventu mandata promentem ſannis omniũ ac ludibriis expoſuit: hinc in Angliam ille diſceſſit, novisque a Regina diplomatibus munitus cum reditum moliretur, obiiſſe Mariam audiit; quæ quamvis Pontificia, nihilo tamen pacatius Eduardo Hibernis imperavit. Eliſabetha ſtatim ac regimini admota eſſet, novam ſibi & accuratam omnium Hiberniæ provinciarum deſcriptionem transmitti juſſit, quæ quidem ſatis miſerum Inſulæ ſtatum repræſentabat. Eccleſiam in eum, quo ſub Eduardo fuerat, ſtatum reſtauravit: Abbatum totiusque Cleri filios incaſtis amori-

bus

bus prognatos muneribus ſacris, ſecus ac hactenus, abſtinere juſſit: ſcholas erigi mandavit: tributa auxit; quibus rebus magnam utique Hibernorum invidiam conflavit, non parum per Pii V. P. R. bullam, qua diris devovebatur Eliſabetha, roboratam, & a Philippo II. Hiſp. Rege, Allenio & Sandero Jeſuitis auctam promotamque. Longum foret enumerare, quot novæ ſurrexerint, una vix extincta, ſeditiones: quæ & quanta contulerit ad reparandam Inſulæ fortunam prudentiſſima Reginarum: ut varias leges abrogaverit aut ſanciverit: ut in eligendis Pro-Regibus prudens fuerit: in ignoſcendo malignis vel puniendis iis circumſpecta: in mittendis ex Anglia colonis ſollicita: in evertendis hoſtium conatibus ſagax & fortunata. Nimium jam prolixi fuimus, & reſtat adhuc recenſenda pars altera. Duo tamen adhuc ſubjiciemus. Erectam A. 1593. in Proteſtantium commodum ex illuſtri Collegio Academiam Dublinienſem, cujus albo inſcriptus ſancto omine primus eſt Jacobus Uſſerius: & Epiſtolam ab Eſſexio Comite, Reginæ longe cariſſimo & aliquando ad Hiberniam componendam miſſo, 15. Jun. 1598. ad eandem ſcriptam; in qua quid virium ab utraque parte ſit, quis genius, qui motus Inſulanorum, quæ remedia malis gliſcentibus adhibenda, non minus ingenue quam luculenter exponit.

Properamus jam ad II. partem, in qua quidem recenſenda tanto parcioribus eſſe permiſſum erit, quo pauciorum Regum res geſtæ referuntur; & quo propius eæ ad noſtra tempora accedunt. Ante omnia vero memorandum, ſumma uſum eſſe Auctorem clariſſimum in evolvendis archivis atque ſcriptis accuratione; cujus non ſolum univerſa hiſtoria teſtimonium illuſtre præbet, verum & ſubjunctæ XLIX Appendices eandem Sole meridiano clarius oſtendunt. In his enim quicquid alicujus momenti ſcriptorum publicorum in Hibernica re uſpiam temporibus III. Regum emiſſum eſt, magno hiſtoriæ ſtudioſorum commodo exhibetur; ut minutiora in Parliamentis, per epiſtolas alibive acta, quæ ipſimet Hiſtoriæ interſperſit, nunc taceamus. In Præfatione, ſingulorum Hiberniæ Prætorum vel muneribus aliis virorum illuſtrium merita, mores, vitia, æqua ſemper lance perpendit; nec ſane ipſiusmet Reginæ Caroli I. uxoris nimium in promovenda religione ſua ſtudium reticet, annotatque quoties illa publicis ſe rebus immiſcuerit, toties infelicius Carolo omnia

ceſſiſſe.

ceſſiſſe. Sed non propterea culpandum ipſummet eſſe Regem ſanctisſimum, quaſi cum uxore colluſerit, aut atrocem calumniam ipſi impingendam, quaſi peſtiferos Hibernorum conatus foverit. Imo vero totis viribus in contrarium iviſſe, & abuſos nequiſſime nomine ipſius perduelles, toto Apparatu, qui poſt præfationem reperitur, Auctor oſtendit.

In acceſſu ad Jacobi I. hiſtoriam, vanam refert Hibernorum traditionem, qua Regem hunc e ſuo ſanguine ortum rectaque ab Adamo linea CXXIum gentis ſuæ Principem credunt; perſuaſi ſcilicet, XI. ante diluvium regnaſſe: XXVI. poſt id, antequam in Hiberniam penetrarint: LI. in Hibernia: ac XXXIII. demum in Scotia. Nihil autem id perfidos homines permovit, quo minus variis per totum ejus regni tempus ſeditionibus Angliæ jugum excutere tentarent; partim diplomatibus Pontificum inſtigati, partim & nimia Regis benignitate vecordes facti. Vehementer enim id in Jacobo vituperandum cenſet, quod nimia lenitate in Pontificios homines uſus ſit, qui tamen, ut ſucceſſus monſtrarit, magna pulverariæ conjurationis pars extiterint. Laudat vero Prætores Regios, laudat curam Parliamenti A. 1612. in Hibernia congregati, qui ad propagandam Proteſtantium tum religionem, tum temporalem quoque potentiam, omne momentum contulere. Diverſa e contrario via ingreſſus Carolus Jacobi ſucceſſor, cum ad comparandum quem volebat exercitum pecunia indigeret, Hibernis liberum omnino religionis exercitium, modo tributum ob eam rem indictum penderent, conceſſit: fruſtra reclamantibus cum Uſſerio XI. Epiſcopis & Parliamenti Domo inferiore. Hiberni exinde adeo criſtam ſuperbe erigere cœperunt, ut non ſolum monaſteria clerumque indies augerent, ſed & auſu proprio Dublinii Academiam ſibi quoque erigerent. Et quanquam ſucceſſu temporum ſe ſua ſorte contentos ſimularint, cumque Proteſtantibus Anglis non commercia ſolum ſed & affinitates miſcuerint: id omne tamen peſtilentiſſimo fuco ſimulatum oſtendit atrociſſima rebellio Pariſienſi lanienæ ſimillima, cui non Hiberni ſolum, ſed & Anglorum Pontificiorum plurimi implicabantur. Scopus horrendæ ſeditionis fuerat, omne Proteſtantium nomen in Hibernia delere, mox & in Angliam transfretare ibique idem aggredi. Hinc Octobri menſe anno 1641. in illos crudeliſſime ſævitum, &

nihil in cujuscunque generis, ſtatus, ætatis perſonas exquiſitorum ſuppliciorum omiſſum eſt; adeo quidem, ut etiam ſub mortis pœna edicerent, ne quis Proteſtanti parceret. Sic interfecta intra trimeſtre ſpatium 154 hominum innocentiſſimorum millia. Ægre tamen ſervatum adhuc detecta conſpiratione Dublinium, & comprehenſi quatuor factionis infandæ principes, quorum duo iterum aufugerunt. Ceterum cum hæc ipſa laniena ingentem invidiam Regi Carolo, jam tum cum Anglico Parliamento colliſo conflaverit; tum quod hucusque nimis indulgentem ſe erga Pontificios, præſertim Hibernos exhibuiſſet; tum quod ipſimet Hiberni, ne color facto teterrimo deeſſet, ſe ad id ab eo inſtructos confictis literis, ac appenſo, quod e veteri quodam reſcripto dempſerant, ſigillo mentirentur: Auctor noſter omnem lapidem movet ad liberandum a fœdo crimine Regem, cujus propterea literas, reſcripta, oblatam binis vicibus, cum ſancta Numinis invocatione, ſuo ductu ſuſcipiendam in perduelles expeditionem &c. magno numero adducit. Commendat etiam inprimis Ormondi Marchionis, qui Hiberniæ nomine Regis præerat, ſummam fidem, prudentiam atque fortitudinem, eamque adverſus malevolos inſectatores ubique tuetur. Rariſſimum eſt, quod de eo in præfatione refert, vidiſſe illum patrem, avum, proavum, filios, nepotes, pronepotes: natum Comitem, factum Marchionem, demum Ducem; trium Regum fuiſſe ſummæ fidei ac dignitatis miniſtrum. Obiit 21. Jul. 1688. ætat. 78. Tum vero, ut ad ſcopum redeamus, omni niſu ſuo parum effecit bonus ille Ormondus, dum Anglia motibus inteſtinis concuſſa parum auxilii miſit; & id quod mittebat, Ormondo regiisque manifeſto adverſatum eſt: Hiberni vero ex Hiſpania, Gallia atque Roma milites, pecuniam, arma nacti, indies Anglis gravius inſultabant. Coactus igitur tot malis Prorex, inducias juſſu Regis, tum in Scotia degentis, cum perduellibus, mox pacem pepigit, utramque pernicioſiſſimam. Hiberni enim a ſolo Joh. Bapt. Rinuccini Pontificii Legati ore pendentes, nil adeo ſacrum aut venerabile reverebantur, quod non vel ipſa qua juraverant die, frangi poſſe, ſi ex re foret, exiſtimarent. Quibus cum ſe parem amplius non videret Ormondus, cum Parliamento, iterum e præſcripto Regis ſui, tranſegit, eique Dublinium, quod fere ſolum in obſequio Regis manſerat, tradidit. Hinc everſæ binis

prælii

prœliis acerrimis Hibernorum vires; quos tum demum, ſed ſero, Regem captivum deſeruiſſe pœnituit. Pœnituit & Inſiquinium Parliamentarii exercitus ducem ſerviiſſe hominibus, qui Regem, Nobilitatem, jus & fas everſum irent: deſertis proinde partibus illis, pro Rege ſe militare publicis edictis declaravit, & cum Hibernis jam feſſis cladibus pacem, renitente licet & excommunicante Legato Papæ, fecit. Reverſus interim ad componendas res Ormondus erat, qui paulo ante poſt transactionem cum Parliamento regno exceſſerat. Sed dum is & Inſiquinius omnia pro ſuo Principe moliuntur, accidit martyrium Regis infeliciſſimi omnibus bonis acerbiſſimum; quod a Pontificiis patratum optat Auctor, ſed & applicat Poetæ verſus:

Pudet hæc opprobria nobis
Et dici potuiſſe, & non potuiſſe refelli.

Reſtat, ut de Caroli II. rebus per Hiberniam geſtis aliquid dicamus. Verum ne tædio nimia prolixitate Lectori ſimus, illa noluimus repetere, quæ in plerorumque memoria adhuc ſunt. Id ſolum cum Auctore fatendum, fidam manſiſſe & in exilio Carolum comitatam Hibernorum haud contemnendam partem: nec diffitendum illud, Regem poſt felicem ſui reductionem Inſulanis multum faviſſe. An vero, prout illi ajunt, ſecretam quoque pro Pontificia religione transactionem inierit, hoc vero eſt, de quo Auctor dubitat, & quod vel ex eo ſatis convelli putat, quod Carolus, quamdiu regnavit, 7000. militum Proteſtantium partibus addictorum aluerit; omniaque munia curiæ pariter ac belli nonniſi Anglis caute tradiderit. Secus ac a Jacobo fratre actum, qui ſemper plus nimio Hibernorum patronum egerit, ſcilicet monſtri aliquid una cum ipſis alens; quod ſe poſtmodum magis quam optarat Anglia prodiderit.

Enimvero hujus, & Wilhelmi glorioſiſſimi Regis hodierni, tum adhuc in reducenda Hibernia occupati, acta peculiari tertio operis hujus tomo includere Cl. Auctor ſecum conſtituit: quem ut quamprimum Orbi erudito communicet, eſt, quod obnixe ab illo contendimus; a cujus nempe manu nonniſi ſolida quævis & exquiſito ſtudio tractata expectamus.

VETERUM MATHEMATICORUM, ATHENÆI &c. *Opera, Græce & Latine pleraque nunc primum edita.*

Pariſiis ex typographia Regia, 1693. in Folio Regali. Conſtant Alphab. 4. & figuris Textui inſertis 174.

PRodeunt hæc veterum aliquot Græcorum Mathematicorum monumenta, hactenus aut ſolo nomine, aut ex verſionibus tantum, iisque valde imperfectis cognita, ſub auſpiciis ſumtuque Ludovici Galliarum hodie Monarchæ, e Bibliothecæ Regiæ manuſcriptis codicibus, ſtudio maxime & cura Illuſtris *Thevenotii*, Bibliothecæ laudatæ, dum viveret, præfecti. Qui uti, præter multiplicem variamque eruditionem, antiquitatis ſtudioſus indagator fuit, hos reconditioris argumenti libros publici juris fieri conſultum putans, Regi autor extitit, ut eosdem typis regiis exornatos in lucem prodire permitteret: quanquam ipſe morte præventus ſupremam editionis curam Clariſſimo Dn. *de la Hire* reliquit, cujus, præfatione teſte, in hoc negotio ſtudium & labor omnino commendationem promeruit.

Continentur autem præſenti Volumine, *Athenæus* de machinis; Poliorcetica excerpta ex libris *Apollodori*; *Philonis* liber quart. de telorum conſtructione, & quint. tolerandæ inſtituendæque obſidionis rationes explicans; *Biton* de conſtructione bellicarum machinarum & catapultarum; *Heronis* Belopœeca, Spiritalia (quibus juncta ſunt quatuor, ut vocantur, theoremata *Jo. Baptiſtæ Aleotti*, conſimilis argumenti, ex Italico in Latinum verſa) & Automata. In ſingulis textui Græco ad latus eſt Latina interpretatio: Spiritalibus quidem, *Federici Commandini*, inſignis ſuperiore ſeculo mathematici; in reliquis vero, aliorum virorum pereruditorum, *Cotelerii*, *Valeſii*, *Couture*, *Pouchardi*. Qui hos inſequuntur, *Julii Africani* Ceſti, Græce tantum exhibentur. Quanquam enim & hos Latinos dare conſtitutum erat *Thevenotio*: obſtitere tamen permultæ difficultates, ob plurima in iis occurrentia, quæ, niſi reſtituta, vix explicari potuiſſent. Viſum ergo eſt illi, eruditorum interea votis, quibus Autoris fama videndorum illorum deſiderium excitaverat, ſatisfacere, peritiorumque judicia prius experiri, quam in Latinum verſi omnium oculis ſubjicerentur. Ob quam cauſam & ultimum Voluminis

minis librum *incerti Autoris*, de toleranda obſidione, nonniſi Græce exhibuit.

Subnexa ſunt memoratis ſcriptis *Bernardini Baldi* in *Heronis* Belopœeca ſcholia: & quædam de *Julio Africano* obſervationes, brevesque in eundem notæ, & variæ lectiones, a D. *Boivin*, Græcarum & Latinarum literarum peritiſſimo, ex manuſcriptis *Africani* codicibus collatis maxima fide deſcriptæ; ejusdemque conjecturæ & annotationes, quibus librum corruptiſſimum multis in locis reſtituit; iisque idem Vir eruditiſſimus in limine Operis teſtimonia autorum, de ſcriptoribus & ſcriptis hoc volumine comprehenſis addidit. Poſtremo, præter indicem nominum propriorum, & vocum notatu digniorum, extat & epiſtola cujusdam J. P. de lectione loci *Pliniani l. 11. cap. 37.* quæ emendationem *Halleyanam, in Actis Eruditorum anni 1692.* p. 532. exhibitam, ex *Philonis l. 5. pag. hujus Voluminis 86*, non parum confirmat.

M. FABII QUINTILIANI DECLAMATIONUM LIBER.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, A. 1692. in 8. Conſtat plagulis dimidiatis 31.

De Quintiliani Declamationibus dudum eſt quod ita judicavit celeberrimus Gerard. Joan. Voſſius, cum Quintiliani declamatoris mentio fiat apud Senecam, non adverſari ſibi eos, qui avum alterius Quintiliani eo in loco indigitari exiſtiment. Declamationes autem Quintiliano inſcriptas Rhetoricisque Fabii libris ſubjungi ſolitas, neque ejus eſſe, qui Declamationes alteras fecerit, neque illius, qui Oratorias Inſtitutiones conceperit, cui & Erasmus eas in Ciceroniano ſuo merito abjudicet, quandoquidem ex Ludovici Vivis obſervatione plane aliæ ſint ab ejus præceptis, & tales, ut ille contra iſtiusmodi potiſſimum invehatur. Quin & in codicibus quibusdam MStis M. Floro eas tribui, ac a nonnullis credi eſſe Poſthumii junioris, idcirco quod affirmet Trebellius Pollio, ſcriptas ab eo haberi declamationes, quas ævo ſuo Quintiliani eſſe reputaverint. Litem hanc ut componamus, hac vice noſtri non eſt officii; ejus tamen mentionem aliquam ut injiceremus, hic ipſe, quem nunc indicamus,

Declamationum liber poſtulare videbatur. De eo autem nihil amplius dicendum ſuppetit, quam quod novendecim exhibeantur Declamationes, præteritis iſtis 388. miſeris (ut Editor ea vocat,) & informibus ruderibus, quæ alias Auctori huic tribui ſueverint. Viciſſim autem Dialogus *de Oratoribus, ſive de cauſis corruptæ eloquentiæ*, qui ab aliis Cornelio Tacito, & a quibusdam Quintiliano tribuitur, ſubjunctus eſt, cunctaque hæc notis, at iis brevioribus & ad paginarum plerarumque calcem comparentibus, illuſtrata deprehenduntur.

M. FABII QUINTILIANI DE INSTITUTIONE ORATORIA Libri duodecim, curante Edmundo Gibſon, Art. Bac. e Coll. Reg. Oxon.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, Anno 1693. in 4.
Conſtant 4. Alphab.

ANnus modo unicus Inſtitutiones has Quintiliani Oratorias, itidem Oxonii impreſſas, a facta ibi Declamationum jam memoratarum editione ſejungit. Et in iſtis quidem doctiſſimus Edmundus Gibſon induſtriam ſuam exercere voluit. Is vitæ etiam a Quintiliano transactæ Commentarios ſe colligere poſſe innuit; aſt impudens fore arbitratur, poſt eruditiſſimum Dodwellum in hac materia quicquam moliri; cum namque apud ſe confectos habere ſcribit *Annales Quintiliani*, eosque non denegatum iri tot Amicorum precibus confidit. Nec nobis ſane injucundum accidet, ſi eos Annalibus ipſius *Vellejanis*, quos haud ita pridem in Actis noſtris recenſuimus, adjungere licebit. Breviſſimas interim dum de Quintiliani vita Gibſonus noſter ducit lineas, Romæ eundem natum eſſe contendit, veriſſimaque ſe adduci conjectura perhibet, ut fidem libris temporum non habeat, ubi legatur *Quintilianus Calagura urbe Hiſpaniæ oriundus*. Martialem enim, Calaguritani agri alumnum, cum Iberos memoria dignos ſuis epigrammatibus inferat, nullam de Quintiliano mentionem facere, ſed eum ſeparatim cum veneratione nominare. Quibus autem is Conſulibus, aut quo imperante Cæſare vixerit, ſe minime legiſſe profitetur; quemadmodum ſimiliter, quo anno deceſſerit, non affirmare audet. Hactenus quidem inter

ter editiones Quintiliani noſtri eminuerunt potiſſimum *Aldina* A. 1522. & alia A. 1529. a *Jo. Sichardo*, ac rurſus alia A. 1542. per *Robertum Stephanum* evulgatæ; ut nunc *Pariſienſem* A. 1542, *Lugdunenſem* item *Batavam* A. 1665. cum notis variorum, aliasque taceamus. Noſter vero cum in opere hoc denuo edendo verſaretur, non impreſſos modo codices, ſed MStos etiam diligenter inſpexit, unum ex Bibliotheca Bodlejana, ſed eum a linguæ Latinæ imperito ſcriptum; alterum e Bibliotheca D. Joannis Cantabrigiæ, quem pluribus in locis mutilatum queritur; tertium denique ex Bibliotheca Baliolenſi, quæ Oxonii habetur, iſtumque charactere elegantiſſimo ſcriptum, initio tamen ac fine & aliis inſuper partibus mutilum eſſe perhibet. Ex iſtis ergo pariter ac his codicibus variantes lectiones ipſi paſſim textui ſubjecit; poſt Indicem tamen rerum ac verborum auctorumque a Quintiliano allegatorum, cum Eruditis communicare ipſi viſum fuit ſpecimen quarundam emendationum, quas ope vetuſtorum codicum inſtituit. Imo appendicis in locum exhibet Declamationem hactenus ἀνέκδοτον, cui *Tribuni Mariani* titulus præfixus eſt. Cum enim fervente bello Cimbrico, miles quidam Marianus tribunum ſtuprum ſibi inferre conantem occidiſſet, reusque ille cædis ageretur apud Imperatorem, tribuni partes contra militem defendendas ſuſcepit hujus declamationis auctor, qui utrum Quintilianus fuerit, in medio relinquit Noſter. Nitidum certe orationis filum ſpiritumque virilem in ea antiquitatem dicit ſapere, quanquam iſtud contra fraudis alicujus ſuſpicionem moveat, quod in calcem codicis Joannei (inde enim eandem producit) conjiciatur, quodque in tribus exemplaribus MSS. Oxonienſibus nulla ejus veſtigia deprehendere conceſſum ſit. De cætero utut librariorum ſive inſcitia ſive incuria non ſatis emendate ea ſcripta ſit, nihil tamen quicquam immutare Gibſonus heic ſuſtinuit, ac ſingulas proinde exemplaris literas ſtudioſe typis repræſentavit, partim, ut ne ſuo judicio nimium tribuere videretur, partim etiam, ut aliorum opinionibus locum eo ampliorem relinqueret.

CHRONICON EGMUNDANUM, SEU ANNALES Regalium Abbatum Egmundenſium, Auctore Fr. Johanne de Leydis, Ordinis Carmelitarum.

CUM

CUM OBSERVATIONIBUS ANTONII MATTHÆI Juris in illuſtri Academia Lugduno-Batava Anteceſſoris.

Lugduni Batavorum apud Fridericum Haaring, 1692. in 4. Conſtant Alph. $1\frac{1}{2}$.

JOannes de Leydis, ſeu Joannes Gerbrandus de Leydis, Belga fuit, Ordinis Carmelitarum in Harlemenſi cœnobio. Ejus Chronicon Hollandiæ Comitum & Epiſcoporum Ultrajectenſium A. 1620. edidit Franciſcus Sweertius Antverpianus: Chronicon vero Egmondanum nuper demum e latibulis erutum publici juris fecit Antonius Matthæus, vir non de patriæ minus hiſtoria, quam jurisprudentia præclare meritus. Et illud quidem finitum deprehenditur cum morte Wilhelmi Bavari Hollandiæ Comitis, qui A. 1417. deceſſit: hoc vero longe ultra productum eſt, adeo ut hiſtoriam attingat captivitatis Franciſci I. Galliæ Regis, in annum quidem 1524. perperam (cum anno ſecuto contigerit) rejectæ; tametſi num Joannes ipſe hucusque ſcribendo progreſſus fuerit, an vero ab aliena manu quædam fuerint adjecta, non liquet. Certe licet probabile non ſit, vixiſſe jam Carmelitam noſtrum & ſcripſiſſe Wilhelmi Bavari tempore, quod viſum Franciſco Sweertio fuerat, obiiſſe tamen eum A. 1504. & Meurſius in Athenis Batavis, & Boxhornius in Theatro Urbium Hollandiæ memorant. Quicquid ejus ſit, Chronicon hoc ſeu Annales Egmundanos non immerito dignos habuit Matthæus, quos ederet & notis ſuis illuſtraret. Duo vero nactus eſt operis (cui Theodori quoque de Leydis & Leonis Monachi Egmundenſis Breviculos ex uno tamen ſolum codice ſubjunxit) exemplaria, quæ inter ſe contulit, & ex altero alterum emendavit. Nos Annalibus & Breviculis prætermiſſis, ex Editoris eruditis notis ac obſervationibus pauca recenſebimus.

Ad *res Eccleſiaſticas* illuſtrandas faciunt, quæ ad inſcriptionem Annalium copioſe diſſerit, Regales Abbates, Regalē Eccleſiam, Monaſteria Regalia eſſe, quæ omni Epiſcopali jurisdictioni exemta, præter Papam & Principem ſuperiorem non agnoſcunt; vocari etiam Imperialia, libera, *βασιλικὰ, αὐτεξούσια, αὐτοδέσποτα*, & ab Epiſcopis

pis exemptiones averſantibus, acephala, autocephala: debuiſſe Principi tantum dona, interdum dona & orationes, interdum tantum orationes, interdum ſimul militiam & dona & orationes; Abbatesque & ad militiam & ad ſerviendum Regalitati obſtrictos extitiſſe: univerſum territorium ſub ſummi Pontificis & Regia tuitione fuiſſe, vel in mundio palatii, phraſi in legibus Longobardicis occurrente. Abbates ipſos ſummos judices, Epiſcopo debuiſſe nihil: eosdem a Principe conſtitutos, aut ejus conſenſu a monaſterio expetito, conſecratos a quovis & cujusvis provinciæ Epiſcopo. Si diœceſin interdicto ſuppoſuiſſet Epiſcopus, non ceſſaſſe eos a ſacris: ſi ille locum exemptum ſolenni proceſſione ingrederetur, ab Abbate non receptum, ne qua uspiam extaret ſubjectionis ſuſpicio. Exemptos non edidiſſe profeſſionem Epiſcopo obedientiæ, reverentiæ & ſubjectionis: debuiſſe tamen eundem invitum etiam ipſis præſtare benedictionem, eaque ordinis poteſtatem tribuere: ſed nec pro ea, nec pro inſtallatione exemtum quicquam ſolviſſe, niſi aliter conveniſſet, cum exemtio primum facta. Datum interdum aliquid fuiſſe reſpectu parochialium eccleſiarum, quæ monaſterio ſubjectæ. Exemptum cappam geſtaſſe aquila imperiali inſignitam, & acu pictam, quo habitu agnoſceretur.

Eodem referenda & alia. *Pag.168.* contentionem attingit, utrum ſedes Trajectina ſubjecta Colonienſi, an Papæ immediate, illiusque in Archiepiſcopatum evectionem memorat. *P.169.* vocis *Capellæ* ſignificationem enucleat. Capella nimirum initio dicebatur, ubi cappa S. Martini, quam Reges Francorum præliaturi, ad adjutorium victoriæ olim ſolebant ſecum habere, aſſervabatur, eamque cuſtodientes clerici Cappellani cœperunt vocari. Progreſſu temporis crevit vocis ſignificatio, & quodvis templum Capella, & Sacerdotes ſervitio ejus adſcripti Capellani dicti. Porro oratorium, quod Eccleſiis adjunctum, item miniſterium eccleſiaſticum, ſacra ſcilicet ſupellex, vaſa ſacra & ornamenta, aliaque capellæ nomine venerunt. *Pag. 181.* de ligneis templis, usque ad annum a nato Chriſto milleſimum, & de crucis ingenti veneratione, cui divinam vim adſcribebant contra incendia, hoſtem, Diabolum, tempeſtates; *Pag.182.* de Eccleſiarum olim commercio, quo vendebant, donabant, dabant pignori, permutabant, in feudum dabant, in dotem; *Pag. 183.* ſq. de Stola, Dalmatica, Subtili, veſtibus Sacerdotis; *Pag. 192. & 250.* de anniverſariis; *Pag. 194.* de conven-

tibus ad charitatem; *Pag. 207.* de carina vel carrena, id eſt, quadragegena, ſive jejunio quadraginta dierum; *Pag. 217.* de paradiſo, templi atrio, quod deambulatoriis & porticibus junctum, alias aula, item, garſonoſtaſium, quia ibi de plebe pueri, famuli item & pedisſequi heros ſuos exſpectabant, appellabatur, & cœmeterii uſum nonnunquam præſtabat; *Pag. 236.* de ſcholis in monaſteriis; *Pag. 251.* de rogatione, ſupplicatione, procesſione, litania; *P. 255.* de doxali vel frequentius oxali, tabulato transverſo ante introitum chori, & de eo, quod eſt in commendam habere eccleſiam, id eſt, adminiſtratorem tantum, cuſtodem & procuratorem eſſe, invenies.

Ad *Res Civiles* ſpectant ſequẽtia. *Pag. 187.* promiſcue olim ſumta eſſe nomina Conſulis, Marchionis, Ducis, Comitis; *pag. 190.* diploma & auctoritatem media ætate ſynonyma fuiſſe; *pag. 198.* placitum eſſe disceptationem judicialem, ſive litigium, a placitare ſeu litigare, pro quo etiam dictum legatur proplacitare; alibi placitum ſignificare transactionem, & placitare idem ac tranſigere, aut paciſcendi cauſa colloqui: alibi notare placitum, pro quo & plaitum invenias, locum judicii & mallum; *pag. 201.* cuermede eſſe jus ex bonis adſcriptitii eligendi, ubi obiit, unum optimum quodque, equum, bovem, vaccam, veſtem, menſam, lectum &c. *pag. 208.* grangiam dici prædium, horreum, a granis, quæ ibi reponuntur; *pag. 215.* parlamentum nominari conſeſſum, colloquium de re alicujus momenti, diætam, mallum; unde mael pro convivio, quod de re maxima etiam veteres Germani in convivio olim conſultarent; *pag. 218.* jus olim dictum ſub dio, cœlo libero & aperto, opaco tamen, ne officeret vel calor, vel Solis ardor: temporis progreſſu, vel ob Solis ardorem, vel ob vim tempeſtatis, aut pluviarum, aut frigoris, quæſita ad id loca, ad quæ & tutus acceſſus, & quæ tectis munita: & primum quidem templa, templorum porticus, atria; deinde, ne quid fieret in loci divino cultui deſtinati injuriam, domus exſtrui ad id juſſas: non tamen id ubique tam exacte obſervatum fuiſſe, ſed abuſos adhuc fuiſſe eccleſiis, in quibus inſtituerentur convivia, colloquia, comitia, mercatus, nundinæ, immo & turpis quæſtus, & meretricum coitio: olim autem cum ſub dio & in campo judicia fierent, ſignis locum denotatum fuiſſe; unde & mallus a mahl, id eſt, ſigno, quod aut lapis, aut arbor, aut tignum, aut crux cum gladio fuerit; *p. 231.* diffidare aliquem, eſſe hoſtem declarare, bellum indicere, a

faida

faida vel vede, vel ut alii ſcribunt, vete, id eſt bellum, inimicitia, quod eſt a feind; *pag. 240.* de bonis & perſonis per naufragium littori maris appropinquantibus, fiſco vel ſervituti olim in Hollandia & alibi addictis, quæ atrocitas temporis progreſſu abrogata eſt; *p. 245.* forefactum idem eſſe ac delictum, & mulctam delicto ſtatutam; & conſulatum ſignificare conſilium, & conſulem conſiliarium; *pag. 256.* propinare accipi pro donare, quia propinatio olim ſymbolum traditionis erat.

Ad *res mixtas*, id eſt, tam eccleſiaſticas quam civiles referantur ſequẽtia. *Pag. 172.* bullam idem eſſe quod ſigillum, & bullare, quod ſignare: illam fuiſſe rotundam, nec ſemper auream indiſtincte, argenteam etiam, ceream, plumbeam; prout potens quisq; & illuſtris, uſum quemque qua vellet. Imperatorem aurea vulgo uſum, ſed non ſemper, cum ratio etiam haberetur eorum, ad quos literæ fuerint ſcriptæ: aurea uſum ad Reges, ad Sultanos, ad Toparchas; cerea ad uxorem, ad matrem, ad filium. Præter Imperatorem alios quoque auream adhibuiſſe. Plumbea uti Papam, haut dubie, quod Petrus, cujus Papa ſucceſſorem ſe eſſe perhibet, petenti cœco eleemoſynam dixit, argentum & aurum non eſt mihi, Act. Apoſt. cap. III. 6. Quod cum Papa ſibi proprium uſurparet, ſingulari beneficio ſignandi plumbo poteſtatem factam Venetis. Verum & alios id pasſim feciſſe, vel citra licentiam illius, ut Græcos. Epiſcopos Trajectenſes ſemper adhibuiſſe olim ceream bullam. Ceram autem variam fuiſſe, viridem, rubram, albam, prout cuique olim viſum fuerit. Per ſynecdochen demum bullam ſeu ſigillum pro ipſo diplomate dictum inveniri. Etenim bullam proprie eſſe ἔκτυπον, imaginem literis vel affixam, vel ab iis dependentem, & dependentem vel nudam, vel thecæ ſeu tympano, ut vocant, incluſam. *Pag. 175.* ſubſcripſiſſe olim Principes atramento purpureo, quod vocabant encauſtum: vaſculum quo continebatur illud, a forma dictum eſſe caniculum, & a caniculo eum, qui ei præerat, & Principi miniſtrabat. Frequens item in Occidente fuiſſe, cum ſuperſtitio invaluiſſet, nominis ſubſcriptioni vel præfigere, vel poſtponere, vel interponere ſignum crucis: majori adhuc ſuperſtitione ſubſcripſiſſe, ſanguine euchariſtico in atramentum intincto: nec integrum ſemper nomen, ſed ſæpe initium ejus tantum, interdum characteribus ſeu ſiglis expreſſum: vulgo eos, qui ſubſcripſerant, ſigillum etiam apoſu-

poſuiſſe,ſed non ſimul ſemper & indiſtincte; ſæpe enim variatum eſſe: teſtes interdum neutrum feciſſe; cujusque tantum nomen ſubnotaſſe Notarium, teſtatumque de ejus præſentia: interdum non omnes, ſed quosdam tantum ſignaſſe,interdum alios pro aliis ad ſignandum admiſſos. *Pag.176.* qui Notarii, Scribæ,Cancellarii,& quomodo eorum dignitas præſertim apud Principes creverit. *Pag. 210.* Imperatorem Romanum eſſe etſi non coronatum a Papa,ipſos Pontificios confiteri. *Pag.257.*Reyſam idem quod iter,& iter facientes Reyſarios,ſed aucta ſignificatione Reyſarios Curiæ eccleſiaſticæ Nuncios & Oratores nuncupatos,quibus certum aliquod territorium ad mandata exequenda ab Epiſcopo aſſignatum: Reyſam porro idem quod territorium; Reyſarios etiam portitores,curſores.

Tandem immixta quædam ſunt, quæ *hiſtoriis naturalibus* adſcribas. *Pag. 193.* cum Johannem de antiquis temporibus pincernam & filium Caroli M. faciant Annales, annoque ætatis 361.mortuum tradant,credentibus aliis,qui allegantur, Auctoribus, neutrum credit Matthæus, ac ætatem ejus 160. annorum juxta Paulum Æmilium fuiſſe refert,ſimulque de longævitate hominum quorundam diſſerit,inter alios allegans ex Borremanſii Variis Lectionibus Thomam Parrum,qui hoc ſæculo annos natus 150 Londini deceſſit.*P.200.*ad narrationem in Annalibus his Egmundanis & aliis Scriptoribus, Margaretam uxorem Comitis de Heymenberch, una vice peperiſſe trecentos quinquaginta & quindecim liberos, Matthæus numerum fidei Auctorum quidem relinquit,attamen Scriverium refutat, qui ex eo fabulam eſſe arguat, quod tum temporis, qui baptizaſſe eos dicitur, non vixerit Otto Epiſcopus Trajectenſis, quem vero tum vixiſſe Noſter contendit. Allegat inſuper fœminam,quæ ex teſtimonio Reineſii partim evomuit,partim una cum ſordibus per ſeceſſum dejecit lacertas aliquot,bufones,ranas duodecim,unamque ex iis coaxantem & ſex dies ſuperſtitem: forſan etiam editos a Margareta fœtus non majores rana fuiſſe, cujusmodi nonnunquam a Colchis edi Busbequius ſcripſerat.

A luxuria abſterreat relatio, quæ habetur in Annalibus Cap. LXXXIX. de Nicolao ab Adrichem Abbate triceſimo tertio Hæcmundenſi, qui ubi cum aliis viris nobilibus vino æſtuantibus ſalinaria, ſeu ciphos plenos ſale & vino mixtos,mutuo bibiſſet, poſt potum ſurgens

gens ſecretum locum ad corpus purgandum petiit, inque eo ſedens mortuus poſt paucas horas inventus eſt. Hoc in memoriam revocavit Matthæo *pag. 257*. Architriclini Regis Scotiæ olim dictum. Cum decreviſſent in Scotiam Legatos Ordines fœderati, inter quos & Brederodius, ad levandum Regis filium e baptiſmatis ſacri fonte, Legati pro refrigerio, cum eſſent jam jam diſceſſuri, cereviſiæ Bremenſis & optimæ quidem notæ (*dubbelt Bremer bier*) vaſa aliquot coemerunt. Quibus navi impoſitis feliciter & curſu proſpero appellunt ad littus Scoticum. Regius Architriclinus, qui ibi eos præſtolatus, adventum gratulatur, in hoſpitium deducit, feſſis vini Hiſpanici mox cyathum propinat. Abnuunt illi potum calorem nimium dictitantes, nam erat menſis Auguſtus. Tandem Architriclino de ſuo potu propinant. Ille autem cum guſtaſſet & exhauſiſſet cyathum, exclamat: *Addatur pix & parum ſalis, & erit potus infernalis.*

FRAMMENTI STORIALI DEL TRIBUNALE della Real Camera di Napoli, &c.

i. e.

Fragmenta Hiſtorica Tribunalis Regiæ Cameræ Neapolitanæ, auctore Nicolao Dati, ejusdem Tribunalis Præſide.

Neapoli, typis Johannis Franciſci Paci, 1693. in 4.
Alph. 1. plag. 14.

QUam inique illi judicent, qui Cameram Regiam apud Neapolitanos vigentem absque ullo ordine & ſelectu ſua pertractare negotia arbitrentur, non melius ſe oſtenſurum illuſtrisſimus Auctor hujus libri ratus eſt, quam ſi ex adverſo induſtriam ejus teſtimoniis nonnullis evictam daret, Senatumque hunc graviſſimum prudenter, moderate & penitus ad antiquorum morem, in edendis decretoriis ſententiis verſari innueret. Quod ipſum ut exequeretur eo curatius, Tractatum præſentem in tres partes ſive libros diſtinxit, quorum quivis capita quinque complectitur; ubique autem genuina rerum tractatarum conditio ante omnia delineatur, & mox inſtituta circa easdem deliberatio in medium producitur. Singulis capitibus notæ atque obſervationes, materiam ibi ad Rhetorum magis conſuetudinem de-

ductam, ex intima antiquitatis auctorumque claſſicorum penu confirmantes atque illuſtrantes ſubjectæ ſunt. Eas tamen gloſſæ adhuc aliæ poſt finem libri uniuscujusque collocatæ excipiunt, ut ita, quod ne in notis quidem iſtis ad ſatietatem omnium exponi potuerat, in his demum compleretur.

Obſervandum autem, quod poſtremam illam ſeditionem Meſſanenſem A. 1674. ortam, & bellum Hiſpano-Gallicum in Sicilia excitatum, fundamenti loco ponere Auctori libuerit; quandoquidem illud a ſuis inde initiis ad finem usque perſecutus eſt, ſed ita tamen, ut imprimis accuratisſimam ſolertiam, quam Neapolitana iſthæc Camera ad belli illius ſuſtentationem adhibuerit, encomiis illuſtribus commendare annitatur. Ubi quidem, antequam ad ipſum rei cardinem ſe conferat, ex Hiſtoria repetit, regium patrimonium Neapolitanum a Quæſtoribus primum Regalibus adminiſtratum; Ladislao autem imperii habenas tractare exorſo, non levibus de cauſis judicium hoc Camerale inſtitutum, ſtatosque ordinatos fuiſſe deputatos, qui Præſidum titulo decorati, & in ſex, uti appellantur, Togatos, duosque Laicos diviſi fuerint; quibus deinceps adjuncti duo Advocati Fiſci, cunctisque ſub Locumtenentis nuncupatione Officialis aliquis ex ſupremo Magiſtratu præpoſitus. His autem Laicis, etiamſi non ſemper Jurisprudentiam ex inſtituto coluerint, nihilo tamen ſecius Togatos multa, in communi vita quæ occurrunt, negotia committere obſervat, cum per gradus omnes in judicio hoc ſolitos iis ad hanc dignitatem aſcendendum ſit, iſtique adeo notitiam præ reliquis accuratam conſecuti credantur. Neque tamen Togatos a litibus gravioribus ſe ita abſtrahere, quin priores, partes in iſtiusmodi quæſitis ſibi reſervatas cupiant. Quamobrem mirum nemini videbitur, ſi ut plurimum orationes a Laicis hic inſtitutas, conſultationesque a Togatis fere approbatas tantum cognoverit.

Annos ergo iſtos, per quos ſeditio Meſſanenſis ac inſecutæ hinc apud Siculos turbæ deferbuerunt, Autor ſic evolvit, ut libro primo tres priores, ſecundo quartum & quintum, ac denique tertio ſextum una cum duobus a finito bello proximis deſtinet, ſalubriaque conſilia hujus tribunalis ad motuum ſedationem, peregrini hoſtis ejectionem, atque regionis conſervationem toties agitata recenſeat, quæ tamen nunc prolixius adducere nimis forſan prolixum foret. Inde modo

modo & ἔργον ipſum paucis adhuc delineabimus, & quædam inſuper παρέργα per opus univerſum larga ſatis manu effuſa adjungemus.

Pag.14.& 20.ſeqq. in Diomedeas inſulas exſpatiatur Noſter, aviumque meminit,quas ibi olim Græcorum ſolum aures cantu ſuavisſimo demulſiſſe, nationes autem alias horrido clamore terruiſſe,fabuloſa credidit antiquitas. Pag.17.& 78.ſqq. ſylvam, quæ vocetur Sila, in provincia Aprutiana conſiderat, picemque ibi natam celebrat. Qua occaſione non poſſumus, quin modum in hoc Judicio quoad deliberanda decidendaque teneri ſolitum, exemplo quodam illuſtratum ſiſtamus. Contigerat nimirum, ut ſupremus Melitenſium Magiſter certam iſtius bituminis portionem ad naves ſuas reficiendas a Camera ſibi dari poſtularet, ad privilegia ſuo Ordini a Carolo V. conceſſa provocans. Hinc Aſſeſſoribus inter ſe quærentibus, an petito huic ejus, durante videlicet hac belli tempeſtate, citra juſtum doli metum velificari liceat; mox unus e Laicorum numero reſpondet, anceps omnino ac periculoſum id videri, cum facile in manus hoſtium deferri pix,& ipſis adeo ſubſidium concedi poſſet haud exiguum. Qua de cauſa Athenienſes bello cum Laconibus implicitos in teſtimonium allegat,illosque inſtituto providisſimo caviſſe refert, ne vel mica picis extra ſuam regionem deportaretur. Horum igitur veſtigia ſe presſuros Togati cum cæteris concludunt, ac Magiſtro modo memorato nunciari curant,quod absque præviis promisſis de adhibenda circumſpectione debita, voto ſuo potiri nequeat. Et ad hujus inſtar reliquæ Deciſiones omnes formatæ reperiuntur,niſi quod in plerisque occurrant plura,interdum tamen longius petita, argumenta ſeu ſuaſoria ſeu diſſuaſoria,ad quæ in notis etiam, quas ſupra allegavimus,exempla teſtimoniaque clasſica multo cum verborum apparatu Auctor cumulat. P.135.ſqq. disquirit, quando & a quo horologia hydraulica inventa, inque Areopagum relata fuerint? ubi poſt curioſas aliorum obſervationes in medium allatas,de Areopago nihil ſe uspiam,quod quidem hanc rem concernat,reperire potuiſſe queritur. P. 195. numos aliquot ex ære Corinthiaco conflatos producit, quos Theſaurarius Calabriæ tanquam in ruderibus vetuſti alicujus templi Junoni Laciniæ dicati repertos,tunc opportune ad Cameram transmiſerat. Unum in iis latus Janum bifrontem, alterum vero coronam aut triumphalem aut navalem exhibere aſſerit. De iis autem p.196. ſeq. & p. 272.

quæ-

quædam alia non injucunda monet, a nobis hac vice non attingenda; prout & reliquas excurſiones indicare uberius ſuperſedemus.

DISCURSUS DE PROPORTIONALI CALORE Solis in omnibus latitudinibus, cum methodo eum colligendi, lectus coram Societate Regia ab E. Halley. Translatus ex Transact. Anglic. A. 1693, p. 878 ſſ.

CUm nuper ſermo haberetur de parte caloris aëris, quæ ſimpliciter actione Solis producitur, affirmavi ego, ſi hæc tanquam ſola cauſa æſtus illius conſideraretur, me nullam videre rationem, cur non ſub Polo ſolſtitialis dies æque ferveret atque ſub Æquinoctiali, cum Sol ſit verticalis, ſeu ſupra Zenith exiſtit: idque hanc ob cauſam, quia omnibus 24 horis diei ſub Polo Solis radii ſunt inclinati ad horizontem angulo $23\frac{1}{2}$ grad. & ſub Æquinoctiali, licet verticalis Sol fiat, non diutius ille lucet, quam 12 horis; reliquis a. 12 hor. abeſt, neque per 3 hor. 8 min. ex illis 12 tantum elevatus eſt, atque ſub ipſo Polo; adeo ut non ſit ſpatio 9 horarum ex 24 altior, quam ibi eſt, contra vero per 15 hor. depresſior. Jam vero ſimplex Solis actio, non ſecus ac omnes reliqui impulſus aut ictus, plus aut minus valida eſt, pro ratione ſinuum angulorum incidentiæ, aut perpendicularium in planum cadentium: unde ſi verticalis radius, qui maximum parit calorem, ſumatur pro *radio*, vis Solis in horizontalem ſuperficiem telluris erit ad maximam, ut *ſinus* altitudinis Solis alio quovis tempore ad radium. Quo conceſſo, ſequetur, ſi tempus, quo lucet continue Sol, ſumatur pro baſi, & ſuper eam ſinus Solarium altitudinum erigantur tanquam perpendiculares, perque extrema ſinuum ducatur curva, aream comprehenſam fore analogam collectioni caloris omnium radiorum Solarium in eo temporis ſpatio. Hinc efficitur, ſub Polo collectionem univerſi caloris diei tropici eſſe proportionalem rectangulo ſinus $23\frac{1}{2}$ gr. ducti in 24 hor. ſeu circumferentiam circuli: h. e. cum ſinus $23\frac{1}{2}$ gr. vix ſit $\frac{4}{10}$ radii, ut $\frac{8}{10}$ in 12 hor. Polaris itaque calor eſt æqualis calori Solis continuas 12 hor. ſupra horizontem morantis, in altitudine 53 grad. qua Sol non magis elevatus eſt, 5 horarum ſpatio, ſub Æquinoctiali. Sed ut hæc res melius intelligatur,

Sche-

TAB. VI. ad T

Fig. 4




Fig. 2





Fig.



B. VI.
ig. I.

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

Schemate quodam illam declaravi, (Fig. 1) in quo area ZGHH eſt æqualis areæ omnium ſinuum altitudinum Solarium ſub Æquinoctiali, erectorum ſuper horas reſpectivas ab ortu Solis usque ad Zenith; & area ♋ HH ♋ eſt in eadem proportione ad calorem pro iisdem 6 horis ſub Polo, in die Tropicali: & ⊙HHQ eſt proportionalis collecto calori horis 12, aut dimidio die, ſub Polo, quod ſpatium ⊙HHQ viſibiliter tanto majus eſt altera area HZGH, quanto ſcil. area HGQ eſt major area ZGO. Quod ita eſſe, vel oculis manifeſtum eſt, exceſſu ſatis magno, & tantum quoque proportionaliter calor Solis 24 hor. lucentis ſub Polo, excedit calorem 12 horarum ſub Æquinoctiali. Hinc, cæteris paribus, non ſine ratione concluditur, ſi Sol perpetuo eſſet ſub Tropico, Polum tanto laboraturum æſtu, quantus jam ſub Linea Æquatoris ſentitur. TAB. VI. Fig. 1.

Quandoquidem vero natura caloris ea eſt, ut in ſubjecto remaneat, poſtquam cauſa calefaciens eſt remota, præcipue in aere: hinc fit ut abſentia Solis 12 horarum ſub Æquinoctiali parum minuat motum impreſſum a præterita actione radiorum ſuorum, in quo calor conſiſtit, antequam rurſus oriatur. Sed ſub Polo diuturna per 6. menſes Solis abſentia, quibus ſummum frigus regnat, tantum algorem incuſſit aeri, ut quaſi gelatus ſit, nec poſſit, niſi Sol prope acceſſerit, ſentire præſentiam ejus, quoniam intercipiuntur ejus radii a denſis nubibus, perpetuis nebulis, illaque frigoris atmoſphæra (ut honorab. Dn. Boyle loqui ſolebat) quæ procedit a glacie ſempiterna, a cujus vaſta mole rigeſcit aer vicinus, quamque nimis feſtinus Solis receſſus non colliqueſcentem relinquit, ut denuo increſcat durante longa hyeme, quæ breve æſtatis intervallum conſequitur. Verum diverſi gradus caloris & frigoris in diverſis locis magna ex parte dependent ex accidentaria vicinitate altorum montium, quorum altitudo valde frigefacit aerem, qui a ventis ſuper illos defertur: & ex natura ſoli, quod varie calorem retinet, præſertim ſabuloſi, quale in Africa, Arabia & ubicunque deſerta talia arenoſa reperiuntur, calorem æſtatis tantum auget, ut incredibilis non expertis videatur.

Cogitationibus his primis inſiſtens ſolvi problema generaliter, nempe: *exhibere proportionalem gradum caloris, aut ſummam omnium ſinuum altitudinum Solarium, quamdiu eſt ſupra horizontem in ſphæra quacunque obliqua*, reducendo id ad inventionem curvæ ſuperficiei ungulæ cylindricæ, aut partis ex illa datæ.

Tt Hoc

TAB. VI. Hoc autem problema tantæ difficultatis non eſt, quantæ prima Fig. 2. fronte apparet. Nam ſit (fig. 2) cylindrus ABCD ſectus oblique ellipſi BKDI, & ex centro ejus H deſcribatur circulus IKLM, dico curvam ſuperficiem IKLB eſſe æqualem rectangulo ex IK in BL, vel ex HK in 2 BL aut BC. Et ſi alius ſupponatur circulus, ut NQPO ſecans dictam ellipſin in punctis P & Q, ducantur PS, QR parallelæ ad cylindri axem, donec concurrant cum circulo dicto IKLM in punctis R, S, deſignentur quoque lineæ RTS, QVP biſectæ in T & V. Dico rurſus curvam ſuperficiem RMSQDP eſſe æqualem rectangulo BL aut MD ductæ in RS, aut 2 BL ſeu AD in ST aut VP; & curvam ſuperficiem QNPD eſſe æqualem RS in MD — arc. RMS in SP, ſeu arcui MS in 2 SP; vel eſſe æqualem ſuperficiei RMSQDP, ſubtracta ſuperficie RMSQNP. Ita curva ſuperficies QBPO eſt æqualis ſummæ ſuperficiei RMSQDP, (ſeu rectang. RS in MD,) & ſuperficiei RLSQOP (ſeu rectang. arcus LS in 2 SP.)

Hoc facile demonſtratur conſiderando, cylindricam ſuperficiem IKLB eſſe ad inſcriptam ſphæricam ſuperficiem IKLE, ſive quoad totam ſeu quoad analogas partes, ut tangens BL eſt ad arcum EL, & ex demonſtrat. Archim. de Sphæra & Cylindro Lib. I, prop. 30, & 37, 38. quas hic non repetam, ſed Lectori examinandas relinquam, qui operam non perdet, ſi conſulat D. Barrovii doctas Lectiones in hunc librum, editas Londini A. 1684, nempe Probl. IX ejusque Corollar.

Jam ut reducatur noſter caſus ſummæ omnium ſinuum Solaris altitudinis in data declinatione & latitudine ad prædictum Fig. 3. Problema. Conſideretur fig. 3, quæ eſt analemma projectum in planum Meridiani, Z eſt Zenith, P Polus, HH Horizon, æ æ Æquinoctialis, ♋ ♋, ♑ ♑ duo Tropici, ♋ I ſinus altitudinis meridianæ in ♋: huic æqualis ſed perpendicularis ad Tropicum erigatur ♋ 1, & ducatur linea T 1 interſecans Horizontem in T & horæ ſextæ circulum in puncto 4, eritque 64 æqualis 6 R, ſeu ſinui altitudinis hor. 6, idemque fiat pro quovis alio puncto in Tropico, erigendo perpendicularem terminatam linea T 1; per punctum 4 ducatur linea 457 parallela Tropico & repræſentans circulum ei æqualem, reſpondebit tunc Tropicus ♋ ♋ in Fig. 3, circulo NOPQ Fig. 9, circulus 457 reſpondebit circulo IKLM, T 4 1 ellipticæ

liptico ſegmento QIBKP, 6 R aut 64 reſpondebit SP, 51 vero BL, arcus autem ♋ T arcui LS, cum ſit arcus ſemidiurnalis in hac latitudine & declinatione, cujus ſinus, licet non poſſit exprimi in Fig. 3, debet concipi analogus lineæ TS aut UP, in Fig. 2.

Quæ relatio inter has duas figuras ſi probe intelligatur, ex præcedentibus conſequetur, quod *ſumma ſinuum meridianarum Solis altitudinum in duobus Tropicis, (atque ita etiam in aliis duobus oppoſitis parallelis) multiplicata per ſinum arcus ſemidiurni efficiat aream analogam curvæ ſuperficiei RMSQDP; & ſi ei addatur in æſtate, aut ſubtrahatur in hyeme. productum ex longitudine arcus ſemidiurni, (aſſumta ſecundum* Lud. van Ceulen *numeros) in differentiam dictorum ſinuum altitudinis meridianæ; ſumma priori, differentia poſteriori in caſu, ſit ut aggregatum omnium ſinuum Solaris altitudinis, quamdiu ſuper horizonte commoratur, & conſequenter omnis ejus caloris ſeu actionis in planum horizontis die propoſito.* Idem quoque extendi poteſt ad partes ejusdem diei. Nam ſi antea dicta ſumma ſinuum meridianarum altitudinum multiplicetur per dimidium ſummæ ſinuum diſtantiæ horariæ Solis a meridie, quando tempora ſunt antemeridiana aut pomeridiana; aut per dimidium differentiæ illorum, quando utraque ſunt ad eandem meridiani partem, addaturque in æſtate, vel dematur in hyeme, productum dimidii arcus, reſpondentis propoſito temporis intervallo, in differentiam ſinuum meridianarum altitudinum; erit ſumma uno, differentia altero in caſu, proportionalis univerſæ Solis actioni durante illo temporis ſpatio.

Prævideo equidem fore, ut mihi objiciatur, me radium circuli, ſuper quem perpendiculares erigo, eundem ſemper aſſumere, cum tamen paralleli declinationis ſint inæquales; verum reſpondeo, dictam noſtram baſin circularem non debere eſſe analogam parallelis, ſed temporibus revolutionis, quæ in omnibus ſunt æqualia.

Utile forſan erit dare exemplum computationis ſecundum hanc regulam, quæ difficilis quibusdam videri poteſt. Quæratur ergo Solſtitialis calor in ♋ & ♑ Londini, cujus Lat. 51, 32.

° ′	° ′
38.28. Compl. Lat.	Differ. Aſcenſ. 33.11.
23.30. Decl. Sol.	Arc. Semid. æſtiv. 123.11.
61.58. Sinus =, 882674	Arc. Semid. hyb. 56.49. Sin. 836923.
14.58. Sinus =, 258257	Arc. æſtivi menſur. 2,149955.
Summa. 1,140931.	Arc. hyb. menſur. 991683.
Different. 624417.	

Hinc 1,140931 in, 836923 +, 624417 in 2,149955 = 2,29734
Et 1,140931 in, 836923 —, 624417 in ,991683 = 33895.

Ita ut 2,29734 ſit ut calor diei Tropicalis æſtivi, & 0. 33895, ut actio Solis in die Solſtitii hyberni.

Hoc modo ſupputavi ſequentem tabulam, pro decimo quovis Latitudinis gradu, reſpectu Æquinoctialis & Tropicalis Solis, ex qua de intermediis quoque gradibus judicium ferri poteſt:

Lat.	Sol in ♈ ♎	Sol in ♋	Sol in ♑
0	20000	18341	18341
10	19696	20290	15834
20	18794	21737	13166
30	17321	22651	10124
40	15321	23048	6944
50	12855	22991	3798
60	10000	22773	1075
70	6840	23543	000
80	3473	24673	000
90	0000	25055	000

Qui plura de hujus Problematis natura, quantum ad Geometriam ſpectat, cognoſcere deſiderat, bene faciet, ſi conferat Prop. XIII, Cap. V, docti tractatus de Calculo centri gravitatis, D. Walliſii editi A. 1670.

Ex hac Regula ſequuntur plurima Corollaria notatu digna v. g.

v.g. (1) Quod Æquinoctialis calor, quando Sol ſit verticalis, ſit ut duplum quadrati radii, qui inſtar menſuræ eſſe poteſt, cum quo fieri poſſit in reliquis caſibus omnibus comparatio. *(2)* Quod ſub Æquinoctiali calor ſit ut ſinus declinationis Solis. (3) Quod in frigidis Zonis, quando Sol non occidit, calor ſit ut circumferentia circuli ducta in ſinum altitudinis hor. 6; & conſequenter, quod in eadem latitudine aggregata illa caloris ſint ut ſinus declinationis Solis; & in eadem Solis declinatione, ut ſinus latitudinis: vel generaliter, ut ſinus latitudinis ducti in ſinus declinationis. (4) Quod Æquinoctialis diei calor ſit ubique ut coſinus latitudinis. (5) Quod in omnibus locis, ubi Sol occidit, differentia inter calorem æſtivum & hybernum, cum declinationes ſunt contrariæ, ſit æqualis circulo in ſinum altitudinis hor. 6. in parallelo æſtivo, & conſequenter hæ differentiæ ſint ut ſinus latitudinis ducti in ſinus declinationis. (6) Ex tabula addita apparet, quod Sol Tropicalis ſub Æquinoctiali minimam omnium vim exſerat; ſub polo major ſit, quam cujuscunque alterius diei calor, cum ſit ad Æquinoctialem ut 5 ad 4.

Ex hac tabula corollariisque generalis poteſt concipi idea ſummæ omnium actionum Solis in toto anno, illaque pars caloris quæ ſimpliciter a præſentia Solis oritur reduci ad Geometricam certitudinem. Idem ſi fieri poſſet in frigore, quod aliud quoddam eſt quam nuda abſentia Solis, ut ex multis experimentis apparet, ſpes foret ejus quod ad hanc Meteorologiæ partem refertur, ad perfectam redigendi theoriam.

SPECIMEN EXCELLENTIÆ ALGEBRÆ Modernæ, in reſolutione Problematis, de inveniendis univerſaliter focis opticorum vitrorum, auctore E. Halley, S. R. S, translatum ex Actis Philoſophicis Anglicanis, Menſ. Novembr. A.1693, p.960.

EXcellentia modernæ Geometriæ nulla in re comparet evidentius, quam in plenis & adæquatis Problematum reſolutionibus: dum omnes poſſibiles caſus ſimul repræſentat, atque uno ſæpe theoremate integras ſcientias complectitur, quæ in propoſitiones prolixe deductæ & veterum more demonſtratæ ſpiſſos tractatus poſſent conſti-

tuere. Quodcunque enim theorema ſolvit maxime implicatum alicujus generis problema, id debita reductione adhibita ad omnes quoque ſubordinatos caſus extenditur. Hujus rei illuſtre dabo ſpecimen ex doctrina Dioptrica.

Problema autem hoc agit *de inveniendo foco cujuscunque lentis, expoſitæ ſeu convergentibus ſeu divergentibus a parallelis radiis luminis, procedentibus a certo aut tendentibus verſus datum in axe lentis punctum, quæcunque ſit, pro diverſitate diaphanæ materiæ, ex qua lens formata, refractionis ratio, dataque lentis craſſities inter vertices duorum ſegmentorum ſphæricorum.* Quod Problema ſolutum uno in caſu, exhibet, mutatis mutandis, theoremata pro omnibus caſibus posſibilibus, ſive lens ſit utrinque convexa aut utrinque cava, ſive plano-convexa aut plano-concava, ſeu convexo-concava, quæ & meniſca vocatur. Id quod tamen intelligendum eſt tantum de illis radiis, qui axi lentis ſunt propiores, ita ut nullam ſenſibilem efficiant differentiam ſua ad illum inclinatione. Focus autem ab illis formatus a ſcriptoribus dioptricis principalis focus appellari ſolet, cum ejus in teleſcopiis & microſcopiis conſtruendis uſus ſit.

TAB. VI. Fig. 4. Sit ergo (fig. 4) BEβ lens utrinque convexa, C centrum ſegmenti EB, & κ centrum ſegmenti Eβ, Bβ crasſities lentis, D punctum in axe lentis: quæritur punctum F, in quo radii procedentes a puncto D colliguntur, ſi ratio refractionis ſit ut *m* ad *n*. Sit ergo diſtantia objecti DB = DA = *d*, (poſito puncto A eodem cum puncto B, quod hic quidem tanquam ab eo diſtans ſumitur ut linearum evitetur coincidentia) Radius ſegmenti ad objectum converſi CB aut CA = *r*, Radius vero ſegmenti ab objecto averſi Kβ aut Kα = ϱ, Bβ craſſities lentis = *t*, ſitque porro ſinus anguli incidentiæ DAG ad ſinum anguli refracti HAG ſeu CAφ, ut *m* ad *n*, erunt in angulis admodum exiguis ſinubus anguli proportionales. Ex quo conſequitur fore:

Ut *d* ad *r*; ita angulum ad C, ad angulum ad D, & $d + r$ ut angulum incidentiæ GAD; & porro $m.n :: d + r.\ \frac{dn + rn}{m}$ atque hoc exprimi angulum GAH = CAφ. Quo ſublato ex ACD, per *d* notato, relinquetur $\frac{md - nd - nr}{m}$, quod analogum erit angulo AφD.

AΦD. Cumque hoc in caſu latera proportionalia ſint angulis, quibus ſubtenduntur, ſequetur quod uti angulus AΦD eſt ad angulum ADΦ, ita latus AD, aut BD, ſit ad AΦ aut BΦ, h. e. quod BΦ ſit $= \frac{mdr}{md - nd - nr}$, quod oſtendit quo in puncto radii a D procedentes colligantur mediante prima refractione. Si autem nr non poteſt ſubtrahi ab $md - nd$, ſequitur poſt refractionem adhuc divergentes procedere radios & punctum Φ eſſe in eadem regione lentis trans D. Sed ſi nr eſt æqualis $md - nd$, paralleli axi procedunt, & punctum Φ eſt infinite diſtans.

Invento puncto Φ ut antea, & data BΦ — Bβ, quam vocabimus δ, eadem ratione, ut in præcedenti conſequitur, quod βF aut longitudo focalis quæſita ſit $= \frac{\delta \varrho n}{\delta m - n\delta + m\varrho} = f$. Et loco δ ſubſtituendo BΦ — Bβ $= \frac{mdr}{md - nd - nr} - t$, poſito p pro $\frac{n}{m - n}$, poſt debitam reductionem orietur hæc Æquatio

$$\frac{mpdr\varrho - mpdt\varrho + npd\varrho t + npr\varrho t}{mdr + md\varrho - mpr\varrho - dmt + ndt + nrt} = f.$$

Quod theorema operoſum non eſt, quamvis tale eſſe videatur, quippe cum magnus ſit datorum numerus quæ quæſtionem ingrediuntur, & dimidius terminorum numerus oriatur ex eo quod aſſumimus lentis craſſitiem, quæ plurimis in caſibus non magnum effectum producere poteſt, conſiderari tamen a nobis debuit, ut regulam daremus perfectam. Si ergo lens ſit ex vitro, cujus refractio eſt ut 3 ad 2, erit $\frac{6dr\varrho - 2d\varrho t + 4r\varrho t}{3dr + 3d\varrho - 6r\varrho - dt + 2rt} = f$

Si ex aqua, cujus refractio eſt ut 4 ad 3, theorema tale erit $\frac{12dr\varrho - 3d\varrho t + 9r\varrho t}{4dr + 4d\varrho - 12r\varrho - dt + 3rt} = f$. Si ex adamante fie-

ri poſſet, cujus refractio eſt ut 5 ad 2, foret $\frac{\frac{10}{3}dr\varrho - 2d\varrho t + \frac{4}{3}r\varrho t}{5dr + 5d\varrho - \frac{10}{3}r\varrho - 3dt + 2rt}$ $= f$. Atque hæc eſt regula univerſalis pro focis vitrorum duplo convexorum expoſitorum radiis divergentibus. Sed ſi craſſities lentis omittatur, multo brevior erit regula, nempe $\frac{pdr\varrho}{dr + d\varrho - \varrho pr}$ $= f$, aut in vitro $\frac{2dr\varrho}{dr + d\varrho - 2r\varrho} = f$. Quo in caſu ſi d ſit tam parva, ut $2r\varrho$ excedat $dr + d\varrho$, orietur $-f$, ſeu focus erit negativus, id quod oſtendit radios poſt utramque refractionem adhuc procedere divergentes.

Ut hoc ad alios transferatur caſus, nempe convergentes radios aut concava vitra, regula ex iisdem ſemper componenda eſt terminis, ſignaque tantum + & — mutanda. Nam diſtantiam puncti concurſus convergentium radiorum a puncto B, aut prima lentis ſuperficie, voco negativam diſtantiam, ſeu $-d$, & radium lentis concavæ voco negativum radium ſeu $-r$, ſi ſit prima ſuperficies, & $-\varrho$, ſi ſit ſecunda. Cadant ergo convergentes radii in duplo convexum vitrum, & theorema h. m. ſe habebit $\frac{-2dr\varrho}{-dr - d\varrho - 2r\varrho}$ $= + f$, quod oſtendit focum hoc in caſu ſemper eſſe affirmativum.

Si lens fuerit meniſca vitrea expoſita radiis divergentibus, regula erit $\frac{-2dr\varrho}{-dr + d\varrho + 2r\varrho} = f$, quæ quantitas affirmativa eſt, quando $2r\varrho$ eſt minus $dr - d\varrho$, alias vero negativa. Sed in caſu convergentium radiorum cadentium in eandem lentem meniſcam, erit $\frac{+2dr\varrho}{+dr - d\varrho + 2r\varrho} = f$, eritque $+f$, ſi quantitas $d\varrho - dr$ minor eſt quam $2r\varrho$, ſed ſi major fuerit, ſemper erit nega-

negativa ſeu $-f$. Si lens eſt duplo concava, focus convergentium radiorum eſt negativus, ubi affirmativus erat in caſu divergentium radiorum in duplo convexa, nempe $\frac{-2dr\rho}{+dr+d\rho-2r\rho}=f$, qui focus tantum affirmativus eſt, quando $2r\rho$ excedit $dr+d\rho$. Sed divergentes radii tranſeuntes duplo concavam lentem ſemper habeat focum negativum, nempe $\frac{-2dr\rho}{+dr+d\rho+2r\rho}=f$.

Theoremata pro convergentibus radiis inprimis uſui ſunt ad determinandum focum reſultantem a quacunque lente collocata in telescopio, inter focum vitri objectivi ipſumque vitrum, facta diſtantia inter focum dictum & lentem interpoſitam $=-d$.

In caſu radiorum parallelorum, & ex infinita quaſi diſtantia venientium (qui ſupponitur in teleſcopiis) d quoque erit infinita, & in theoremate $\frac{pdr\rho}{dr+d\rho-pr\rho}$ terminus $pr\rho$ evaneſcit, tanquam finitus, qui non eſt pars reliquorum infinitorum terminorum, & dividendo reſiduum per partem infinitam d, theorema tale erit $\frac{p\rho r}{r+\rho}=f$, ſeu in vitro $\frac{2r\rho}{r+\rho}=f$.

In caſu lentis plano-convexæ expoſitæ radiis divergentibus, loco $\frac{pd\rho r}{dr+d\rho-pr\rho}$, poſita r infinita, erit $\frac{pd\rho}{d-p\rho}=f$, aut $\frac{2d\rho}{d-2\rho}=f$, ſi lens ſit vitrea.

Si lens ſit duplo-convexa & $r=\rho$, h. e. formata a ſegmentis æqualium ſphærarum, reducetur $\frac{pd\rho r}{dr+d\rho-pr\rho}$ ad $\frac{pdr}{2d-pr}=f$,

& in caſu d infinitæ, contrahetur porro ad $\frac{1}{2}pr$, & p exiſtente $= \dfrac{n}{m-n}$, diſtantia focalis in vitro erit $= r$, in aqua $1\frac{1}{2}r$, in adamante $\frac{1}{3}r$.

Neque ſolum hæc conducunt ad inveſtigandum focum ex propoſitis illis datis, ſed dato foco poſſumus quoque hinc determinare objecti diſtantiam, aut ex dato foco & diſtantia invenire poſſumus ex quanam ſphæra ſumendum ſit ſegmentum aliud, quod efficiat ut datum alterius ſphæræ ſegmentum projiciat radios ex diſtantia d ad focum f. Ita ex data lente, foco & diſtantia licet quoque invenire rationem refractionis ſeu m ad n, quæ hiſce datis reſpondet. Quæ omnia manifeſtum eſt plene determinari ab æquatione hactenus a nobis uſurpata, nempe $pd\varrho r = drf + d\varrho f - pr\varrho f$. Nam ad inveniendam d, theorema eſt $\dfrac{pr\varrho f}{rf + \varrho f - p\varrho r} = d$ diſtantiæ objecti.

Pro ϱ regula eſt $\dfrac{drf}{pdr - df + prf} = \varrho$. Sed pro p, regula erit $\dfrac{drf + d\varrho f}{d\varrho r + f\varrho r} = p$, quæ ultima determinat rationem refractionis, quoniam ſcil. m eſt ad n, ut $1 + p$ ad p.

Non excurram ad hæc particularia, ſed illa relinquam eorum exercitio, qui deſiderant in opticis materiis eſſe informati, quas auſim dicere in tribus hiſce regulis tam plene eſſe comprehenſas, quam homines maxime inquirendi ſtudioſi deſiderare poſſint, & quoad omnes caſus poſſibiles, modo reſpectus habeatur ad ſigna + & —, ut in caſibus præcedentibus ad focum inveniendum. Duos ſolum oſtendam non minimi momenti uſus earum, quorum unus conſiſtit in invenienda diſtantia, qua objectum collocatum, lente data repræſentatur ſpecie objecto æquali, id quod conducere poteſt ad depingendas facies aut alias res in vera ſua magnitudine, transmittendo ſpecies per vitrum in cameram obſcuram, ubi non ſolum genuina figura

&

& umbræ, ſed ipſi colores æque vividi ac in objecto exhibentur. Hoc in caſu d eſt æquale f, & ſubſtituendo d pro f in æquatione, habebimus $pdr\varrho = ddr + dd\varrho - dp\varrho r$, & dividendo per d, $pr\varrho = dr + d\varrho - pr\varrho$, h. e. $\frac{2pr\varrho}{r + \varrho} = d$. Sed ſi convexitas utraque ſit ejusdem ſphæræ, ita ut $r = \varrho$; erit diſtantia $= pr$, h. e. ſi lens ſit vitrea $= 2r$. Eritque adeo, ſi objectum a lente removeatur diſtantia diametri ſphæræ, focus tantum ultra lentem, quantum objectum citra lentem eſt poſitum, & ſpecies objecto æqualis. Sed ſi lens ſit plano-convexa, diſtantia illa erit $= 2pr$, aut in vitro æqualis quadruplo radii convexitatis. Sed de hac methodo forſan cum curioſis alias agam oſtenſurus, quomodo augenda aut diminuenda objecti ſpecies in proportione aſsignata, (id quod tamen ſatis obvium erit ex illis quæ jam ſunt propoſita) nec non quomodo erigendum objectum, quod hac methodo inverſum repræſentatur.

Alter uſus verſatur in invenienda convexitate aut concavitate, quæ requiritur ut maxime remotum objectum repræſentetur in foco dato, poſtquam una ſuperficies lentis jam eſt formata. Id quod ſolum corollarium eſt noſtri theorematis pro ϱ inveniendo, datis p, d, r & f. Nam cum d ſit infinita, regula fit $\frac{rf}{pr - f} = \varrho$, h. e. in vitro $\frac{rf}{2r - f} = \varrho$. Unde ſi f ſit major quam $2r$, ϱ ſit negativa, & $\frac{rf}{f - 2r}$ eſt radius concavitatis quæſitæ.

Si quæratur focus ubi tota ſphæra colligit radios procedentes ab objecto in diſtantia d: erit $t + 2r$ & $r = \varrho$, factaque reductione primi theorematis erit $\frac{-mpdr + 2npdr + 2nprr}{2nd + 2nr - mpr} = f$.

Sed ſi d ſit infinita contrahetur ad $\frac{-mpr + 2npr}{2n} = \frac{2nr - mr}{2m - 2n} = f$.

$= f$. Qua propter ſphæra vitrea colligit radios Solares in diſtantia dimidiæ partis ſemidiametri extra ſe, & aquea ſphæra in diſtantia ſemidiametri. Sed ſi ratio refractionis *m* ad *n* ſit ut 2 ad 1, focus cadit in ſuperficiem oppoſitam ſphæræ, & ſi major adhuc ſit inæqualitas, intra ipſam ſphæram.

Aliud exemplum erit, ſi hemiſphærium exponatur parallelis radiis, h.e. ſi d & ϱ ſint infinitæ, & $t = r$. Nam debita reductione facta theorema reſultat $\frac{nnr}{mm - mn} = f$. Hoc eſt, in vitro focus eſt in diſtantia $\frac{4}{3}r$, in aqua $\frac{9}{4}r$, ſed ſi hemiſphærium ſit ex adamante, colliget radios diſtantia $\frac{4}{13}$ radii ultra centrum.

Tandem quod attinet ad converſionem utriusque ſuperficiei lentis verſus objectum, manifeſtum eſt, ſi craſſities lentis tam parva ſit, ut negligi poſſit, ſeu poni $t + o$, omnibus in caſibus focum ejusdem lentis, quibuscunque exponatur radiis, eundem fore, quæcunque ſuperficies convertatur verſus objectum: ſed ſi quis curioſe velit attendere ad craſſitiem lentis (quæ raro conſiderari meretur) in caſu, quo paralleli radii cadunt in vitrum plano convexum, ſi ſuperficies plana verſus objectum eſt converſa, t nullam differentiam creat, ſed diſtantia focalis $f = 2r$. Sed ſi convexa ſuperficies objectum reſpicit, contrahitur ad $2r - \frac{2}{3}t$, ita ut focus ſit propior $\frac{2}{3}t$. Si lens eſt duplo convexa, differentia eſt minor, ſi meniſca, major. Cum convexitates utrinque ſunt æquales, longitudo focalis brevior eſt circiter $\frac{1}{6}t$, quam cum $t = o$. In vitro meniſco converſio concavæ ſuperficiei verſus objectum auget longitudinem focalem, convexæ ſuperficiei vero minuit eandem. Generalis regula pro differentia oriunda ex converſione lentis, quando focus eſt affirmativus, hæc eſt: $\frac{2rt - 2\varrho t}{3r + 3\varrho - t}$ pro duplo convexis diverſarum ſphærarum. Sed pro meniſcis hæc differentia evadit $\frac{2rt + 2\varrho t}{3r - 3\varrho + t}$. Quarum regularum non neceſſe eſt afferre demonſtrationem, cum ex præmiſſis conſequan-

ſequantur poſt debitam reductionem, non ſecus ac theoremata pro problematibus ad focos vitrorum opticorum pertinentibus.

LES SIRENES, OU DISCOURS SUR LEUR forme & figure.

i. e.

Sirenes, ſive Diſſertatio de forma earum figuraque.

Pariſiis apud J. Aniſſon, 1691. in 4. plag. 11.

SErius iſthæc diſſertatio, ut fere nunc ſolent omnia, quæ ex Gallis proficiſcuntur, ac niſi nuper demum ad nos pervenit, quæ autorem habet doctisſimum Abbatem NICASIUM, jucunda prorſus ac elegans lectu, ob ea cumprimis, quæ ille ab argumento quaſi non aliena, ſed nec nota tamen etiam in vulgus, admiſcet. Dum enim occaſionem hujus diſſertationis ſuæ, in forma epiſtolæ ad Galliæ Cancellarium, (qui hodie eſt *Ludovicus de Boucherat*) ſcriptæ, inde arceſſit, quod celeberrimi viri & Academiæ Francicæ ſocii, Abbates *de Dangeau* & *de Choiſy* ſententiam celeberrimi Abrincenſium Epiſcopi *Huetii*, ſtatuentis *Sirenes fuiſſe aves*, in Muſeo retulerint; inde anſam arripiens hiſtoriam fere totam hujus eruditorum Societatis, quæ *Muſeum*, Gallice *le Cabinet* vocatur, exponit. Memorat enim, cœptum jam hunc eruditorum conventum anno 1616 apud *Thuanum* Parlamenti Pariſienſis Præſidem, eoque licet anno 1617 mortuo, *Puteanos* tamen *fratres* idem inſtitutum in ædibus ipſius ad annum usque 1643 continuaſſe. Hæc dum recenſet, injecta Salmaſii mentione, ſimul edocet, *Jo. Baptiſtam Lantinum* Parlamenti Divionenſis Senatorem, autorem Præfationis ad Claudii Salmaſii Exercitationes poſthumas de Homonymis Hyles Iatricæ, Exercitationibus ejusdem Plinianis in Solinum in editione novisſima ſubjunctas, ſub manibus habere verſionem Latinam manuſcripti Græci *Pappi Alexandrini* de numeris, adjuncturumq; eidem Arithmeticam *Nicomachi Geraſeni*, notis ac obſervationibus de numerorum apud Græcos ratione atque analyſi illuſtratam. Deinceps ad hiſtoriam Muſei reverſus, cum Nicolaus Rigaltius Bibliothecarius Regis, Parlamenti Metenſis Conſiliarius eſſet factus, curaq; bibliothecæ *Fratribus Puteanis*, Petro & Jacobo, commiſſa eſſet, factum ait, ut in Bibliothecam Regiam transferretur *Muſeum*

p. 4. 14.
p. 8.

ſeu Conventus iſte eruditorum. Poſt eorum vero obitum frequentatum primum in ædibus *Thuani* junioris, poſteaque apud *Dn. de*
p. 9. *Salmon*, & hoc deinceps anno 1680 defuncto, apud *Dn. de Vil-*
p. 10. *vault* Conſiliarium Regium, libellorumque ſupplicum Magiſtrum, in cujus ædibus hodieque celebretur. Quæ cum ita dixiſſet Autor, quasdam ſimul alias Societates Pariſiis ad Muſei exemplum inſtitutas allegat, apud *Menagium* nempe, atque Abbatem *de Dangeau*; nec non apud Dn. *de Herbelot*, ex variis itineribus ſuſceptis celebrem, quiq; Bibliothecam orientalē in iis collectā prælo nunc ſubjecerit, ab omnibus dudum deſideratā; apud Dn. item *Bignon*, quæ pro ſcopo ſibi fixerit antiquitatis ac rei nummariæ ſtudium, cujus documentum futura ſit Vita M. Aurelii Antonini Imperatoris a Bignonio ex nummis illuſtrata: qua ratione etiam Commodi Imp. Vitam ſe adornaturum eſſe ait Autor, ut ex illa optimi, & ex hac peſſimi Principis imago ob oculos ponatur. Aliam deinceps huc vocat, cogi ſolitam apud Dn.
p. 13. *Vaillant* celeberrimum antiquarium; & præter hanc adhuc quasdam, de quibus nec Nicaſii fuit, nec eſt quoque noſtrum prolixius
p. 16. dicere. Potius, quid de *Sirenibus* ediſſerat ille, nunc diſpiciemus. Antequam vero de figura & forma Sirenum aliquid ſtatuat, peropportune de origine, nominibus, numero, loco, cantu, ac morte, aut potius transmutatione earum agit, ſimulque librum Itali pictoris *Pauli Lomazzo* Mediolanenſis *de forma Muſarum*, poſthumum item opus *Franciſci Junii* de pictura veterum laudat, nec reticet
p. 19. ea occaſione pictorum plerorumque errorem, qui Sirenes ſemper pingant ceu dimidiam corporis partem piſces, nulla habita primi earum ſtatus, quo aves fuerint, ratione. Sed enim ita originem Sirenum petit ab Acheloo flumine patre, matre vero Muſa-
p. 20. 21. rum una, quam Melpomenem fuiſſe alii, ſed alii Terpſichorem volunt aut Calliopem. Sunt tamen & qui fingunt, ex ſanguine de
p. 21. 22. cornu Acheloi, in taurum, cum pugnaret cum Hercule, mutati ab Hercule avulſo profluente, eas eſſe natas. De numero Sirenum certo ac nomine perinde litem adhuc ſub judice eſſe affirmat, cum ſint, qui duas ſolum ſtatuant, alii, qui tres quatuorve. Locum ipſis & habitationem antiqui Geographi & Poëtæ itidem diverſam tribuunt, plerique tamen prope Siciliam in mari alicubi commo-
p. 25. ratas eſſe perſuadent. Difficilem etiam depictu ac repræſentatu eſ-

ſe

ſe earum imaginem, inquit Nicaſius. Clemens Alexandrinus au-
reis omnino alis eas fuiſſe conſpicuas fingit. Cumque Apulejus Si-
culos barbare primum, ac Græce deinceps, tandemque Latine, nec p. 26.
probe tamen locutos aſſeveret, adeoque trilingues alicubi appellet,
mavult Nicaſius lingua avium Sirenes potius eſſe uſas, quam Si-
culorum, ne forte dici queant male loquutæ. Dum vero Ovidius
vocem humanam virgineumque vultum iis adſcribit, & plumam
pedesque avium, L. V. 10. 24. Metam. paulo prolixius ea exſequitur p. 27.
Claudianus. Ac ubi Hieronymi verba in Epiſtola ad Furium recen- p. 28.
ſuit Autor, a funeſto Sirenum lyra tibiisque modulantium cantu
dehortantis, ſimul de Neapolitano theatro famoſiſſimo quondam p. 29.
ex Senecæ Ep. LXXVI. diſſerit, exque Vitruvii L. V. cap. 5. & Sue-
tonio in vita Neronis cap. XX, Tacitoque L. XV. Annal. & colli-
git inde, commoratos in Neapolitana urbe Muſicos ipſas illas Si- p. 32.
renes fuiſſe, indeque etiam urbem Neapolin inſignium loco aſci-
viſſe ſibi Parthenopen lyra canentem. Tum pergit ad varia ſymbo- p. 38.
la Sirenum, quidque Plato ac Cicero, & Pythagoras, Homerusque p. 24. 25. 41.
& alii per eas intelligant, docet prolixe. Tum & quotnam res 44. 46.
aliæ Sirenum nomen gerant, exponit, ut animæ facultates, veſtes p. 47. 50.
mulierum Gallicarum caudatæ, genus quoddam apum fucorumve,
ac pigrities, (quemadmodum apud Horatium eſt: *improba Siren*
deſidia) aſtraque præſertim, & unum ex iis, quod Sirium vocant,
inſtrumentum muſicum, & organa hydraulica, ac univerſim illud
omne, quod ſuaviter afficit, quodque placet cumprimis, ac in con-
ſuetudine eximium eſt & illuſtre. Quin & gentis *Columnæ* in Italia p. 47.
celeberrimæ, ac Gallicarum familiarum *de Luſigny* & *de Luſignam*
(quæ originem ſuam ad Meluſinam referunt) mentionem facit,
quæ, (teſtibus P. Jovio in Dialogis Italicis, atque Capaccio Ca-
merarioque in Emblematibus) in inſignibus ſuis gerant Sirenam
duas inter columnas collocatam. Cantum vero Sirenum dum ex-
plicat, intelligendos omnino cenſet ſuaviſſimos Muſicorum in p. 51.
Theatro Neapolitano, de quo ſupra egerat, ſe exercentium concen-
tus, petitque ex voce *Siren* argumentum, quam auctoritate Bo-
charti adductus, ex Punica & Ebraica voce *Sir* cantum ſignificante p. 53.
potius vult derivari, quam ex aliorum ſententia, a Græcis vocibus
σύρειν, trahere, vel *σειρά*, catena, miraturque merito, quare nec
doctiſſi-

p. 54. doctiſſimus vir J. B. *Perſona* Medicus ac Philoſophus ſub ſæculi hu-
jus initium apud Italos clariſſimus, in libro, cui titulum fecit: *No-*
ctes ſolitariæ, ſive de iis, quæ ſcientifice ab Homero ſcripta ſunt in
Odyſſea, ac nec vero Athanaſius etiam Kircherus in *Muſurgia* ſua, de
p. 55. Sirenibus diſſeruerint accurate. Multa tamen jubet expectari in o-
pere Dn. *Ouvrard* Canonici in urbe Turonenſi, qui, ut Muſicæ rei
p. 56. omnium peritiſſimus, hiſtoriam Muſices ejusque fatorum jam inde
a triginta annis meditetur, cui profutura quædam putat ex MSS.
p. 58. Peireſcii de Re Muſica, quæ ſecum ſervet Dn. *Begon*. Tandem
quoque agit de morte Sirenum, quibus cum prædictum eſſet, fore,
ut non morerentur, quamdiu ſuo cantu allicere poſſent præterna-
vigantes improvide nautas, injunctum tamen fuiſſe ait, ut, quampri-
mum quis ipſis reſiſteret, ſe præcipitarent ſtatim in mare, idque
factum aſtutia Ulyſſis aures ſuorum cera obturantis, ſeque alligari
p. 59. jubentis malo. Eorumque ſententiam ſimul allegat, qui id conti-
giſſe affirmant, cum Orpheus lyræ ſuæ ſuavitate Sirenas cantu vi-
ciſſet. Inde utrumque Sirenum ſtatum conſiderat, & quo ante meta-
morphoſin, & quo in ea fuere; ex quo tota, de qua nunc agitur, quæ-
ſtio dependet, docetque, veram primitivamque Sirenum figuram
mutuari debere ex nummis, velut monumentis omnium certiſſimis.
Hos oſtendere nimirum, Sirenas in ſtatu priori fuiſſe alatas ut aves,
& in poſteriori deſiiſſe in piſces, tametſi ſuperne formoſas mulie-
p. 62. res; inque exemplum ſuæ aſſertionis exhibet nummum unum Fau-
TAB. VI. ſtinæ junioris, (quem & nos hic exhibemus) in quo mu-
Fig. 5. lier repræſentatur inter iſtas duas Sirenum figuras media ſtans, addita
voce VENUS; meminitque deinceps alterius imaginis Lutetiæ ex-
tantis in templo B. Mariæ, qua Siren una conſpiciatur ut virgo in
aſinum deſinens; quaſi tu *Onocentaurum* diceres. Ac tandem refu-
p. 63. tat Ulyſſem Aldrovandum, qui Sirenes in parte ſuperiore avium, &
in parte inferiori fœminarum ſimulacra fuiſſe, easdemque vere
extitiſſe, non fabuloſas arbitratur. In alio familiæ Petroniæ num-
Fig. 6. mo (quem ſiſtimus) videre eſt & alatam Sirena Parthenopem,
p. 65. & cauda avis conſpicuam, quam cum Fulvius Urſinus recte explicaſ-
ſet, aliam figuram haud parum diverſam in familiæ Valeriæ numo
Fig. 7. (quem itidem expreſſimus) perinde de Sirene perperam interpretatur,
p. 73. refutatus ideo ab illuſtri Spanhemio, qui non Sirenem notari, nec
ſecun-

ſecundum Antonium Auguſtinum Harpyiam, ſed notam ex ſcriptoribus & poetis antiquis volucrem *Stymphalidem*, docet Diſſert. III. de Præſtantia & Uſu Numiſm. pag. 226. Cumque adeo hæc omnia, quæ dixit, Nicaſius collegiſſet in unum, tandem in ſententiam *Huetii*, qui Sirenes nimirum aves primitus fuiſſe, non piſces, affirmaverat, deſcendit, ejusque Operi de *Concordia Rationis & Fidei* verba Petronii peropportune applicat: *Tanta gratia conciliabat vocem loquentis, tam dulcis ſonus pertentatum mulcebat aera, ut putares inter auras canere Sirenum Concordiam.*

DESCRIPTION DE LA VILLE DE ROME &c.

h. e.

Deſcriptio Urbis Romæ, in gratiam peregrinantium.
Auctore F. D. P.

Lugduni apud Jo. Thioly, 1690. 12. Alph. 3. in 12.
Proſtat Romæ apud Jo. Crozier.

CErtatim veluti ſuam in deſcribenda Roma diligentiam viri eruditi omni tempore exercuerunt, dum & palatia aliasque ædes & monumenta, quæ urbium hæc domina ſupra ſolum oſtentat, & quos ſub terra inſuper abſcondit, antiquitatum variarum theſauros accurato penicillo delineatos exhibuerunt. Horum veſtigia preſſit Vir doctisſimus & in his talibus inveſtigandis ſagacisſimus *Franciſcus Deſeine* Pariſienſis (eum etenim literæ initiales F.D.P. in fronte libri indigitant) inque civium ſuorum, qui ſeu a linguarum Latinæ Italicæve, quibus ut plurimum aliæ urbis Romæ Deſcriptiones conſignatæ ſunt, peritia, ſeu a librorum ſupellectile, ſeu ab otio etiam pervolvendi commentarios prolixiores, inſtructi non ſunt, gratiam atque uſum præſens opus adornavit, inque eo breviter ac perſpicue Gallico ſermone complexus eſt, quæ ad veteris novæque Romæ accuratiorem notitiam ſpectare exiſtimavit.

Tribus vero partibus Opus conſtat: quarum prima veterem Romam Auctor ſiſtit, in qua adumbranda ſecutum imprimis ſe fuiſſe in præfatione profitetur *Famiani Nardini* luculentos in Publii Victoris & Sexti Rufi opuſcula de Regionibus urbis Romæ commenta-

rios Italico ſermone ſub titulo *Roma antiqua* editos; ea tamen libertate, ut ex ſcriptoribus aliis paſſim allegatis emendaverit, quæ a Nardino minus recte tradita animadverterat. Hic ergo de Urbis origine, ſeptem montibus, muris, pontibus Tiberi impoſitis, aquæductibus, cloacis, aliisque publicis ædificiis agi, & quatuordecim, in quas diviſa Roma fuit, regiones ordine recenſeri videas.

Parte altera in duos tomos diſtincta novam Romam, in quatuordecim itidem regiones, ſed ab illis veteris Romæ plane diverſas, diviſam complectitur, ac templa, palatia, aliaque ædificia publica, quibus hodieque Roma ſuperbit, accurate deſcribit, propria experientia, cum multis jam annis Romæ egerit, paſſim ſubnixus. Nec in Præfatione tamen univerſo Operi præmiſſa diſſimulat, haud pauca ex Octavii Panciroli libro, cui titulus *I Teſori naſcoſti nella alma citta di Roma*, ex Pompeji Hugonii tractatu de *Stationibus urbis Romæ* Italico itidem idiomate compoſito, ex Franciſci Mariæ Torrigii Cryptis ſacris Vaticanis (*Le Sacre Grotte Vaticane*) ex Abbatis Platii (Piazza) libro *Opere pie di Roma* inſcripto, ex Floravanti Martinelli opere cui titulus *Roma ricercata*, ex Antonii Boſii *Roma ſubterranea* aliisque ejus generis ſcriptis ſe mutuatum; Petri vero de Sebaſtiano librum, quo *brevis Palatiorum deſcriptio* continetur, & Abbatis Philippi Titi librum, cui titulus *Studio di Pittura, Scoltura & Architectura delle Chieze di Roma*, tantum non integros in Gallicum ſermonem ſe tranſtuliſſe & inſeruiſſe huic ſuo Operi.

Tertia parte doctisſimus Auctor & regimen Papale, totiusque Aulæ & Hierarchiæ faciem delineat, & ſolennes ceremonias juſto ſtudio deſcribit, cum *Diario Romano*, & Hodegeta Angelico (*Guida Angelica*) proprias hodierni uſus obſervationes dextre conjungens.

TAVOLE DELLA GEOGRAFIA &c.

i. e.

Geographia Antiqua & Moderna, Eccleſiaſtica & Civilis, in Tabulas ſynopticas redacta a SANSONIIS, in Italicum ſermonem translata & novis tabulis haud paucis ſuppleta a FRANCISCO DESEINE.

Romæ apud Jo. Crozier, 1690. fol. Plag. 42.

En

EN vero aliud ſpecimen induſtriæ ejusdem clariſſimi Viri, qua de republica literaria bene mereri quavis occaſione ſtudet. Cum enim noſſet, Tabulas Geographicas a Sanſoniis, patre ac filio, antehac adornatas magno Geographiæ ſtudioſis uſui eſſe, in gratiam Italorum, inter quos a longo tempore degit, in Italicum ſermonem eas traduxit non tantum, ſed & tabulis novis a ſemet compoſitis, inſperſisque paſſim iis quæ deeſſe viſa fuerunt, adauxit inſigniter, hac quidem uſus ratione. Cum *Sanſonii* non niſi Europæ provinciarum Geographiam, ſi tres aut quatuor aliarum regionum velis excipere, in tabulas redegerint, ipſe, ut ſeries exiſteret tabularum integra, reliquarum quoque orbis partium deſcriptionem ſynopticam, ad mapparum Sanſonianarum, præſtantiumque hac ætate Geographorum, Lubini, Coronelli, Cantelli, & Abbatis Baudrand, ductum, & ad fidem eorum, quæ Tavernier, Bernier, Chardin, aliique peregrinatores retulerunt, concinnavit; Italiæ vero antiquæ prolixiores equidem, ſed uſibus curioſorum accommodatisſimas tabulas ex *Antiqua* Philippi Cluverii *Italia*, a Luca Holſtenio emendata, deſumſit, ſimul materiam tabularum antiqui Illyrii P. *Brietio* Jeſuitæ, antiquæ porro Armeniæ *Philippo della Rua*, & Terræ Sanctæ ſive Palæſtinæ *Chriſtiano Adrichomio*, referens acceptam. Tum & amplius Sedium Patriarchalium, Archi-Epiſcopalium & Epiſcopalium in primis ſex Eccleſiæ ſæculis, ex Geographia ſacra *Caroli de S. Paulo*, ab Holſtenio perinde emendata, & Archi-Epiſcopatuum Epiſcopatuumque noſtræ ætatis nomina, ac plerumque etiam conſtitutionis eorundem annos, ex Abbate Baudrand, & Labbei Apparatu Conciliorum mutuavit, nomina vero *Titulatorum*, quos vocant, quorum feuda quendam cum notitia Geographica nexum habent, addidit, v. g. Parium Franciæ, Grandium Hiſpaniæ, Procerum (*Mylords*) Angliæ &c. ſimul tandem Linguas, Religiones & Monetam, cuique provinciæ peculiares, hujusque cum aliarum provinciarum re nummaria harmoniam, & quod vel maxime commendari meretur, latitudinis ac longitudinis graduum notas præcipuis urbibus adjecit, quo promtiores eſſent illæ inventu, easque ad Meridianum in inſulæ Canariarum unius Fero parte magis occidentali, juſſu & edicto Ludovici XIII. G.R. anno 1634 promulgato collocatum, direxit. Ut exinde adeo pateat, quid Sanſonianis tabellis opera *Deſeinii* acceſſerit augmenti, qui etiam in Præfatione *Tabulas Chronologi-*

cas, in iisque rerum eventus ad ſupputationem Hebræorum, Græcorum Latinorumque parallelam ſe nunc adornare affirmat. Quas ut proinde in lucem publicam propediem emittere velit, eruditorum nomine nunc rogamus.

PACIFICATORIUM ORTHODOXÆ THEOLOGIÆ Corpuſculum, auctore THOMA PIERCE, Decano Sariſburienſi.

Londini apud Robertum Clavell. A. 1685. in 8.
Conſtat Alphab. 1. plag. 7½.

SUccinctum hoc eſt ſatisque perſpicuum doctrinæ in Eccleſia Reformata, & ea quidem Anglicana, frequentari ſolitæ compendium, cui Auctor pacificatorii orthodoxæ Theologiæ corpuſculi nomen donare voluit, non ideo ſolum, quod Didacticam modo Theologiam in eodem propoſuit, ſolicite ab iis abſtinens, de quibus inter litigantes vexatam controverſiæ ſerram reciprocari noverat, ſed etiam, quod iſtud ita conceptum cenſet, ut & doctrinæ, quam Eccleſia Anglicana profitetur, in univerſum conforme ſit, & diſſidentibus quam minime diſplicere poſſe videatur. Quinimo in nonnullis quoque articulis pacis inter eos firmandæ modos prolixius delineat. Quantopere enim concordiam deſideret eccleſiaſticam, in ſua ad hunc librum præfatione parænetica cuivis manifeſte ob oculos proponit. Noſtrum vero inſtitutum minus patitur, ut per ſingulos fidei articulos ſententiam ſuorum inculcantem nunc ſequamur: ea enim abunde alias innotuit. Concordiæ tamen perſuadendæ rationem quam tenuerit, vel unico in exemplo delineare non inconſultum arbitramur, cumque inter inſcrutabilia ſoli Deo relinquenda, poſt myſterium de trinitate in unitate, modum præſentiæ Chriſti in ſacra cœna collocandum omnino reputet, hinc ejus de hoc dogmate effata irenica, quæ in hujus tractatus capite vigeſimo tertio proferuntur, ſuccincte indicabimus. Nimirum ut de uſu potius delectuque verborum, quam de ipſis rerum momentis, hoc in negotio litigari affirmat, ita concluſioni paulo poſt eliciendæ ſequentes præmittit hypotheſes, de quibus inter omnes convenire exiſtimat. Verba nempe Chriſti & Apoſtolorum in Scripturis conſignata, quantumvis ardua ſint ac δυσνόητα, nihilo tamen ſecius

æternæ ab omnibus veritatis haberi, nec ſine naufragio fidei a quoquam in dubium vocari poſſe ait. Nec in eo quenquam refragari aſſerit, multa eſſe a Chriſto metaphorice, metonymice, & ſynecdochice dicta, quæ ſecundum literam intelligere extremam argueret dementiam. Ulterius hoc nuſpiam negari contendit, præſentiam Chriſti in Euchariſtia aliquo modo eſſe realem, quatenus ea phantaſticæ, imaginariæ, & duntaxat κατὰ λέξιν ſumtæ opponatur, Chriſtumque ipſum ex ſuo inſtituto veriſſime nobis offerri, exhiberi, & applicari per fidem veram. Inſuper ſpiritum haberi pro rerum omnium realiſſima, & quo magis ſpiritualis ſit alicujus entis ratio, eo magis realem censeri eandem debere ſuperaddit. Reformatas denique Eccleſias hoc ſtatuere, quod non omnino carnaliter, materialiter, & craſſo modo ſecundum literam Chriſtus interſit ac præſit cœnæ benedictæ, aut tali pacto comedatur, ſed ratione quadam pura, ſpirituali, cœleſti, myſtica, nec minus tamen reali iſtud fieri præſupponit. Hinc autem pronum formari poſſe ſtatuit judicium, quod unicuivis, qui ſepoſito partium ſtudio Chriſtum ſapere nitatur atque profiteri, ea jam tum fides ſufficiat, ut corpus & ſanguinem crucifixi in cœnæ Dominicæ ſacramento ſpiritualiter & reapſe vereque credat percipi, modum tamen, qui ſit ineffabilis & incomprehenſibilis, inter ea ſobrie connumeret, quæ nos Magiſter optimus docere haud voluerit. Intelligent jam procul dubio benevoli Lectores, quænam ſit in cæteris quoque Auctoris hujus methodus; unde nihil amplius de hac obſervare neceſſum eſt. De ſubnexa tamen appendice vel tribus id monere verbis liceat, quod ea res quasdam in corpuſculo ipſo omiſſas poſtliminio adducat, aliasque breviter ibi deguſtatas aut obſcure nimis exhibitas dilucidet. Ac præcipue quidem circa cultum Dei ad normam divinam exigendum doctiſſimus Auctor occupatur, eamque ob rem Decalogi præcepta perluſtrat, & quales unumquodque virtutes poſtulet, cum cura diſpicit.

MEMORIE HISTORICHE DI DIVERSE Famiglie nobili &c.

i. e.

Commentarius Hiſtoricus de diverſis Familiis nobilibus tum Neapolitanis, tum extraneis: auctore Dn. BLASIO ALDIMARI Conſiliario Regis Catholici in ſupremo Senatu arcis Capuanæ Regni Neapolitani.

Neapoli apud Jac. Raillard, 1691. fol. Alph. 9.

IN tres partes diviſum hoc Opus eſt, quarum duabus prioribus Auctor celeberrimus Familias recenſet, quæ illuſtrisſimæ Genti Carafææ affinitate junctæ ſunt, tertia Familias nobiles alias complectitur. Et partes quidem priores duæ integræ deprehenduntur inſertæ luculento de Domo Carafæa Operi, quod in Actis Eruditorum anni 1692, menſe Septembri, pag. 401. & ſequentibus recenſuimus: tertia vero pars ſeptuaginta circiter Familias exhibet, Carafæam non attingentes, quas inter & Adimariana eſt ſeu Aldimariana, ex qua ortum illuſtris noſter Blaſius habet, a Carolo de Lellis juſto ſtudio delineata. Plura non addimus, niſi quod optamus, & alia majora Opera, quæ tantum non parata prælo Auctor habet, *Diſcurſus* nempe *de univerſis Regni Neapolitani Nobilibus Familiis*, quarum mille & nongentæ numerantur, & ſpiſſa duo volumina *de Regni Neapolitani cujuscunque profeſſionis Viris illuſtribus*, in lucem publicam propediem prodeant.

GUILIELMI POSTELLI, BARENTONII, DE Magiſtratibus Athenienſium Liber, notulis atque commentariolo illuſtratus a Jo. Frid. Hekelio.

Lipſiæ, ſumtibus Jo. Chriſtoph. Weidneri, A. 1691. in 8. Conſtat plag. 18.

DUdum eſt, quod iſtos Eruditi libros deſiderarunt, quos de Athenienſium Republica compoſuiſſe perhibetur Ariſtoteles, ac defectum proinde hunc ſupplere ex Demoſthene, Æſchine, Iſocrate, Libanio, Ulpiano Demoſthenis interprete, Polybio, Plutarcho, Harpocratione, & aliis iſtius generis auctoribus Poſtellus ſtuduit, præſtantiſſimam Reipublicæ ſpeciem in iſta Politia oſtenſurus. At ſatis de cætero hic liber doctis jam pridem innotuit, ut multa de eo dicere, aut qua in re cum Carolo Sigonio, Montecatino, & reliquis, qui de Athenienſium Magiſtratibus & Republica aliquid commentati ſunt, conveniat, iisve præferendus ſit, diſpicere nunc ſupervacaneum exiſtimemus. Eum itaque cum denuo vulgandum cenſeret clariſſimus Hekelius, brevem ſimul addidit commentariolum, in quo varia antiquitatum capita, quæ Poſtellus attigit, e plurium qua priſcorum qua recentiorum ſcriptorum monumentis illuſtrantur; ut, quando imprimis de

Draco-

Dracone, primo Athenienſium legislatore, p. 11. de χειροτονία ſeu manuum extenſione, p. 18. de Areopagitis, p. 20. de Æſchylo Poëta, p. 28. de Scribis, p. 44. de Epiſcoporum origine ac munere, p. 52. ſeqq. diſſerit, & paſſim loca auctorum a Poſtello citatorum ſpeciatim indicat; prout idem quoque propoſitum in notulis ſuccinctis, quas hinc inde ipſi textui ſubjecit, executus eſt. Uberiorem denique adjecit indicem, qui non res ſolum a Poſtello tractatas accuratius priori intimat, ſed eorum quoque, quæ ipſe in his notulis ac commentario inſperſit, ſyllabum Lectori conſpiciendum exhibet.

ANNALIUM POLONIÆ AB OBITU ULADISLAI IV. Climacter primus. Scriptore VESPASIANO A KOCHOW KOCHOWSKI, Equite Polono.

Cracoviæ ex officina Georgii & Nicolai Schedel, 1683. in fol. Alph. 5. plag. 2.

ANNALIUM POLONIÆ CLIMACTER SECUNDUS. Scriptore eodem.

Cracoviæ ex officina Nicolai Alexandri Schedel, 1688. in fol. Alph. 5. plag. 17.

GRaviſſimorum bellorum, motuumque civilium, quibus Polonia regnante Johanne Caſimiro miſerum in modum afflicta fuit, Hiſtoriam componere generoſiſſimus Auctor inſtituit. Cum vero ter ſeptem annis Johannes Caſimirus regno Polonico præfuerit, in tria volumina opus univerſum diſtinxit, quorum quodque ſeptem annos, id eſt Climacterem complecteretur. Et primum quidem alterumque Septennium, quorum illo Ukraynenſe cum Coſaccis bellum, hoc bella cum Suecis, Moſchis, Tranſylvanis geſta exhibentur, dudum in lucem prodierunt: tertium, quod civiles motus & interna Reipublicæ diſſidia usque ad Johannis Caſimiri abdicationem enarrabit, nondum, quantum nobis quidem conſtat, publici factum eſt juris. Cæterum ut primi ſecundique Climacteris argumenta juſto ſtudio hic exhibeamus, partim prolixum nimis foret, cum tanta eorum, quæ tum a Polonis, tum a gentibus aliis, Polonorum rebus ſeu hoſtium ſeu fœderatorum titulo immixtis, intra quatuordecim illorum annorum ſpatium geſta fuere, ſit varietas, ut in compendium redigi non poſſint; partim forte & ſupervacaneum, cum quisque eorum quæ temporibus noſtris contigerunt paulo curioſior, facile contextum hiſtoriæ hujus & geſtorum ſeriem animo poſſit præcipere. Suffecerit itaque, ſumma tantum capita paucis indicaſſe. Clima-

Climactere nempe ſeu Septennio primo accurate enarrari videas, quæ ori-
A. 1648. go, quæque cauſæ fuerint motuum, quos Coſacci in Ukrayna Chmielnicio duce
paulo ante extrema Uladislai Regis excitarunt, Scythis etiam ſeu Tartaris in ar-
A. 1649. morum ſocietatem vocatis: ut poſt Uladislai obitum, exaſperatis utrinque animis
bellum acrius exarſerit, per pactionem Sborovianam Johannis Caſimiri Regis
A. 1650. auſpiciis initam ſuſpenſum magis quam compoſitum: ut Chmielnicius Turcarum
donis ac promiſſis audacior reſumpſerit arma, & poſtquam magnis utrinque vi-
ribus & animis pugnatum ſæpius eſſet, pacem tamen poſtremo deprecatus ſit ac
A. 1651. impetraverit, firmaveritque ſolenni jurejurando: ut mox turbatum denuo fuerit,
ingentique clade a Tartaris & Coſaccis affectus Polonorum exercitus: ut bellum
A. 1652. in Valachiam etiam & Moldaviam diffuſum varia fortuna proceſſerit, donec in
A. 1653. pacem iterum conventum: ut novus in Polonos isque formidandus hoſtis, Ma-
A. 1654. gnus Dux Moſchoviæ, inſurrexerit Chmielnicio armorum ſocio occupaveritque
Smolenskum; viciſſim ut Poloni tantis hoſtibus impares exciverint in auxilium
fœdusque ex Taurica Cherſonneſo Scythas, bellumque ita paſſim ſævierit.

In ſecundo Climactere memorantur funeſta calamitatum, quæ Poloniam
A. 1655. hactenus exercuerant, augmenta, cum Rex Sueciæ etiam Carolus Guſtavus hoſti-
um cumulo acceſſiſſet, bellumque Johanni Caſimiro ſpretis, quas obtulerat ſæpi-
us, pacis conditionibus intuliſſet. Ita enim eodem tempore Lithuaniæ Moſchi,
Ruſſiæ Coſacci, Poloniæ Pruſſiæque Sueci incubuere, & hi quidem ea vi, ut Jo-
hanni Caſimiro regni finibus decedendi neceſſitas eſſet, dum Cracovia ipſa, quin
& robur exercitus Polonici Suecis ſe dederet, & in Pruſſia Thorunium, Elbinga,
oppidaque alia caperentur, Electore etiam Brandenburgico tantum non oppreſ-
ſo, certe ad pacem & paulatim ad armorum ſocietatem pertracto. Nec diu tamen
illibata ſtetit tanta felicitas. Gedanenſium inprimis, qui a fide erga Rempublicam
A. 1656. Polonicam nec blanditiis nec minis dimoveri potuerunt, exemplum animos Po-
lonis addidit, ut cornua hoſtibus obverterent Scytharũ ſuffulti auxiliis. Unde re-
cruduit bellum, Suecis tamen & Brandenburgicis triduano apud Varſaviam præ-
lio victoribus. Sed non multo poſt mutata rerum facies, Sueciæ Rege cum robo-
A. 1657. re, an reliquiis exercitus, ut illatum a Danis bellum propelleret, ex Polonia in
Holſatiam digreſſo: Ragozio Tranſylvaniæ Principe, qui Suecis auxiliatum vene-
rat, miſeranda clade affecto: recepta a Polonis Cracovia: Electore Brandenbur-
gico Poloniæ Regi reconciliato: Leopoldo etiam Archiduce Auſtriæ, auguſtiſſi-
mo paulo poſt Imperatore, ſuppetias Polonis ferente, & bello cum Moſchis ali-
A. 1658. quandiu quieſcente. Ita factum, ut ſuccurrere jam Poloni laborantibus Danorum
rebus poſſent, & in Pruſſia Thorunium juſto obſidio ad deditionem adigere: quo-
rũ & in Ukrayna revixit fortuna, VVyhovio (VVyhovvski) qui poſt Chmielnicii
obitum inter Coſaccos principatum tenuit, Polonorum protectionem palam am-
A. 1659. plexo. Sed proſpera illa mox interrupit Polonici exercitus ſtipendia tumultuoſe
poſcentis confœderatio, inſtauratumque cum Moſchis, etſi non infelici ex parte
Polonorum ſucceſſu, bellum: ut conſuli jam tranquillitati publicæ, qua feſſa tot
malis Polonia prorſus indigebat, non poſſet, niſi per pacem cum Suecis ineun-
A. 1660. dam, de qua in monaſterio Olivenſi tractatio ſuſcepta, & ad felicem tandem exi-
A. 1661. tum perducta. Hæc omnia Nobiliſſimus Auctor ea ſtyli ubertate ac elegantia, eo
ſententiarum acumine, ea etiam, ut non dubitamus, fide duobus hiſce Operis exi-
mii voluminibus perſecutus eſt, ut tertium etiam, quod in præfatione ſecundo
præmiſſa nec promittere nec abnuere ſuſtinuit, luci publicæ exponi exopta-
turi omnes ſint, quibus priora illa duo volupe fuerit perluſtraſſe.

ACTORUM ERUDITORUM,
quæ Lipſiæ publicantur,
SUPPLEMENTA.
Tom. II. Sect. VIII.

THEATRUM CONCIONUM SACRARUM TOPICUM ſuper univerſam Theologiam de Deo cognoſcendo & colendo, in partes novem diſtinctum. Auctore BARTHOLOMÆO ANHORN AB HARTWISS, *Paſtore Eccleſiæ Elſaugienſis in agro Tigurino.*

Baſileæ, apud Johannem Henr. Meierum & Jacobum Chriſtoph. Anhorn, 1691. in 4. Conſtat Alph. 60. & plag. 10½.

CUm ſingularum Concionum in hoc amplisſimo Theatro obviarum argumenta referre nimis prolixum foret, ſummatantum capita quarumlibet partium recenſere placet, ut de eruditisſimi Auctoris inſtituto aliqua ex parte conſtare queat. In prima parte de Theologia, ejusque principio cognoſcendi, Scriptura ſacra, 31 conciones exhibentur: quibus mantiſſæ loco adhuc tres, quarum prima de Moſe & Prophetis, altera de Evangelio, tertia de verbi Dei firmitate & æternitate agit, ſubjiciuntur. In II. parte de Dei cognitione, ejusque tum affectionibus, tum mediis, tum objecto; de nominibus eſſentialibus atque acceſſoriis, eſſentia abſolute conſiderata, attributis in genere ac ſpecie, myſterio SS. Trinitatis, Spiritus Sancti officio erga bonos pariter ac malos, 39 conciones occurrunt: quibus ἐπιμέτρου loco duæ, una de Spiritu Sancto precibus impetrando, altera de animo mundo & ſpiritu firmo, annectuntur. III. de operibus & decretis divinis in genere, prædeſtinatione, illiusque duabus partibus, electione ſcilicet atque reprobatione, impiorum excœcatione, reproborum induratione, libro vitæ, voluntate Dei circa ſalutem electorum, operibus Dei externis, creatione in genere, & in ſpecie de quatuor dierum hexaëmeri operibus, 20 concionibus agit;

ac quomodo materiæ homilia una exhibitæ in pluribus ac diverſis concionibus publice tractari poſſint, ſub frontiſpicium hujus partis dilucide oſtendit. IV. Opera Dei quinto & ſexto die prodita, ſedecim; providentiam Dei, illiusque uſum, duabus; Angelorum gubernationem, bonorum confirmationem & officium, malorum lapſum & pœnam, ſcientiam in rebus divinis, diabolicam hominis obſesſionem, Pauli ſurculum & colaphos Satanæ, luctam fidelium atque panopliam ſpiritualem contra Satanam, ſeptem; gubernationem & felicitatem hominis in ſtatu innocentiæ tribus concionibus repræſentat. V. Lapſum primorum parentum, peccatum originale, & liberum hominis arbitrium, tribus: peccatum actuale, ejusque vel leviſſimi grave periculum, ſcandala in Eccleſia Dei, peccatum in Spiritum Sanctum, quatuor: miſerias peccatum conſequentes ſeptendecim concionibus exponit. VI. Legem naturalem, moralem, ceremonialem hujusque typos perſonales ac reales Chriſtum adumbrantes, Chriſtianorum in novo Teſtamento ſacrificia, loca cultui ceremoniali conſecrata, templa & ſcholas Chriſtianorum, tempora cultui divino in veteri Teſtamento deſtinata, feſta Chriſtianorum, privatas quasdam in lege veteri ceremoniali obſervantias, leges & ceremonias eccleſiaſticas in novo fœdere, legem Moſaicam forenſem & Chriſtianorum leges civiles, viginti & novem: Evangelium illiusque cum lege convenientiam & ab eadem differentiam, tribus: Perſonam Chriſti, ejusdemque conceptionem, unionem perſonalem, idiomatum communicationem, humanæ naturæ excellentiam, nativitatem, viginti concionibus depingit. VII. Chriſti officium mediatorium in genere, ſtatum exinanitionis atque exaltationis, & in utroque officii prophetici, ſacerdotalis & regii adminiſtrationem, triginta duabus; vocationem electis atque reprobis communem, Judæorum rejectionem, converſionem, & gentium vocationem, tribus; fœdus gratiæ, illius ſigilla, ſacramenta ſcilicet veteris & novi Teſtamenti, viginti quatuor concionibus deſcribit. VIII. Eccleſiæ veræ exiſtentiam, eſſentiam, viſibilitatem & inviſibilitatem, formam, adjuncta, notas, fata, externam adminiſtrationem, nutritios eorumque circa ſacra poteſtatem, oppoſita, quatuordecim; electorum vocationem ſpecialem, fidem ſalvificam, juſtificationem, adoptionem, ſanctificationem, ſanctorum perſeverantiam, libertatem Chriſtianorum, duodecim;

cim; glorioſum Chriſti adventum ad judicium, judicium hominis particulare, reſurrectionem mortuorum, immutationem ſuperſtitum viventium, judicium extremum, conſummationem ſeculi, mortem, atque vitam æternam, quatuordecim concionibus delineat. IX. Quomodo Deus per bonorum operum & virtutum Chriſtianarum ſtudium, juxta præceptorum Decalogi regulam, ſancte ſit colendus, quinquaginta duabus concionibus demonſtrat. Cujus operis jam recenſiti, & a clarisſimo Auctore e Scriptura ſacra, Patribus aliisque Auctoribus, indefeſſo ſtudio ac quotidiana triginta duorum annorum praxi, in gratiam Miniſtrorum Eccleſiæ, ut iis materia ad uſus e quolibet contextu Scripturæ elicitos uberius pertractandos ſuppeteret, adornati uſum, indices, tum generalis omnium materiarum novem partibus comprehenſarum primæ parti annexus, tum ſpeciales materiarum, textuum aliorumque locorum Scripturæ ſacræ, & rerum ac verborum cuilibet parti adjecti, non parum promovebunt. Cur quatuor priores partes ſub nomine *Bartholomæi ab Hartvvis*, nulla *Anhornii* mentione facta, ediderit doctisſimus Auctor, rationem ipſe in præfatione ad lectorem quintæ parti præfixa reddit, quod, cum in Turgæa inter Pontificios ipſi habitandum, ſacra in eodem templo & ſuggeſtu cum ſacrificulo peragenda, & pacta religioſa obſervanda eſſent, ſuaſu ſuperiorum Anhornii nomen iſtis in oris pasſim decantatum ſupprimere, & gentilitium familiæ ſuæ nomen, ſed obſoletum, & ante duo fere ſecula oblivione ſepultum, Hartvvicorum vel Hartvviſſorum ſubſtituere voluerit, ne in manifeſtum aliquod periculum incurreret, elenchum fortius in Pontificios ſtricturus. Qua occaſione ſimul originem nominis Anhornii exponit, obſervans circa annum Chriſti 1400 Nobilem quendam, nomine Martinum ab Hartvvic, vel Hartvvis, in Rhætiam veniſſe, ſibique prædium in ſummis Faliſcienſium montium Alpibus comparaſſe, atque in iis ſatis ſplendidam domum exſtruxiſſe, ac prope eam platanum (einen Anhorn-Baum) plantaſſe, quæ in arborem proceram & umbroſam brevi tempore excreverit; ſub cujus umbra, cum diebus feſtis, favente cœli temperie, compotationes vicini inſtituerent, ab illa arbore ædium inhabitatorem, Martinum ab Hartvvis, non niſi Martinum Anhorn vocatum, idemque nomen etiam in poſteros derivatum fuiſſe. Neutiquam & ſilentio videtur prætermittendum, quod in eadem præfatione inter rato contingentia

jure refert Auctor (quem nuper admodum ex Anglia reducem inque Helvetiam ſuam contendentem, octogenarium, ſed vegetum valentemque in hac urbe vidimus) memorans, anno 1634 Caſæ Abbatiſcellanorum, menſe Septembri, patrem, filium & nepotem intra quatriduum ex eodem ſuggeſtu, & quidem ſe nepotem die primo & viceſimo; patrem ſuum, Danielem Anhorn, viceſimo; & avum, cui Bartholomæi quoque prænomen fuit, viceſimo & tertio menſis Septembris, concionatos fuiſſe.

THE HISTORY OF PHILOSOPHY &c.
i. e.
Hiſtoria Philoſophica vitas, placita, actiones atque diſcurſus Philoſophorum uniuscujusque ſectæ ſiſtens, & nonnullorum effigiebus illuſtrata per THOMAM STANLEY, Equitem. Editio ſecunda.

Londini, 1687. apud Thomam Baſſet &c. in fol. Alph. 11.

DUdum a nobis recenſeri debuerat hoc, quod ſiſtimus, eruditionis profundæ opus, & nunc ſero nimis in arenam poſt tot annos produci fortean nonnullis videri queat. Enimvero ſicut non ſemper, prout quidem optamus, in manus noſtras libri juſto tempore incidunt; ita dividiæ haud erit, in Supplementis mentionem facere Stanlejani laboris, cujus cognitionem orbi erudito fore gratiſſimam nulli dubitamus. Præcipuus ad eundem inſtigator Cl. Auctori avunculus Joh. Marshamus fuit, prout ille in epiſtola nuncupatoria ait; ſimul & e Gaſſendi ſcriptis occaſionem ad tentandum iſtiusmodi quid ſibi ſubnatam faſſus: quanquam in eo multum a Gaſſendo diſſentiat, quod is nimium videatur partium ſtudia ſecutus, a quibus ſe maxime alienum non promittit ſolum, ſed & ſiſtit. Neque vero eſt, ut cum Auctore adhuc quæramus, utrum e re orbis eruditi ſit, de antiqua philoſophia ſcribi? cum vecordem admodum atque imperitum eſſe oporteat, qui id in dubium vocare auſit. Alia profecto, longeque ſanior eſt mens omnium veræ philoſophiæ æſtimatorum, quos inter Cl. Vir Joh. Clericus, multoties nobis memoratus, Stanlejanos labores adeo non contemnit, ut ejus Hiſtoriam Philoſophiæ Chaldaicæ magno operi de Græcis Philoſophis ſubjunctam in Latinum idioma tranſtulerit, additisque notis Amſtelodami A. 1690. in 8. vulgarit.

Cete-

Ceterum, ut ad ipſum opus progrediamur, ordo quem Stanlejus in recenſendis Philoſophis obſervat, exacte ſatis Laertianum ſequitur: materia vero ſcriptionis tum quod vitas iſtorum hominum, tum quod placita eorum concernit, e probatiſſimis antiquis ſcriptoribus magna cum ἀκριβείᾳ ſimul & ampliſſime conquiſita eſt: quin imo non dubitat quandoque Noſter integras auctorum lacinias in Anglicum ſermonem verſas una inſerere, quas nimirum ad illuſtrationem eorum, quæ dixerat, inprimis conducere exiſtimabat: quales e. g. ſunt Epiſtolæ Socratis & Ariſtophanis Nubes, vitæ Socratis ſubjunctæ: Alcinoi Doctrina Platonis & Joh. Pici Mirandulæ Diſcurſus Platonicus, poſt vitam Platonis; Jamblichi explicatio Symbolorum Pythagoræ, Timæus de Anima Mundi, nec non Reuchlini explicatio Doctrinæ Pythagoricæ, poſt Pythagoræ vitam: ut aurea carmina verſibus Anglicis eleganter expreſſa, aliaque hujus generis minutiora taceamus. Et ne aliquid accurationis deſit, Chronologia Philoſophorum ad annos Olympiadum ſummo ſtudio expreſſa bis comparet, ſemel finita parte III. conciſior, longe vero amplior poſt totum de Philoſophis Græcis opus. Methodus, quam obſervat, ea eſt, ut primo natales atque patriam Philoſophi, præceptores, itinera, ſcholam, mores, apophthegmata, mortem: deinde placita per ſingulas philoſophiæ partes, ubi modo licuerit, ſedulo ex antiquis (etſi nonnunquam a ſe mutuo diſſentientibus) apponat, eosque, ſi opus fuerit, hic illic emendet.

Noſtrum non eſt, prolixe quid de philoſophis recenſeatur excerpere, partim quod id inſtituti ratio non permittit, partim quod & præpoſterum videatur, ſcriptores veteres, e quorum teſtimoniis maximam partem totum hoc opus conſtat, in compendium contractos dare. Exhibebimus autem more noſtro nonnulla, quæ prægustum præbeant lectori, ipſiusque Stanleji obſervationibus debentur. Ubi primo ſtatim capite de patria Thaletis elegans ſe obſervatio ejus offert, falli Laertium, dum, ut e Phœnicia oriundum Thaletem probet, Herodotum adducit teſtem, qui tamen potius contrarium ſcribat, eum nempe ὄντα Μιλήσιον ἀνέκαθεν τὸ γένος εἶναι Φοίνικα, i. e. *antiqua ſtemmatis deductione e Phœnicibus ortum, eſſe civem Mileſium.* Hinc locum Laertii obſcuriorem emendat, ubi de Thalete nulla veri ſpecie narratur, ἐπολιτογραφήθη ἐν Μιλήτῳ σὺν Νεολέῳ ἐκπεσόντι Φοινίκης: qui enim Noleus Codri filius Athenarum patrio regno a Medone fra-

tre juniore pulſus, Phœnicia exciderit, quam ne oculis forſan ſuis uſurpavit? aut qui Thales una cum eo abierit, quem totis 4. ſeculis habuit antiquiorem? Caſaubonus & Menagius medicam loco manum admovere niſi, anachroniſmum tamen Laertii nec obſervarunt, nec evitarunt. Bene vero Stanlejus, qui facta levi mutatione, & ſermone de majoribus Thaletis accepto, ſcribendum cenſet: *ἐπολιτογραφήθησαν ἐν Μιλήτῳ, ὅτε ἦλθον σὺν Νειλέῳ ἐκπεσόντι Φοίνικες· adſcripti ſunt numero civium Mileti Phœnices, quum eodem, quo Neleus patria pulſus, tempore (in Cariam) veniſſent.* Dignior eſt adhuc quæ memoretur de Olympiadibus obſervatio Stanleji, quarum initium communiter in temporibus Iphiti & Lycurgi quæritur, poſito victore primo Corœbo Elienſi. Enimvero quum Corœbus iſte Iphito & Lycurgo plus ſeculo junior deprehendatur, neque tamen negandum ſit reſtitutos ab his duumviris ludos Olympicos: noſter duplicem Olympiadum epocham agnoſcendam monet; unam quæ ab Iphito & Lycurgo incipiens, ob turbatum variis motibus Græcæ Reipublicæ ſtatum languida, utcunque tamen usque ad Corœbum duravit: alteram vero conſtantem, a Corœbi victoria, & poſthac in omni Græcia communi omnium conſenſu pervulgatam. De *ὡροσκοπείοις*, quorum inventorem Laertius Anaximandrum tradit, e Salmaſio obſervat, non illa 12 dici horas, ſed tropicos ſolum & æquinoctia monſtraſſe: quum *ὥρα* vox eo ſenſu, quo nunc proſtat, longo demum poſt Anaximandrum tempore recepta ſit. Ejusdem Anaximandri Commentarios *περὶ Φύσεως* a Suida numeratos nihil aliud eſſe quam *ἔκθεσιν κεφαλαιώδη*, quæ in Apollodori Athenienſis manus poſt mortem Anaximandri, referente Laertio inciderit, ſuſpicatur. Dogma hujus Philoſophi de lumine Lunæ ſibi non contrariari, adverſus Caſaubonum evincit; dum illi equidem lumen proprium juxta Plutarchum & Stobæum conceſſerit, ſed adeo tenue, ut *ψευδοφανής*, juxta Laertium, mutuato a Sole lumine ſplendeat. Celebris iſtius lapidis, quem, ut Anaxagoras prædixerat, de cœlo cecidiſſe ajunt, lapſum, in annum 4 Olym. 77 incidere, contra Laertium, Plinium & Euſebium e marmore Arundelliano probat.

In vita Socratis de ejus genio prolixus eſt, & Athenæo, illum indubium paulo acerbius vocanti, calumniatoris dicam impingit, eundemque auctoritate coævorum & ſequentium omnis ætatis ſcriptorum

rum probatorum refutat. Genium vero arbitratur bonum fuiſſe, rejicitque Franc. Collium, qui in Tr. de Animabus paganorum pro malo habet, eam inprimis ob rationem, quod nunquam vitia, ſemper ſolum pericula diſſuaſerit; cui contrarium oſtenſurus noſter, e Platonis Theæteto adducit Timarchum juvenem, ad cædem Niciæ tendentem, & a Socrate genii inſtinctu ſemel iterumque retentum, donec ſe furtim ſurripuerit. Ceterum videtur haud improbari Stanlejo ſententia Eugubini, qui non male forſan ſtatui poſſe putet, dæmonium Socratis, cum ille eſſet vir bonus, hortareturque ad virtutem omnes homines, & ab ipſo dæmonio ad bonum ſemper vocaretur, bonum Angelum fuiſſe, qui & Baalam hariolo & mago apparuerit. Quod Socratis mortem attinet, miratur Auctor, Leonem Allatium communem totius Græciæ ſententiam (Socratem A. 1. Olymp. xcv. æt. 70. jam exacto obiiſſe) magno molimine rejicere, tantum ut 14 epiſtolam e Socraticis γνήσιον evincat, quæ Polycratis orationem in Socratem quaſi ante tribunal habitam allegat; ſed cum ea oratio murorum urbis per Cononem reſtitutorum meminerit, rei ſexto demum poſt mortem Socratis anno factæ, hinc nimis evidentem anachroniſmum, jam olim in Laertio a Phavorino notatum, fruſtra Allatium e Suida, Chronico Alexandrino, aliisque auctoribus, quorum errores omnibus noti ſint, tueri obſervat. Socratem in philoſophicis nihil ſcripſiſſe cum aliis exiſtimat; Epiſtolas autem, Euripidis Tragœdias, aliaque forſan his ſimilia illi non penitus abjudicanda cenſet: at encomium Cyrilli, filii ad Mantineam cæſi, ob temporum inconvenientiam Socrati non bene ab Hermippo & Laertio tribui ait. Septem epiſtolas Socratis ita translatas exhibet, ut ad marginem haud raro vel textum Græcum emendet, vel Allatium caſtiget.

De Platone Apollinis filio fabulam inde ortam ducit, quod ſeptimo Θαργηλιῶνος menſis die, circa quod tempus Apollinis feſtum Delii celebrabant, A. 1. Olymp. 88. natus ſit, qui & Apollini natalis a poetis affingitur: ſimul hac occaſione conjecturam in locum Laertii prodit, ubi de nativitate Platonis agens Diogenes Speuſippum allegat ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Πλάτωνος περὶ δείπνου, Stanlejus vero rectius legi arbitratur Πλάτων ἢ περὶ δείπνου. Caſtigat dein illorum inadvertentiam, qui Platonem Jeremiæ auditorem

torem faciunt, quo tamen minimum 160 annis junior ſit. Non minus errare ſcribit Steuchum Eugubinum, qui Platonem myſticam ſuæ philoſophiæ partem, præſertim quæ de bonitate Dei ſcribit, e Triſmegiſti libris hauſiſſe exiſtimet, cum a Caſaubono aliisque ſatis monſtratum ſit, ab impoſtore profectos eſſe, quos hodie ſub nomine Triſmegiſti libros habemus, e ſacro nimirum Codice ſcriptisque Platonicis compilatos. In vita Carneadis mentionem Callippicæ periodi faciens, illam juxta Petavii methodum computari ſuadet, quæ quamvis non omni errore vacua, ſine dubio tamen melior methodo Scaligeriana ſit, quum hujus nulla detur cum obſervationibus Ptolemæi conciliatio. In Pythagora merentur legi præter ea, quæ de nativitate ejus & adventu in Italiam, contra omnes antiquos erudite diſputat, explicatio numerorum atque muſices Pythagoreæ.

Verum ſufficiant hæc loco ſpeciminis e Græciæ Philoſophorum hiſtoria hic excerpta, quibus pauca nunc e Chaldæorum hiſtoria ſubnectemus. Hujus vero libelli prorſus egregii translationem, ſibi non adeo facilem aut expeditam fuiſſe clariſſimus Clericus in præfatione ait, quum Stanlejus utplurimum verba veterum, ſed vernaculo idiomate proferens, auctoresque ad marginem vel generalius vel mendoſe allegans, haud parum ſibi negotii in evolvendis ſcriptoribus crearit: de cetero eſſe in ipſomet Stanleji opere menda nonnunquam, quæ ut emendaret Interpres, & Oracula Zoroaſtris, quæ ex editione Franc. Patricii Stanlejus Græce & Latine ſub finem opuſculi annexuerat, longe emaculatiora darèt meliusque translata, curam omnem atque ſtudium impigre adhibuit; adjecitque Zoroaſtri notas, quæ non ſolummodo textum, ſed & ipſam Chaldæorum philoſophiam non parum illuſtrant. De Patricii ἀβλεψίᾳ enim adeo Clericus queritur, ut dubitet, utrum ipſe laudata Zoroaſtris Oracula male collegerit, an potius ab alio collecta male ſaltem deſcripſerit: ſane, inquit, qui potuit Proclum aliosque Platonicos ſcriptores evolvere, ut hæc fragmenta erueret, idem etiam multo melius ea vertere & diſponere potuit, quam fecit Patricius. Quæ vero ab ipſo Stanlejo aut omiſſa ſunt, aut non recte animadverſa, in Indice correxit interpres & ſupplevit. Adducamus exempli loco nonnulla. Lib. 1. Sect. 1. c. 20. Auctor de quatuor diverſis ſapientum Babyloniorum generibus Dan. II. 2. memoratis agit; & e

Rab-

Rabbinis præcipue docet, *Hbartumim* eſſe phyſicos, qui cognoſcendæ rerum naturæ operam dederint: *Aſchaphim* ſapientes atque myſtagogos, ea quæ ad amorem Numinis pertinent, viſibilium rerum figuris involventes: *Mechaſchephim* magos ſeu ſortiarios, absconditarum rerum revelatores: *Chaſchdim* ſpeciatim aſtrologos. Clericus autem in Indice miratur, viros doctos & cum iis Stanlejum in eruendis antiquiſſimis Chaldaicæ Philoſophiæ originibus recentiores Rabbinos allegare, quorum ſimplex auctoritas flocci pendenda ſit: nihil enim eos (antiquis libris, æque ac nos ſumus, deſtitutos) utplurimum, præter frigidas hariolationes ſuas quaſi e tripode magna audacia proferre, quibus plures poſſent conjecturæ æque veriſimiles adjungi, niſi hoc foret tempore abuti. Sabæorum Philoſophiam Stanlejus l. III. quanto poteſt ſtudio adumbrat. Verum res horum populorum omnes infirmis admodum relationibus niti, Clericus ſub voce *Sabæi* aſſerit: & magnam adhuc ſubeſſe dubitationem, an illi Sabæorum libri in Arabicam ex priſtina illorum lingua tranſlati, quibus ſe uſos Maiemonides Arabesque tradunt, genuini ſint; imo videri potius a nugacibus Muhammedanis ad ſtabiliendas nænias confictos. Cum de Magis Stanlejus agit, illos cum Chaldæis facit eosdem; quod vero perperam fieri, interpres ex Origene contra Celſum & e Curtio oſtendit, Magosque ait ſacrorum fuiſſe rituumque antiſtites, meros autem aſtrologos Chaldæos. De nomine vero *Magus* obſervat, a Chaldaica voce Mug, quæ in participio Mag *diſſolvens, liquefaciens* habeat, derivari eſſe credibile; inditumque id Magis nomen ab incantationibus, queis frangi ac diſſolvi vires hoſtilis exercitus Perſæ credidere. Cetera, quæ notatu digna occurrunt, ut ſunt ſane plurima, uniuscujusque lectoris otio, quo nunc abuti congruum non eſt, & arbitrio relinquemus.

EXCERPTA EX COMMENTARIIS MATHEMATICO-Phyſicis Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis A. 1692. p. 81---158.

DOminus *Charas* novam præparationem corticis febrifugi China de China communicavit, quæ in eo conſiſtit, ut ex libra corticis

ticis pulveriſati extrahat, mediantibus duabus pintis boni ſpiritus vini, partem reſinoſam, ex reſiduo vero, ope 2 pint. vini albi, partem ſalinam & ſpirituoſam, utramque deinde ſolutionem conjungat, in balneo arenæ mediocriter calido maxima ut evaporet humiditatis pars efficiat, tandemque addat 3 uncias optimi ſyrupi de Kermes, totumque compoſitum redigat ad conſiſtentiam extracti mediocriter ſolidi, cujus doſis eſt a dimidia drachma usque ad duas, exhibenda ægris, (poſt purgans vel etiam vomitorium, ſi opus fuerit, adhibitum) tempore inter paroxysmos medio, tribus aut quatuor vicibus, ſi intervallum paroxyſmorum id concedat, quatuor horis ante aut poſt paſtum; eo quidem cum fructu, ut febris poſt quartum plerumque inſultum non reditura recedat, neque malam aliquam diſpoſitionem in reconvaleſcente poſt ſe relinquat. Dominus *Caſſini* d. 22 Aprilis Conjunctionem Lunæ & Martis obſervavit ſimilem illi, quam Ariſtoteles lib. II. de Cœlo cap. 12 ſe vidiſſe commemorat. Dominus *Tournefort* fungum extraordinarium enatum in tigno obtulit Academiæ, ejusque deſcriptionem concinnavit. Dominus *de la Hire* novam methodum rationem inter ſphæræ ſuperficiem & ſuperficiem maximi in ea circuli, nec non ſuperficiem cylindri, qui pro baſe habet illum circulum & altitudinem diametro ſphæræ æqualem, demonſtrandi oſtendit; una cum quadratura ungulæ cylindricæ & figuræ ſinuum. Dominus *Homberg* varia recenſet experimenta cum phoſphoro inſtituta, in quibus illa cumprimis notatu digna, quæ ſpiritum vini magis contrarium phoſphoro eſſe probant, quam aquam communem, quippe cum hæc ipſum conſervet, ille contra, ſi cum eo digeratur, ejus vim luciferam imminuat, hac tamen proprietate acquiſita, ut ſi nonnullæ guttæ aquæ communi, vel guttæ aquæ communis tali ſpiritui vini inſtillentur, lumen exoriatur illico fulguris inſtar diſparens. Dominus *Caſſini* & Dominus *de la Hire* tranſitum Martis per nebuloſam Cancri obſervarunt: ille quidem comparando viam Martis cum duabus ſtellis maxime claris nebuloſæ, quæ a ſe invicem uno & dimidio minuto diſtant; hic autem, cum in promtu ei eſſet configuratio ſtellarum, quæ nebuloſam componunt, quam alias delineaverat, attendit ad tranſitum Martis in reſpectu ad illas ſtellulas, viamque Martis in ea figura deſignavit. Dominus *Tournefort* de productione

ductione fungi ante memorati ita cenſet, ut eum ex ſemine natum, putet illapſo fiſſuræ tigni, quod ab humiditate putredinem contraxit ſolvente ſalia tum ligni, tum colorum aqua dilutorum, quibus tignum pictum, tum & calcis ſabulo ſubactæ, ut cum ligni carie componerent terræ ſpeciem nutriendo fungo accommodatam. Dominus *Caſſini* d. 19. Maji interdiu eclipſin Veneris, ope tubi optici, obſervavit factam a Luna interpoſita. Dominus *Abbas de Louvois* Academiæ Regiæ per Dominum *de la Hire* obtulit duo fruſta palmæ petrefactæ, duritie ſilicem æquantia, quæque hic oſtendit ex comparatione cum palmæ ligno, non luſum eſſe naturæ, ſed palmam in ſilicem converſam, perinde ut contingit in flumine, quod per urbem Bakan regni Ava tranſit, & ſpatio 10 leucarum virtutem habet petrificandi lignum, referente Patre Duchatz, qui vidit ibi ſpiſſas arbores petrefactas ad ſummam usque aquam, quarum pars reliqua adhuc erat lignea. Domini *de la Hire* obſervandæ Lunari eclipſi d. 28. Julii invigilantis curas nubes denſæ eluſerunt. Dominus *Varignon* dimenſionem dedit ſolidi cordis ſpeciem habentis, quod oritur ex converſione ellipſis dimidiæ circa diametrum obliquam. Sequitur obſervatio eclipſis Lunæ *Caſſiniana*, & hanc quas Dominus *Sedileau* habuit obſervationes excipiunt circa originem cujusdam papilionis magnitudinis extraordinariæ, nec non aliorum quorundam inſectorum, ſic ut & experimenta nova Domini *de la Hire* circa Magnetem. Dominus *Homberg* de variis vegetationibus metallicis agit, easque toto cœlo non ſolum a vegetatione plantarum ſed inter ſe quoque differre oſtendit. Tradit quoque alium modum arborem Dianæ producendi, quadrantis horæ ſpatio: ℞. 4 Drachm. limaturæ argenti puri. Fiat amalgama absque igne cum 2 drachm. Mercurii. Hoc diſſolve in 4 unciis aquæ fortis, ſolutionem infunde ſeſquiſextario (*trois demiſeptiers*) aquæ communis, & agita paululum, ut commiſceantur, tandem in ampulla vitrea probe obturata aſſerva ad uſum. Hic in eo conſiſtit, ut capiatur hujus miſturæ uncia circiter, & lagenulæ vitreæ indatur, una cum amalgamate ordinario auri aut argenti, butyri adinſtar liquidi, parvi piſi magnitudine. Hæc ſi quieta relinquatur, Mercurius & argentum liquori innatantia, cujus vis diſſolvens ab affuſa aqua communi valde fuit debilitata, cum offendant in ampullæ

fundo amalgama Mercurii non diſſoluti, eidem adhærescunt. Mercurius autem diſſolutus, cum conjunctus ſit cum certa portione argenti, cujus particulæ duriores ſunt quam Mercurii currentis, jungitur amalgamati forma particularum firmarum & durarum, quæ, cum comitentur illas aciculæ nitroſæ diſſolventis menſtrui, ſequuntur directionem illarum acuum nitroſarum, varieque ſibi invicem conjunctæ ramos efformant in lagena comparentes. (*Vid. Fig. 1.*

TAB. VII. Fig. 1. 2. & *2.*) Alia vegetationis ſpecies ſine Mercurio fit modo ſequenti. Diſſolvatur pars argenti puri in tribus partibus aquæ fortis; evaporet ſolutionis dimidium, in ejusque locum addatur duplum aceti deſtillati & dephlegmati, quietaque relinquatur hæc mixtura menſem circiter; quo elapſo, in lagenæ medio reperietur arbuſcula abietis formam gerens, non tamen coloris argentei, ſed albi & transparentis, adinſtar ſalis. Hæc enim ramificatio nihil aliud eſt quam argenti cryſtalliſatio ordinaria, additione ſalis aceti paululum

Fig. 3. mutata. (*Vid. Fig. 3.*) Tertia vegetationis ſpecies abſolvitur ope liquoris ſilicum, & metalli cujusvis in aqua forti aut regia ſoluti & abſtractione menſtrui exſiccati, differtque plurimum a præcedentibus, quæ meræ ſunt cryſtalliſationes. Nam dum metallum acidis particulis junctum liquori immittitur alcalino, hic illud penetrat & emollit, fitque deinde fermentatio, ſed lenta, quia particulæ metallicæ implicantur particulis acidis. In hac autem aer a materiis fermentatis ſecernitur, & bullulæ aereæ egrediuntes ex particula metalli dum fermentatur, & in ejus ſuperficie adparentes, poſtquam certam acquiſiverunt magnitudinem, pelluntur a gravitate liquoris imminentis verſus ejus ſuperficiem. Quoniam autem hæ bullæ implicitæ ſunt materiæ ex qua egrediuntur, ægre ſe ab illa liberare poſſunt, & ſecum trahunt filamenta materiæ metallicæ, quorum baſes ſunt bullæ aereæ. Metallum enim dum fermentatur, molleſcit, ſed hoc finito induratur, unde & ramuſculi illi metallici indurantur ſatis cito, & extra liquorem etiam ſubſiſtunt. (*Vid. fig. 4.*)

Fig. 4. Tandem alia adhuc datur vegetationis metallicæ ſpecies, quæ fit, ſi 3 aut 4 capiantur partes Mercurii, bene purificati 5 aut 6 diverſis ſublimationibus, una vero pars auri aut argenti puri, fiatque amalgama ſine calore, idque indatur vitro oblongo collo inſtructo, quod digeſtioni fortiori, ſpatio 15 dierum, poſtquam hermetice ſigillatum

TAB. VII. ad Tom. II. Supplem. pag. 364. Sect. VIII.

Fig. 5.



Fig. 3.



Fig. 2.



Fig. 1.



Fig. 4.



Fig. 6.



Fig. 7.



Digitized by

latum fuit, eſt exponendum. Induratur enim ſenſim amalgama, dum metallum magis magisque penetratur a Mercurio, qui in motum actus ab igne elevatur ſuper amalgamatis ſuperficiem, & ſecum abripit metalli immixti particulas, arborisque ſpeciem conſtituit circiter digitum altæ, donec tandem amalgama plane fuerit duratum. (*Vid. fig. 5.*) Dominus *Caſſini* dedit eclipſes primi Satellitis Jovis anni 1693, ſupputatas ex tabulis Caſſinianis a Domino *le Fevre*. Dominus *Charas* fontium calidorum cauſam deducit ex commixtione aquæ cum ſuccis acribus vitrioli aut ſulphuris, quibus accedere quoque poſſint alii ſales aut calces ſubterraneæ, quas perluit aqua: motus phænomeno olei vitrioli ab aqua communi affuſa valde incaleſcentis, quoniam ſcilicet, cum omni phlegmate ſit privatum, molles, plicatiles & poroſas aquæ partes valde & ſubito quaſi ad ſe rapit, qui motus fermentationem & calorem producit.

TAB. VII. Fig. 5.

DISSERTATION HISTORIQUE SUR UNE Medaille d' Herodes Antipas.

h. e.

Diſſertatio Hiſtorica Herodis Antipæ nummum illuſtrans.

Pariſiis ex officina Antonii Lambin, 1689. in 4. plag. 4.

SCripſit hanc Diſſertationem epiſtolæ forma ad Dn. Begon, regiorum judiciorum & redituum in Tractu Alnenſi præfectum, Rigordus. Eſt autem nummus, quem in ea illuſtravit, & nos quoque hic exhibemus, ex ære minimo, in altera parte palmam Judææ ſymbolum exhibens, & legenda ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ. L. ΜΓ. in averſa verba: ΓΑΙΩ ΚΑΙCΑ, ΓΕΡ ΝΙΚΩ in corona. Ad Herodem Antipam nummum hunc referendum Autor clariſſimus exiſtimat, magni ſcilicet Herodis filium, Galilææ Tetrarcham, criminibus pariter ac dignitate in ſacra quoque hiſtoria conſpicuum. Ille enim eſt, quem Joannem interfeciſſe, quem Chriſtum quoque ludibriis male excepiſſe ſacra monumenta perhibent; ille qui dignam facinoribus ſuis referens mercedem, in exilium tandem, teſte Joſepho, abire fuit coactus.

TAB. VII. Fig. 6. p. 5.

Anno XLIII. imperii hujus Tyranni cuſum, quem præ manibus habemus, nummum literæ L. ΜΓ. indicant, quem in Caligulæ p. 6.

 impe-

imperium incidere inſcriptio, quam in averſa nummi parte legimus, neceſſario evincit. Hæc omnia autem cum adeo manifeſta ſint, multum facere hic nummus ad ſtabiliendam Æræ Chriſtianæ certitudinem poterit. Ex computatione enim annorum Regni Herodis Antipæ, facile annus mortis Herodis M. poterit inveniri; illam autem parvo poſt nativitatem Salvatoris ſpatio ponere nos jubent ſacri Hiſtorici. Age quomodo Autor noſter effici poſſe iſta exiſtimet, paulo explicatius exponemus.

p. 7. Herodis M. mors ex Joſephi ſententia in annum Urb. Cond. 750. vel 751. h. e. annum Julianum 42. vel 43. incidit: quod ſi verum eſt, ante illum omnino, ut ſalutaris nativitas Salvatoris contigerit, neceſſe eſt; ſi tamen, quod ſupponit, menſe Decembri illa accidit: nam ſi ad menſem Majum vel Aprilem vel Septembrem eam cum quibusdam referamus, nulla ratione evinci poteſt, ante annum Jul. 52. natum Salvatorem eſſe, cum hac ratione eodem anno mori potuerit Herodes quo ille natus fuit.

p. 8. Cum vero multi apud Clementem Alexandrinum Strom. I. dubiam reddant hanc Autoris noſtri ſuppoſitionem, confirmare eam variorum ex veteribus nititur autoritatibus, Ambroſii præcipue & Mediolanenſis Eccleſiæ, ut patet ex ejus Sermone II. & XLVI. de Natali Domini, nec non Chryſoſtomi, qui Serm. XXXI. in Nat. Domini non tantum totius Occidentalis Eccleſiæ illam eſſe ſententiam affirmat, ſed eam quoque iis, qui in Oriente forte de illa dubitabant, perſuadere conatur. Ut adeo, uti non dubitandum eſt, in menſem Decembrem Chriſti nativitatem incidiſſe, ita negari quoque non poſſit, natum illum eſſe menſe Decembri annum U. C. 750. præcedente, ſi recte in illum annum a Joſepho Herodis mors fuit collocata.

p. 12. Sed recte collocatam eſſe negat Baronius, corrigendum ex Euſebio Joſephum eſſe exiſtimans. Nec impedire potuerunt Scaliger atque Petavius, quo minus cum illo plerique hodie ſentirent.
p. 13. Imo veteres etiam tantum non omnes, inſuper habito Joſepho, annum Chriſti primum incidere in A. U. C. 751. cum Epocha Alexandrina, vel 754. cum Epocha Antiochena & Dionyſio Exiguo ſtatuunt. Euſebium itaque illi omnes ſequuntur, qui tamen Joſephum ſe ſequi claris verbis, reipſa licet diſſentiens, profitetur. Cum vero

ea

ea Chronologorum ſuperiorum fuerit ſupinitas, ut, rectene an ſecus pro ſe Joſephum allegaverit Euſebius, inexaminatum prætermiſerint, adeoque uter ſequendus ſit neutiquam potuerint deprehendere, cum eorum ipſos latuerit diſcrepantia: ſeculo ſuperiori vero demum præcipite perſpicacium virorum id animadverterit induſtria, Euſebio quidem omnium fere veterum ab ipſo deceptorum conſenſus, plerorumque peperit ſuffragia. Auſus tamen primus fuit, Keplero teſte, Heydelbergenſis quidam Profeſſor ſequi Joſephum, quem imitatus poſtea fuit Jeſuitici ordinis homo Dekerus, cujus tamen librum hac de re exaratum imprimi Generalis ordinis hujus vetuit, quod totam Baronii Chronologiam iſta ſubverteret opinio, novumque Proteſtantibus telum contra eum ſuggereret. Sed tutior omnino Joſephi fides, ab iſtis temporibus non adeo remoti, Autori noſtro cum Scaligero & Petavio videtur.

A Joſepho autem in dictum annum mortem Herodis conjici, hoc modo colligitur. Dicit ille Ant. L. XVII. c. 10. Herodem mortuum eſſe XXXVIImo poſtquam Rex a Senatu Romano declaratus eſſet anno, anno vero XXXIVto poſt mortem Antigoni & Hieroſolymam ab Soſio expugnatam. Lib. vero XIV. c. 26. per Marcum Antonium & Auguſtum regnum illi collatum eſſe ait, Domitio Calvino ſecundum & Aſinio Pollione Coſſ. penes quos faſces fuerunt A. U. C. 714. Jam ulterius Doctiſſ. Noriſius in Cenotaph. Piſanis circa menſem Septembrem vel Octobrem hujus anni 714. id factum eſſe, probatum dedit; ei igitur ſi addantur 37 anni, quibus in regno fuiſſe Herodes dicitur, mors ejus incidet in A. 750. vel 751. U. C. Annus enim a ſeptingenteſimo decimo quarto trigeſimus ſeptimus, inchoatur menſe Octobri anni 750, finitur vero circa menſem Octobrem anni 751. p. 17. p. 18.

Conſentit in iſtis omnibus cum Joſepho Dio, niſi quod Hieroſolymorum expugnationem & conjunctam cum ea Antigoni cladem, Claudio Pulchro & Norbano Flacco Coſſ. h. e. A. U. C. 716. contigiſſe dicat, cum Joſephus contra ad Vipſanii Agrippæ & Caninii Galli conſulatum, h. e. A. U. C. 717. hæc rejiciat. Adeoque uno anno antiquiorem ſecundam Herodis Epocham Dio facere videtur. Sed tamen non obſtat illa differentia, quo minus 37. anni a collato primum in Herodem regno usque ad mortem ejus computentur, p. 19.

tentur, cum iſtud uterque A. 714. factum teſtetur. Neque etiam 34 annos ſecundæ Epochæ usque ad mortem Herodis conficere difficile erit, licet vel maxime cum Dione ad A. U. C. 717. ejus initium referatur, modo Noriſii paulo ante adductam obſervationem in auxilium vocare placeat.

p. 21. Utcunque vero amice ſatis conſpiret cum Dione Joſephus, rejecta tamen hactenus eorum fuit autoritas. Hanc igitur nummo, de quo nunc agimus, ex Autoris noſtri ſententia en ſtabilitam. Cuſus ille nummus eſt in Galilæa circa Octobrem vel Novemb. A. U. C. 792. qui erat XLII. Regni Herodis Antipæ, & tertius Imperii Caligulæ. Cuſus autem fuit pro anno regni ejus XLIII, pro more ſcilicet recepto, quo fieri ſolet, ut ſub anni finem pro ſequenti anno nummi cudantur, unde etiam refert L.MΓ. Jam ſi annus U.C. 792. eſt annus Herodis Antipæ XLII, primus ejus annus adeoque mortis Herodis erit annus U.C.750.

p. 24. An vero Caligulæ anno 3. cuſum eſſe hunc nummum, ſit ſatis exploratum, alii viderint. Eſt ille annus, quo uxoris Herodiados ſtimulatus ambitione, ad Caligulam Bajas circa Novembrem venit, ditionibus ſuis acceſſionem petiturus, licet infelici ſucceſſu; relegatus enim, Agrippæ inſtinctu, & reliquis quoque ditionibus exutus eſt, ſi Joſepho habenda eſt fides. Sane ſi probabilior Harduini, ad annum primum Caligulæ eum referentis, alicui videatur conjectura, de qua alio loco dicendum, actum erit de toto Autoris noſtri Syſtemate.

p. 30. Si tamen iſta Lectori ſatisfaciant, omnino circa Novembrem A.U.C. 750. mortuum eſſe Herodem M. evincent, quod Syſtema ſuum non parum confirmari Autor exiſtimat eo, quod Judæi d. 7. menſis Casleu, i. e. ſtylo noſtro d. 25. Novembris, feſtum celebrent, quo gratias Deo agunt pro morte Herodis, quam hac die contigiſſe arbitrantur: nec non eo, quod Eclipſi Lunari inſignem annum mortis Herodis Joſephus faciat, qualem d. 3. Martii anni U. C. 750. contigiſſe, Mathematici invenerunt. Sed Archelaum quoque Herodis M. filium novem annis regnaſſe, decimo vero Lugdunum relegatum fuiſſe, idem memorat. Refert autem Dio iſtam Archelai degradationem ad A. U. C. 759, a quo ſi novem anni retro numerentur, initium ejus imperii, adeoque mors Herodis, iterum ad A. U. C. 750. devolvetur.

DISSERTATION DE MR. GRAVEROL, ADVOCAT de Niſmes, à Mr. Rigord, ſur l' Explication d' une Medaille Greque, qui porte le nom du Dieu Pan.

h. e.

GRAVEROLLI DISSERTATIO AD RIGORDUM, de nummo Græco, Dei Panis nomen præferente.

Pariſiis ex officina A. Lambini 1689. in 4. Plag. 4.

SUbjungitur hæc Graverolli de nummo Dei Panis nomen ferente, quem itidem hic repræſentamus, Diſſertatio, una cum Rigordi reſponſione, præcedenti de nummo Herodis commentationi. Non caret autem nummus ille Panis difficultate, ſi averſam partem ejus præcipue ſpectes, quam lampadem aræ ſuperimpoſitam alii, alii focum igne coruſcantem repræſentare exiſtimarunt. Cauſa, quæ iſtam ipſis injecit ſuſpicionem, nulla alia fuit, quam quod ΘΕΟΥ ΠΑΝΟΣ verba capiti hujus nummi ſuperſcripta, hujus quoque Dei imaginem in eo expreſſam eſſe, ipſis perſuaderent. Sane enim colebatur iſtud paſtorum Numen lampade, ut Libanius T. I. Declam. 14. vel foco, cujus ignem extinguere nefas erat, ut Pauſanias in Eliacis & Arcadicis (quo poſtremo loco expreſſe *πῦρ οὔποτε ἀποσβεννύμενον* memorat) prodidit. Unde etiam explicanda videtur Graverollo inſcriptio a Reineſio non intellecta: LUCIDO PANI. Quæ ſimul in mentem ipſi revocat Latinam vocem *lucibrum* a multis male acceptam; cum tamen nil aliud ſignificet quam lampadem, quam totas noctes ardere vel ægrorum, vel ſtudiorum, ut Epicteticam, cauſa, fas erat. TAB. VII. Fig. 7. p. 2.

Sed utcunque illa ſe habeant, repugnat iſti de averſa nummi noſtri parte ſententiæ ipſa figura, idque eo magis, quod ne caput quidem Pana ſignificare queat. Ille enim nuſpiam ſine prolixa barba repræſentatur, niſi forte in Philoſtrati Imaginibus, ubi Nympharum cultellis tonſus exhibetur. Alias enim, Herodoto teſte, ſemper *αἰγοπρόσωπος* eſt, & ab Ægyptiis, ſecundum Lucianum, plane ſub hujus animalis figura (*ὅλος τράγος*, ut ipſe ait) adoratur. Unde etiam Nonnus in Dionyſiacis *στῆθος ὅλον σκιόεντα πώγωνα* ipſi adſcribit. Imo in Homerico Dei Panis hymno, ſimul ac a matre Dryope in lucem eſſet editus, obſtetricem ſuam, caprina, p. 3.

quam jam tum habebat, barba territam, in fugam vertiſſe dicitur.

p. 4. Iſidem itaque potius, quam Pana nummi noſtri capite ſignificari putat, cui cornua pariter ac Pani eo tribuebant Ægyptii, quod ea Lunam deſignarent, quemadmodum Oſiride Solem, ut apud Diodorum Siculum, Theodoretum & alios legere eſt. Imo ipſos Romanos, Iſidis nomine Lunam coluiſſe, innumeræ inſcriptiones, in ditionibus eorundem inventæ, teſtantur. Sed & ipſi cornua fronti ejus appingebant, qualia in nummo etiam noſtro conſpiciuntur, nam inquit Ovidius: - - - - inſunt lunaria fronti
Cornua.

Imo inde Herodotus in Euterpe τῆς Ισιος ἄγαλμα βȣ́κερων eſſe ait, a quo id Libanius Tom. 2. orat. 2. & Athenagoras mutuo accepiſſe videntur.

p. 5. Iſidem itaque in nummo noſtro deſignari Graverollus non dubitat, præſertim cum duo alia accedant, quæ ejus ſententiam multum confirmant. Mammæ ſcilicet in ſinu ejus protuberantes, & in nummo ſatis conſpicuæ, & Dei Panis nomen ei ſuperſcriptum. Nam ſive naturam ejusque fœcunditatem in Iſide, exprimat Panis ſuperſcripto nomine nummus, ſive Lunam cornibus ei appictis, utroque hoc nomine mammæ ei optime conveniunt. *Iſis enim cuncta religione celebrabatur*, inquit Macrobius, *quæ ſit vel terra, vel natura rerum ſubjacens Soli; hinc eſt quod continuatis uberibus corpus Deæ omne denſetur, quia vel terræ, vel naturæ rerum alimento nutritur univerſitas.* Saturnal. I, 10. Et inde etiam hæc Dea, quatenus Lunam notat, a Platone πανδεχὴς & τιθήνη dicitur, cum Lunæ in rerum generatione non poſtremæ ſint partes; quam ob cauſam Ægyptii quoque, eam parentem terræ eſſe ſignificantes, Μȣ́θ
p. 6. vocabant, quod matrem notat, teſte Plutarcho de Iſide & Oſir. Nomen vero Panis optime huic Deæ convenire, vel ſolus Apulejus Metamorph. XI. perſuadeat, ubi hanc Deam ita loquentem inducit: *Adſum rerum natura parens, omnium elementorum domina.* Huc facit inſcriptio a Grutero & Smetio publicata, huic Deæ ſacra: TE. TIBI. UNA. QUÆ. ES. OMNIA. DEA. ISIS. ARRIUS.
p. 7. BALBINUS V. C. Imo in templo ejus, Plutarcho l. c. teſte, lege-
p. 8. batur inſcriptum: ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς ϗ ὄν ϗ ἐσσόμενον. Sed

accedat tandem etiam Stephani Byzantini teſtimonium, qui ex-
preſſe ait, dicere quoſdam Σελήνης εἴδωλον εἶναι τὸν Πᾶνα. Vide i-
pſum in Πάνος, πόλις.

Ad averſam nummi partem nunc pergendum, quam ſi p. 9.
focum vel lampadem repræſentare credemus, facile erit apud Theodo-
rum Prodromum in Doſiclis & Rodanthes amoribus, ſacrum ignem,
& apud Apulejum Metam. L. XI. lucernam præmicantem, in
Iſidis myſteriis invenire. Sed uti diximus, reclamat ipſa in num-
mo noſtro expreſſa figura, quæ Lunam cornutam, ſive aræ, ſive tri- p. 10.
podi ſuperimpoſitam, referre videtur. Hæc itaque, niſi forte *navi-
gium Iſidis* repræſentat, menſe Martio quotannis Deæ Iſidi dedica-
tum, cujus in Calendariis Romanis mentio, de *Cymbio*, famoſo a-
pud Ægyptios poculo, piſcatoriæ naviculæ forma fabricato, erit ac-
cipienda. Erat autem Cymbium nota quaſi characteriſtica, qua
ab aliis Numinibus Iſis diſtinguebatur, quodve ipſi gentis Ægyptiæ
cæremoniæ tribuebant, *ad fluorem aquarum ſignificandum, quas hu-
mifica Lunæ vis identidem refundit.* Suppoſito tamen quod iſto ad *na-
vigium Iſidis* non reſpiciatur, aut ad ſignificandam fluentiam la- p. 11.
cunarum & inundationem Nili, ut Beroaldus & alii, qui de Reli-
gione Ægyptiorum ſcripſerunt, obſervant. Id autem quod ab u-
troque latere Cymbii hujus conſpicitur, quid ſibi velit, non ita
innotuit Graverollo, ut ſibi ipſi ſatisfacere poſſit. Niſi forte id, quod
in parte ſuperiori conſpicitur, anſa ſit, quales Cymbia habuiſſe
Apulejus autor eſt; id autem quod inferius comparet, ornamenti
quoddam genus aſpidis figura, utpote animalis Iſidi ſacri. Nam &
Apulejus in ſua Cymbii deſcriptione ait: *anſulæ inſurgebat aſpis*,
& in urnulæ quoque, ad iſta ſolennia ſpectantis, anſa, eodem teſte
aſpis conſpiciebatur. Ut de myſtico illo ſigillo, quod ſtatuarii ſem-
per in manu Iſidis effinxerunt, cum anſa aſpidis forma, nunc tacea- p. 12.
mus. Quin coronata quoque aſpide dicitur Iſis,

Aſpide cincta comas & ovanti perſona ſiſtro;

& in myſteriis quoque ejus ſerpenti ſuas aſſignat partes Ovidius.
Forte tamen omnes iſtæ conjecturæ, ipſo ſuſpicante Graverollo, vanæ
ſunt, nihilque aliud quam parva quædam ligamenta iſtis figuris
deſignantur. Sane non ſunt diſſimiles illis, quæ adhærent ſtatuæ
Iſidis tricipitis, a Liceto in Tractatu de Lucernis editæ.

Rotundam illam figuram, quæ in Cymbio conſpicitur, ignem
p. 13. repræſentare, facile crederet Autor ob illa Apuleji verba: *Cymbium aureum, in medio ſui patore flammulam ſuſcitans largiorem*; quod etiam ſummum Sacerdotem in feſto ejus prætuliſſe ait; ſi figura non obſtaret rotunda, cum igni pyramidalis adſcribatur oporteat. Vas itaque illam notare putat mammiforme, a quarto Sacerdote in feſto Iſidis portatum: *Vaſculum*, ut Apuleji verbis utamur, *in modum papillæ rotundatum, de quo lacte libabat.* Niſi forte ſit *ciſta ſecretorum capax, penitus celans operta magnificæ religionis*, quæ in hoc feſto pariter teſte Apulejo præferebatur; aut aliqua ſphæricarum illarum figurarum, quarum Syneſius in calvitiei elogio meminit, quas honori vel Solis vel Lunæ conſecratas, divino cultu Ægyptii proſequebantur, teſte Euſebio in Præparationibus Evangelicis.

p. 14. Græcæ duæ denique literæ annum nummi conflati notant, Λυκάβαντον ſc. C. i. e. annum ducenteſimum; qui ad quam epocham referendus ſit, divinare non licet, niſi natio a qua nummus ille proceſſit, prius innoteſcat. Suſpicatur tamen Graverollus Athenis prodiiſſe hunc nummum, niſi Ægyptum ipſam patriam forte habeat: Athenienſibus enim, forma moribusque Ægyptiis ſimilibus, ſolis ex Græcis per Deam Iſidem jurare licuit, ut e Diodoro Siculo Alexander ab Alexandro Genial. Dier. L. V. c. 10. aliive notarunt. Et hæ quidem de hoc nummo Graverolli ſunt conjecturæ. Sed en tibi B. L. ſtatim

RESPONSORIAM RIGORDI, ad PRÆCEDENTEM Graverolli Diſſertationem, Epiſtolam.

p. 16. Approbat ille Graverolli de Deo Pane & Iſide in hoc nummo conjecturas, ejusque circa hanc rem obſervationibus addit Pauſaniæ locum, ubi de Lunæ in Panem amoribus, h. e. de beneficiis quæ in univerſum Luna transfundit, loquitur.
p. 18. Sed unde, inquit, Rigordus illa Ægyptiorum varietas, qui cum Lunam eſſe putent Iſidem, proptereaque cornua ipſi appingant, eam tamen principalem canis cœleſtis, quem σῶθις vocant, ſtellam faciunt? Nimio ſcilicet gratitudinis ſtudio eam tribuendam eſſe putat: cum enim omnia Iſidi ſe debere Ægyptii crederent, Nili quoque inundationem ab ipſa derivabant: ejus vero excreſcentiam caniculæ tribuebant, quod illa quotannis ſub hoc ſigno contingeret.
p. 19. Ut itaque ſuæ in Iſidem devotioni

votioni ſatisfacerent, eam hoc ſidus eſſe fingebant. Quod ipſum probabilem reddit eorum conjecturam, qui rotundam figuram, quæ inter cornua capiti ejus adhærentia paſſim conſpicitur, hoc ſidus ſignificare exiſtimant. Sane apud Diodorum Siculum L. 1. ipſa Iſis ſe ſidus eſſe canis cœleſtis profitetur.

Veneris quoque nomine cultam Iſidem, ex Iſidoro probat, & quemadmodum Venerem maſculam ex Athenæo & Macrobio novimus, ita ISIDI FRUGIFERO etiam inſcriptio Reineſiana dedicata legitur. Idem Iſidorus Cererem quoque eſſe Iſidem ait, quod p. 20.
cum Diodoro Siculo l. c. optime conſentit, ubi dicit Iſis, ſe inveniſſe artem qua terræ ſemina mandantur; unde etiam Iſidem mammoſam, Cereri in nummo Regio & aliis plane ſimilem, apud Macrob. l. 20. invenimus. Et hinc eſt, quod Cereris ac Iſidis ſacra eadem fere p. 21.
deprehendantur; in utrisque enim uſus crotali & ſiſtri, fœminarum in utrisque ſolennis exigebatur puritas. Imo omnia denique numina complecti Iſidem, Apulejus L. XI. paſſim indicat. Et hoc i- p. 22.
pſum Rigordo occaſionem dedit ſuſpicandi cum aliis viris doctis, puriorem apud Ægyptios fuiſſe numinis notitiam quam apud alias gentes, quæ obſcuris licet ſymbolorum figuris tecta, latere tamen viros perſpicaces non poſſit.

Sed quam in explicando capite hujus nummi cum Graverollo conſentit Rigordus, tantum in averſa parte illuſtranda ab eo re- p. 24.
cedit. Ut Cymbium enim in ea exprimi credat, ideo induci non p. 25
poteſt, quod nec anſam, nec aſpidem, nec canalem, nec papillæ formam in ea diſcernere poſſit, quæ tamen in deſcriptione Cymbii ab Apulejo memorantur. Nec *Iſidis navigium* eſſe poſſe putat: illud enim, eodem teſte, *navis faberrime factæ* figuram exacte referebat. p. 26.
Ipſam itaque Iſidem ſub forma Lunæ hic ſiſti credit; iſtos vero a latere ramos, qui ligamenta videbantur Graverollo, canales eſſe exiſtimat, ſalubres Lunæ influxus denotantes.

Hanc opinionem ſuam eo confirmatam eſſe ait, quod Nilum & omnes fluvios Oſiridis emanationes eſſe Ægyptii crediderint: quodque in ſepulturæ Oſiridis feſto, Sacerdotes ciſtam in Lunæ cornutæ formam curvatam ad Nili littora deportaverint, ut ſcilicet humiditatem, per Oſiridem deſignatam, in Lunæ corpore conſervari ſignificarent. In eodem feſto ex limo Nili, admixtis aliis liqui-

diſs pretioſis, effinxiſſe Ægyptios corpus aliquod ait, Lunæ cornutæ figura, quod numinis inſtar variis ligamentis integumentiſque,
p. 27. pretio & elegantia raris, varie exornabant. Et hanc ipſam figuram in nummo ſuo exhiberi Rigordus exiſtimat: Oſirin enim humiditatem corpori Lunæ incluſam, undis hic non obſcure comparentibus, deſignari putat; canales autem ab utroque latere, ad humorum, quibus hoc ſidus repletur, profluentiam, & ligamentum denique
p. 28. a parte ſuperiori conſpicuum, ad ornamenta, de quibus diximus, ſpectare ſibi perſuadet.

p. 31. Rotundam illam figuram, quæ inter cornua lunati hujus corporis conſpicitur, hieroglyphicam eſſe credit, cœlum, terram, mare & aerem deſignantem, quæ Feſtus cum Iſidoro quatuor partes mundum conſtituentes eſſe ait, quas Dea Iſis, lunata illa figura deſignata, formavit, conſervatque formatas. Sane quatuor puncta tale quid innuere, creditu non adeo eſt difficile. Fuit tamen nonnemo ex Rigordi amicis, qui loti fructum, folio ſuo involutum, rotunda illa figura ſignificari putavit. Deſcribit itaque lotum Au-
p. 33. tor ex Theophraſto, Plinio & aliis. Sed quod ad rem maxime facit, Pythagoricos credidiſſe monet, lotum foliis, floribus, & fructibus ſuis, quæ omnia rotundam ſervant figuram, actionem circularem ſpiritus mundi univerſalis exprimere. Et ſane nihil felicius putat dici potuiſſe Rigordus; conſociatur enim hac ratione in nummo ſpiritus univerſalis cum Iſide, quæ rerum ſignificat univerſitatem: ut adeo complementum totius theologiæ Ægyptiæ, in qua omnia numina repræſentat Iſis, in eo ſiſtatur. Tripos vero, cui omnes illæ figuræ ſunt ſuperimpoſitæ, nec tripos eſt nec ara, ſed occam, inſtrumentum Iſidi, ruris colendi autori, maxime conveniens, ſi noſter audiendus eſt Autor, repræſentat.

p. 34. Quod Literas denique L. C. attinet, nil ſe videre fatetur Rigordus, Epocham tamen deſignari non credit; nunquam enim Epochas per Λυκάβαντον, ſed per ἔτους exprimi. Quod ſi in nummo, ut eſt obſcurus, pro L. C. legendum eſſet L. E, ad Sabinam ſe relaturum eum eſſe dicit, Iſidis perſona in nummo indutam, literasque de anno quinto regni ejus explicaturum. Sane hoc anno Imperatorem colonias in Ægyptum miſiſſe conſtat, ad reſarciendam hominum jacturam, quam Judæorum furoribus paſſa illa fuerat,

fuerat; ut adeo in gratitudinis ſymbolum nummum hunc forte conflaverit Ægyptus, Sabinamque Deam, Ægypti benefactricem, declaraverit.

JOANNIS HARDUINI SOC. JES. PRESB. CHROnologiæ, ex Nummis antiquis reſtitutæ, Proluſio de *NUMMIS HERODIADUM.*

Pariſ. apud Joannem Aniſſon, Typogr. Reg. A. 1693. cum privil. Regis in 4to. conſtat plag. 14.

MUlta ſunt, quibus jamdudum de Republica literaria bene meruit Vir dubio procul longe doctiſſimus, & in quo nihil fortaſſis, niſi quod nimium nonnunquam confidat ingenio, reprehendi dignum invenias. Sed eſt illa fere perpetua magnorum Ingeniorum labes, ut dum cum vulgo ſentire generoſe recuſant, gloriofius circumferri excellentiæ ſuæ radios non poſſe exiſtiment, quam ſi opinionibus vel plane novis, vel ſaltem rejiculis colluſtrandis eos impendant. Et ſane haud raro non parum ſplendoris ab eorum lumine eas accipere videmus, quo ſi aliud nihil efficitur, in ingenii ſaltem & doctrinæ admirationem lectores ſuos abripiunt.

Ne novo hoc ipſum exemplo nobis perſuadeat in eo, cujus titulum poſuimus, opere doctiſſimus Harduinus, non immerito veremur. Eſt illud majoris operis, quo univerſam Chronologiam (ſicut olim Geographiam) ex nummis illuſtrabit, ἀποσπασμάτιον. Exhibet autem familiæ atque ætatis Herodiadum delineationem, tam, ut Cl. Autoris loquamur verbis, ſacris codicibus, nummis antiquis, lapidibusque conſentaneam, quam a Joſepho aliisque annalibus diſpar eſt & diſſentiens. Herodiadum itaque geſta per annorum ſeriem diſpoſita nummisque illuſtrata, in tabula quaſi primum exhibet, quæ annos circiter 134, ab anno nimirum U. C. 718. usque ad annum U. C. 851, qui eſt æræ Chriſtianæ 98, complectitur. Tabulam autem iſtam doctiſſimis notis deinde confirmat atque illuſtrat.

Nos, ut ſufficientem Syſtematis Harduiniani ideam lectorum noſtro-

noſtrorum oculis ſubjiciamus, melius nos gerere vix poſſe videmur, quam ſi generis Herodiani deſcriptionem geminam, alteram Har-
p. 90. 91. duini, Joſephi alteram, ab ipſo Autore ſub finem fere libri concinnatam, repræſentemus, eaque poſtea ex Harduini notis hinc inde diſperſis illuſtrata, alias quoque nonnullas obſervationes ejus attingamus; cumque Joſepho nunquam non ſit admodum iniquus, partes ejus in aliquibus, quæ ultro ſeſe nobis obtulerunt, (omnia enim expendere, nec inſtituti nec temporis noſtri ratio nunc permiſit) tuendas ſuſcipiamus: non ut cenſuram nobis arrogemus, qua abſtinere conſuevimus, ſed ut doctioribus, & ipſi Harduino, occaſionem præbeamus, rem omnem ſub accuratius examen revocandi. En tibi igitur B. L. geminam ante omnia, quam tibi promiſimus Herodiadum Genealogiam.

HARDUINUS.

HERODES, Ethnarcha primum Judææ ac Samariæ, deinde Rex.

- Archelaus, Rex Judææ & Samariæ. Matth. 2, 22.
- Philippus, Tetrarcha Ituræ & Trachonitidos. Uxor Herodias.
- Herodes, Tetrarcha primum Galilææ, deinde Magnus Rex, adjecta Ituræa & Trachonitide.
  - Agrippa, Magnus Rex Galilææ & Ituræ cum Trachonitide, cujus ætate capta ſunt Hieroſolyma.
  - Uxor, Berenice, Act. XXV.
    - Julius Agrippa, Rex, vice Cæſaris præfectus rei militari in Judæa & Palæſtina, usque ad ſuprema fere Domitiani tempora.
      - Julia Berenice, Regina Magna.

JOSEPHUS.

HERODES Magnus, Rex Judææ, Idumææ & Galilææ.

- Herodes ignotus.
  - Salome, uxor Philippi.
- Archelaus, Ethnarcha, non Rex.
- Herodes, Tetrarcha Galilææ.
- Ariſtobulus.
  - Herodias, primum uxor ignoti Herodis, Herodis M. filii, poſt & Herodis Tetrarchæ.
  - Agrippa, Rex Judææ & Galilææ, qui anno Claudii tertio obiit.
    - Berenice.
    - Agrippa, ſub quo capta ſunt Hieroſolyma, quem usque ad tertium Trajani annum vixiſſe, Juſtus Tiberienſis prodidit; longe prius obiiſſe, alii ex Joſepho utcunque colligunt.
  - Herodes, Chalcidis Rex.
- Philippus, Tetrarcha Trachonitidis.

Reliquam Herodis progeniem, quam Joſephus recenſet L. XVIII. Ant. c. VII. conſulto prætermittit Harduinus, quoniã neq; ad eam refellendã nummi antiqui juvant, neq; ipſa viciſſim ad nummos illuſtrandos.

Prima

Primo loco de Herode, totius familiæ autore, omnino erit loquendum. Judæum illum facit Joſephus L. XX. Antiquit. c. VI, cum tamen Idumæum ſtatuat idem Ant. XIV. 2. quæ duo loca inter ſe conferens Harduinus, parum, pro more, ſibi conſtare Joſephum exiſtimat. Sed liceat nobis, cum venia Viri doctiſſimi, optime ſibi conſtare Joſephum credere; locus enim Ant. L. XX. c. VI. paululum latius accipiendus eſt: cum enim jam a Joannis Hyrcani temporibus una fuerit Judæis atq; Idumæis religio, hi tam Judæi dicebantur, quam Judæi veri & ἰθαγενεῖς, uti jam olim a magno Scaligero obſervatum fuit. Nec juvat Harduinum, quod τὸ γένος Ἰουδαῖον Herodem Joſephus eo, de quo agimus, loco dicat; nec enim nationem quidem ſemper, ſed ſectam etiam id vocabulum notare deprehendimus, cum τὸ Φιλοσοφούντων γένος, Epiſt. 3. Plato & alii Græcorum dixerint. Sed quicquid de apparente illa Joſephi contradictione ſentiamus, nec Judæum, nec Idumæum, ſed Palæſtinum i. e. Aſcalonitam Herodem hunc noſtrum fuiſſe, Cyrillus Alex. ait L. VII. γλαφυρῶν in Geneſ. p. 223, negatque ἐξ αἵματος Ισραὴλ fuiſſe, cum tamen L. X. de Adorat. in Spir. & Ver. p. 345. ex αἵματος Ισραὴλ fuiſſe, hic quoque affirmet. Priori tamen a nobis loco allatam Cyrilli ſententiam confirmare videntur Judæi apud Juſtinum in Dialogo cum Tryphone, ubi Aſcalonitam vocant Herodem, ſub quo Chriſtus eſt paſſus, noſtri Herodis filium. Nos ſane, ſi tamen aliquid doctiſſimi Viri effatis ex noſtris admiſcere licet, hanc Cyrilli & Juſtini ſententiam, e fabuloſa Julii Africani de Herodis noſtri avo relatione originem traxiſſe, non dubitamus. Illum enim, Herodem pariter appellatum, Aſcalonitam fuiſſe & ἱερόδουλον Ἀπόλλωνος, non ipſe tantum tradidit, ſed Euſebio quoq; (H. E. l. 6.) perſuaſit. Sed neque Idumæum, neque Judæum, neque Aſcalonitam Herodem fuiſſe, Noſtro placet, qui Athenis potius hoc genus prodiiſſe, duplici argumento inductus ſtatuit. Primum ex Cicerone deſumit, qui in Epiſtolis ad Atticum, ævo ſuo Herodum familiam Athenis imprimis nobilem fuiſſe, ait. Quod ſane ſi argumenti vim habet, neſcio cur non etiam Herodis Attici inſcriptionem, ab illuſtri Salmaſio explicatam, in auxilium vocaverit, quæ Herodum Athenis floruiſſe familiam ſatis probat, licet ad ipſum Herodem noſtrum Tetrarcham eam, cum quibusdam nimis credulis, non referamus. Sed quicquid ſit de hoc argumento, fortius eſt alterum, quod ex Sponiana inſcriptione deſumit, ad quam cum aliquoties infra etiam nobis ſit provocandum, eam hic exhibebimus. p. 94.

Η ΒΟΤΛΗ Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΤ ΠΑΓΟΤ
ΚΑΙ Η ΒΟΤΛΗ ΤΩΝ Χ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΙΟΤΛΙΑΝ ΒΕΡΕΝΕΙΚΗΝ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ ΜΕΓΑΛΗΝ
ΙΟΤΛΙΟΤ ΑΓΡΙΠΠΑ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΘΤΓΑΤΕΡΑ
ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ
ΕΤΕΡΓΕΤΩΝ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΕΚΓΟΝΟΝ
ΔΙΑ ΤΗΣ ΠΡΟΝΟΙΑΣ ΤΟΤ ΕΠΙΜΕΛΗΤΟΤ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ
ΤΙΒ. ΚΛΑΤΔΙΟΤ ΘΕΟΓΕΝΟΤΣ ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ.

p. 95 Argumentum Harduini, prout ex hac inſcriptione ab ipſo deducitur, fideliter repræſentabimus: de ejus vi autem, cum contra Joſephum, cujus autoritatem tot legitima muniverunt præjudicia, militare debeat, Lectorum eſto judicium. Quorſum, inquit, homo Aſcalonita, vel Idumæus, vel Judæus, aut ejusdem liberi ac nepotes, Atheniensium illo ævo ἐυεργέται forent, cum ad tutelam regni Judaici eorum opera plane eſſet inutilis? In promptu autem e diverſo cauſa eſt hujus ἐυεργεσίας, ſi Atticus Herodes fuit. Nam erga patriam eſſe aliquem beneficum ac liberalem, memorem originis ſuæ, non eſt præter morem.

Videtur hæc potiſſimum de patria Herodiadum conjectura, occáſionem Harduino dediſſe, comminiſcendi ea, quæ de religione eorum ſatis docte, ſi modo ſatis vere commentatus eſt. Non Judaiſmo enim, ſed Græcanicæ ſuperſtitioni eos addictos fuiſſe, maximeque Platoniſmo, nobis perſuadere conatur. Primo quod Herodes Tetrarcha, noſtri filius, in Actis Ap. dicatur non ſtudio propriæ religionis, ſed ut placeret Judæis, Chriſtianos eſſe perſecutus; quodque Joannes non licere ipſi habere fratris uxorem dicat, quod tamen licuiſſet, ſi Judæus fuiſſet: nec reſponderi poſſe putat Harduinus, ideo id improbaſſe Joannem, quoniam adhuc viveret prior ejus maritus; Γυναῖκα enim in hac lege Levit. XIIX. 16. dici eam, quæ non ſit amplius viro ſubjecta: item quod Cæſareæ vixerit, cujus urbis præcipua pars Gentiliſino fuerit addicta. Sed nullum horum argumentorum firmiter concludere, nemo non videt: præcipue cum vim iſtius argumenti, quod paſcha Herodes quotannis Hieroſolymis frequentaverit, unde eum ſaltem Proſelytum fuiſſe conſtat, non ſatis evaſiſſe videatur. Deinde Agrippæ nummum, ab Erizzo deſcriptum, adducit, qui cum fœminam repræſentet, in cujus fronte Lunæ creſcentis emicat effigies, eum a Rege ethnico profectum arbitratur, cum

Ve-

Veneris genitricis iſtud ſit ſymbolum. Forte tamen Lunam illa imagine repræſentari aliquis dicat, cujus cum in dirigendo cultu Judaico plurimus fuerit uſus, uti ea, tanquam ſymbolo, laxior in diſciplina Agrippa, potuit. Sed huic de Herodiadum religione ſententiæ, ex Harduini de Herodianis opinione, aliquid roboris etiam accedit, quam hac occaſione exponere, non erit ab hoc loco alienum.

Prima igitur Herodianorum in Sacris mentio eſt Matth. XXII. 16. ubi Phariſæi cum Herodianis, h. e. Judæi, qui ſe immunes a tributo eſſe optarent, cum Ethnicis Φιλοκλαυδίοις, qui Cæſari pendi tributum vellent, Chriſtum tentantes ſciſcitantur, an liceat cenſum dare Cæſari? ut, ſi affirmaret, Judæi illum pro Meſſia non agnoſcerent; ſi negaret, Græci Herodiani traderent illum poteſtati præſidis, tanquam rerum novarum contra Cæſarem auctorem. Ex Marci vero VIII. 15. cum Matth. XVI, 6. collatione, colligit Harduinus, eosdem cum Sadducæis eſſe Herodianos; quod poſtmodum comparatione dogmatum, quæ in Scripturis Sadducææ ſectæ tribuuntur, cum Græcanica ſuperſtitione, quam Herodianiſmum conſtituiſſe putat, illuſtrare nititur. In tria autem doctrina iſta abit capita: dicuntur enim Sadducæi neque Spiritum, neque Angelum, neque reſurrectionem agnoviſſe, in quibus prorſus cum Sadducæis Græcos Herodianos conveniſſe putat.

p. 97.

p. 98.

Per πνεῦμα, ut de ſingulis aliquid dicamus, Deum intelligit Harduinus, ex Joann. IV. 24. πνεῦμα ὁ Θεὸς: & ita quoque hoc vocabulum (quod ſine articulo Deum, cum articulo Spiritum S. notat) accipiendum eſſe Act. XXIII. 8. 9. obſervat, Grotio, qui ἐπίνοιαν ibi, ſeu quendam afflatum per πνεῦμα intelligit, non ſine amarulentia refutato. Spiritum itaque illum, ſive Deum negaverunt Sadducæi ſeu Herodiani: ſcilicet, qualem Paulus cum Phariſæis & nos credimus, ſubſtantiam nimirum omnis expertem corporis, omniumque affectionum quæ corpori propriæ ſunt. Aut enim corporeum Deum Sadducæos ſtatuiſſe, aut quod verius exiſtimat, naturam pro numine habuiſſe, adeoque Deum reipſa negaſſe Harduinus arbitratur.

p. 99. 100.

Eundem quoque de Angelis eorum errorem fuiſſe credit, Grotiumque refutat, qui id forte de Angelis Sadducæos ſenſiſſe ait. *quod Judæorum nonnullos, ſua quoque ſenſiſſe ætate, Juſtinus affirmat*. Dial. cum Tryphone p. 280. ἀτμήτους καὶ ἀχωρίστους θεοῦ ὄν. ἀμεῖς εἶναι ὡς ὁ θεὸς ὅταν βούληται, προσπηδᾷ· ποιεῖ, καὶ πάλιν ἀναστέλλει πρὸς ἑαυτόν. Nam

p. 101.

primo non Judæis, ſed Chriſtianorum quibusdam eam ſententiam a Juſtino tribui dicit. Deinde æque conficta forte Hæreſis illa apud Juſtinum fuit, ac perperam Origeni, ab Anonymo apud Photium Cod. CXVII, adſcriptam Huetius demonſtravit; quod aliquando certis rationibus ſe perſuaſurum, aliquis Harduino (forte ipſe ſibi ipſi) pollicitus eſt. Si igitur nullus inter Judæos, nullus ne inter Chriſtianos quidem hujusmodi, qualem Sadducæis tribuit Grotius, viguit error, quem alium, niſi qui ipſius Grotii eſt & Socinianorum, errare potuerunt, ut ſcilicet corporeos angelos eſſe ſtatuerent? Similiter de anima
p. 106. ſenſerunt, circa quam tamen eum illorum errorem Grotius fuiſſe ait, quod κρᾶσιν ſive temperationem humorum corporis eam eſſe dicerent, in quo conſentientem Joſephum & Wolzogenium habuit. Sed confinxerunt illi iſta nullo alio, judice Harduino, fine, quam ne eorum de anima corporea error, in Sadducæis prædemnatus deprehenderetur. Sane non poterant, inquit Harduinus, animas κράσεις ſaltem humorum, adeoque poſt mortem pereuntes ſtatuere Herodes & Herodiani, (quos eosdem cum Sadducæis eſſe ex dicto Chriſti eviciſſe ſe ait) An enim Herodes Atticus aliam quam Platonis Attici ſectam ſequeretur? aut quæ alia quam Platonis & ſimilium dogmata, cum ſe Græca peregrinitas in Aſiam infudit, ſecum invexiſſe exiſtimanda eſt? Atqui Platonis ſententia eſt animas, cum e corpore exceſſerunt, ὑφιςάναι. Sed audiat a nobis Harduinus viciſſim, Platonem etiam corporeas non crediſſe animas, nec angelos, nec Deum: quomodo igitur Sadducæis, Herodianis, & Herodi Attico, quem in Platonis ſchola ſubito nobis exhibet, iſtas opiniones, ſalva Viri doctiſsimi ſententia, poterimus tribuere?

p. 108. Maxime autem videtur obſtare Harduini, de Sadducæis & Herodianis in unum corpus compingendis ſententiæ, quod Herodes Matth. XIV. reſurrexiſſe Joannem credat, cum Sadducæi contra reſurrectionem plane negaverint. Iſta igitur Herodem non de ſuo ſenſu protuliſſe, ſed injecta ab aliorum Judæorum ſermonibus ſuſpicione, ut eſt timidus & ſuſpicioſus error, reſpondet, quod ex Luc. IX. 7. haud obſcure colligi poſſe dicit.

Sed de patria & religione Herodis & Herodiadum ſatis. Nunc quæ de dignitate, rebus geſtis, & morte majoris Herodis in notis Har-
p. 23. duini paſſim occurrunt notatu digna, in unum colligemus. Agebat nempe Herodes noſter ætatis annum XV, ſi vere prodidit Joſephus,

cum

cum Galilæa ipſi a parente traderetur. At cum ipſe Joſephus circa annum ætatis ſuæ LXX Herodem hunc obiiſſe narret, non quintum decimum, ſed ſeptimum ſupra vigeſimum ætatis annum egerit oportet, cum Galilææ principatum ſuſcepit. *Sed vanus Scriptor*, inquit Harduinus, *fortaſſis nihil aliud eo loci ſpectabat, quam ut ex Herode priore Herois magni ſpeciem informaret, atque imaginem principis, Cyro Xenophontis nihil inferiorem effingeret. Itaque in puero generoſam indolem, denique jam tum in eo excelſa omnia ſupra ætatem commentus eſt.* Vidit equidem Vir Clar. ſuppetias tuliſſe Joſepho Viros doctos in illo loco, quo quindecennem Herodem Galilææ præfectum fuiſſe dicit, pro IE h. e. XV, KE. i. e. XXV. reſcribendo. Aſt qui hoc faciunt, inquit, nec verum aſſequuntur, nec Joſephi mentem: ſiquidem & κζ ſcribi oportuiſſe, & auctorem ιέ revera ſcripſiſſe, Salianus erudite probat. Sed rogare liceat Virum doctiſſimum, quid Salianus ad hoc probandum attulerit, cui jam olim a Viris doctis non fuerit reſponſum? Sane nullo alio argumento nititur, quam quod παντάπασιν νέον Herodem eo in loco Joſephus dicit, quod XV annis quam XXV melius convenire putat: at, quam infirmum iſtud ſit argumentum oſtendere, Iliadem eſſet ſcribere poſt Homerum: ſane quampluribus exemplis illud plane fuit exploſum a Caſaubono, Exercitationis I. AntiBaronianæ N. 34, ut & in notis Polybianis. Quibus merito addas, (cum Judaicus Scriptor ſit Joſephus) νεότητα reſpondere Hebraicæ voci בחורים, quæ militarem ætatem notat, ut dudum Grotius ad 1. Timoth. III. 12. erudite obſervavit. Alterum vero quod attinet, XXVII nimirum, non XXV ſcribendum, ſi Joſephus, qui circa LXX annum mortuum eſſe Herodem dicit, ſibi conſtare debeat, id eviciſſe Salianum neutiquam credimus: cur enim circa LXX annum mortuus eſſe dici non poſſit, qui LXVIII abſolvit, nil quod prohibeat videmus.

Judæam regio titulo datam fuiſſe Herodi, Joſephus ait, primum a Senatu Romano, Cn. Dom. Calvino ſecundum & Aſinio Pollione Coſs. triennio vero poſt, Hieroſolymis a Soſio expugnatis & Antigono occiſo, denuo id confirmatum, ut adeo in annum U.C. 717, Joſephi calculo incidere illa Hieroſolymorum expugnatio, & regni occupatio videatur. Sed in annum DCCXVIII. eam incidere, ex Faſtis triumphalibus Harduinus probat; in illis enim anno U.C. 719. III. Nonas Septembr. Romæ de Judæa triumphaſſe Soſius dicitur;

p. 24. cum autem ultra annum differri triumphum, illo ævo mos non fuerit, anno U C. DCCXVIII expugnata Hieroſolyma oportet. Cauſam autem cur Judæa, quæ poſt Soſii debellationem in provinciam redigi poterat, regio titulo conceſſa Herodi noſtro, poſt ejus vero & Archelai mortem fiſco Auguſti adſerta fuerit, neglectis, ut ait, Joſephi tabulis, hanc reddit. Erat Julius Cæſar Dictator in magno ære alieno Herodis, ut
p. 25. ex Cicerone Lib. VI. Ep. I. ad Atticum patet. Itaque cum Octavianum Cæſarem affinitas & ſucceſſio, Antonium vetus neceſſitudo cum Cæſare, cogerent omne illius æs alienum ſuſcipere, ſic viſum eſt ambobus hoc nomen explicare, ſi pro ſorte nimirum creditori, vel ſi magis id placet, creditoris filio, Judææ cum Samaria principatum aſſignarent. Quod beneficium pretiumve poſtea Auguſtus eadem de cauſa Archelao, Herodis filio, prorogavit; at eo extincto, cum ſolutionem idoneam cenſeret eſſe factam, & careret liberis Archelaus, regnum Judææ quaſi poſtliminio recepit. Ponamus autem rem acu tetigiſſe Harduinum; quod tamen vix eſſe poteſt, cum a Senatu Regnum Herodi datum fuerit: an propterea cum hoc pugnabunt eæ, quas Joſephus adduxit, cauſæ, an non amice una conſiſtere poſſunt? Sed veremur, ne parum firmo fundamento hanc quoque ſuam ſententiam ſuperſtruat Vir doctiſſimus. Ciceronis verba, quibus totum hoc ædificium innititur, hæc ſunt: *jamne a Cæſare per Herodem talenta Attica L extorſiſtis?* Jam quis non videt, ad Atticum & neſcio quos alios illa talenta quinquaginta pertinuiſſe, quibus placuit per Herodem, non ſane Regem, ſed alium, cujus etiam L. II. Ep. 2. XIV. Ep. 16. & *18*. XV. *27*. XVI. 3. mentionem facit, ea a Cæſare extorquere? An enim illi præciſe pecuniæ debentur, cui monitoris & exactoris partes committuntur? Præterea quis unquam Herodis noſtri patrem, apud quem æs iſtud alienum contraxiſſe oportuit Cæſarem, ut ipſe vidit Harduinus, ſive nummus ſive ſcriptor Herodem nuncupavit? cui Antipatri nomen omnes tribuunt. Et his tamen argumentis fabulas eſſe, quæ Joſephus de cauſis regni in Herodem collati nar-
p. 26. rat, evinci ſibi perſuadet. Sed in ditionibus etiam aſſignandis Herodi noſtro, nimis liberalem Joſephum exiſtimat, qui nihil non, ex opinione ejus, commentus eſt, ut magnum ex Herode Regem effingeret. Galilæam enim ejus regno quoque accenſet, quod faciendum negat Harduinus hoc præcipue argumento: Extruxit in Judæa & Samaria ſaltem munitas duas urbes, Cæſaream ſcilicet & Sebaſten, Hero-

des,

des, fidei ſcilicet atque tutelæ illarum regionum obſides: cum vero in Galilæa & Trachonitide id non fecerit, regionibus Judæa & Samaria multum amplioribus, illas quoque ad regnum ejus non pertinuiſſe concludit. Sed veroſimile eſt, non tam ut pignora fidei eſſent, has urbes extruxiſſe Herodem, quam ut magnificentiam ſuam oſtenderet; quod planiſſime Joſephus innuit. Et quid in Galilæa pignoribus fidei Romanis ſervandæ opus, cum in Judæa & Samaria, potioribus provinciis, jam aliqua haberent? Ut adeo non videatur firmiter ſatis hoc argumentum concludere. Ut taceamus, Sebaſten etiam ab Herode extructam non eſſe, ſed ab Auguſto, ſi recte Harduinus alibi, pagina nempe operis hujus 80 exiſtimat. Reliquis autem argumentis ſuis ipſe non ſatis fidit. Quam enim infirmum id, quod ex eo, quod Archelaus ἀντὶ πατρὸς ἀυτȣ̃ a S. Luca III. 1. regnaſſe dicitur in Judæa, excluſa Galilæa, colligit patrem ejus, qui eſt noſter Herodes, nullum aliud regnum quam Judææ, & quod ſub hoc nomine etiam comprehenditur, Samariæ obtinuiſſe? Sane enim non cogit phraſis ἀντὶ πατρὸς, ut ſtatuamus omnia habuiſſe Archelaum nec pauciora, quam quæ pater ejus Herodes noſter habuit: nonne enim, ſi vis aliqua eſſet huic argumento, pari ratione concluderemus, Rehabeamum in utroque regno Salomoni ſucceſſiſſe? dicitur enim aliquoties ſine addito ἀντὶ πατρὸς ἀυτȣ̃ βασιλεῦσαι. Quod vero Herodes noſter in Sacris, nunquam alio niſi Regis Judææ nomine appellatur, id plane non juvat Harduinum. Primo enim Galilæa, pariter ac de Samaria concedit ipſe, Judææ nomine comprehendi poteſt, ſiquidem Γαλιλαῖȣς ἔθνος Ἰȣδαίας ait doctiſſimus Grammaticus Stephanus. Sed hunc forte etiam rejiciet Harduinus. An novum igitur eſt, ut a potiori fiat denominatio? Sane nemo poſt aliquot ſecula negabit Scotiæ & Hiberniæ Regem fuiſſe Gulielmum, quod in monumentis Hiſtoricis quibusdam, in quibus incidenter mentio ejus fit, Angliæ Regem eum ſolum vocari deprehendat. p. 95.

Sed de Herode illo priore plus ſatis: nunc de filiis ejus dicendum, qui poſt obitum ejus ſuperſtites fuerunt. Quatuor, ut ex ſupra poſito ſchemate videmus, Joſephus, tres vero Autor noſter commemorat, cujus rei cauſa patebit paulo poſt, ubi de Herode dicemus; nunc enim de Archelao dicere ordo jubet. Ille parenti anno U. C. 756. i. e. anno C. 3. (cur enim mutata priori ſententia, anno U. C. 754. Chriſtum

pu-

putet natum, alibi ſe dicturum ait) mortuo, ſucceſſit Matth. II. 22.
Nummus ejus extat nullus, qui ſit ſincerus; illum enim, qui ejus caput
diadematum, cum inſcriptione ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΕΘΝΑΡΧΟΥ ex-
hibet, ſuppoſititius eſt: partim, quia vultum inſculpi in nummo Judæa
non tuliſſet; partim, quia inconcinna eſt duarum iſtarum vocum βα-
p. 28. σιλεὺς ἐθνάρχης junctura. Eum contra Joſephi auctoritatem, qui
eum Ethnarcham tantum ait, Regem fuiſſe expreſſe L. XVII. c. 13. &
15. negat, Regio titulo ornandum Harduinus putat, eo quod a Mat-
thæo βασιλεῦσαι ἀντὶ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ dicatur. Verum, cum la-
tius apud Græcos ſcriptores voces βασιλεῦν & βασιλεὺς, quam apud
Romanos pateant, utpote qui Romanos quoque Imperatores βασι-
λέας vocant, ex Matthæi loco regnum Archelao ſolide adſeri non
poſſe videtur: ut id ſaltem velle videatur Matthæus, pari poteſtate Ju-
dææ, ac patrem Herodem, Archelaum præfuiſſe, licet regio careret ti-
p. 29. tulo: nam neque Herodi, poſtquam Rex eſſet appellatus, plus poteſta-
tis acceſſiſſe legimus. Brevis autem imperii fuiſſe Archelaum, nec
anno Chriſti VII ſupervixiſſe, ita Vir doctiſſimus colligit: Chri-
ſtus Dominus dicitur ante annum ætatis duodecimum ſingulis annis
templum frequentaſſe: id quod poſt annum ætatis fere octavum in-
telligendum videtur, ut ſaltem per annos quatuor ante id tempus in
templum ſe contuliſſe credatur, quod adire, Archelao vivo, quem fu-
gerat, noluiſſet. Deinde nummus e cimelio *D. Dron*, & ipſius Har-
duini, æris minimi, qui anno C. VIII vel ſub anni ſequentis IX initium
in Judæa cuſus fuit, & ΚΑΙΣΑΡΟΣ nomen cum ſpica fertilitatis
Judaicæ ſigno, non Archelai, refert, id evincit. Anno C. VIII. illum
cuſum eſſe, ex altera ejus parte diſcimus, quæ palmam cum literis ΛΘ,
h. e. anno XXXIX Aſiæ receptæ & Imperii Auguſti exhibet, qui annus
autumno anni C. VIII incipit. Archelaum vero tum defunctum, do-
cet eo, quod pro Archelai nomine, quod haberet ſi adhuc in vivis
p. 30. fuiſſet, Auguſti nomen repræſentet: pro Auguſto enim ſemper Cæſa-
rem Judæa dixit, ut ex variis N. T. locis notum eſt.

Ad Philippum progredimur. Eum Iturææ & Trachonitidis tetrar-
chiam accepiſſe poſt Zenodori mortem, ob aliquam cum Zenodoro
affinitatem, in quam ille pariter ac frater Herodes, (qui Galilæam ab eo-
dem hæreditario jure obtinuit) callide ſe inſinuaverant, tametſi ea nunc
ſit obſcura, vivo adhuc patre Harduinus exiſtimat. Cum igitur Zenodo-
ri hujus hiſtoria Philippi & Herodis fratris ejus initiis cohæreat, hic de

eo

eo erit agendi locus. Nummi ejus aliquot extant,in quibus tamen nihil p. 5.
dignoſci poteſt quã caput ejus ſine diademate,cum inſcriptione ΖΗΝΟ-
ΔΩΡΟΥ ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ, literisve aliquot exeſis, niſi quod in uno, qui
in altera parte Octaviani Cæſaris caput ſine laurea exhibet, L. ΒΠΣ dis-
tincte legatur,quo annum Græcorum 282,autumno anni U.C.723.ine-
untem notari, probabile eſt: ſic enim rectius, quam de æra Seleucida-
rum,illos annos explicari, Harduinus putat. Eandem Græcorum æram
exhibet nummus Tyriorum, tribus annis eo, de quo nunc loquimur,
antiquior,qui iſta legenda nobis exhibet, ΘΟΣ, i. e. annus CCLXXIX,
ΤΥΡ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ; quem Noriſius p.333. ex epocha,ut Harduinus
vocat,commentitia refert ad annum U.C. DCCCCVI, æræ Chriſtianæ
153. et Antonini pii tempora: cum ipſe tamen character literæ Σ monere p. 31.
Noriſium debuiſſet,nummi fabricam multo eſſe vetuſtiorem. Ducen-
tis itaque fere annis non in iſto tantum, ſed & in aliis quatuor ſimi-
libus nummis,Noriſium aberraſſe Harduinus credit. Erroris cauſam
geminam notat, alteram, quod Tyrum metropolin factam eſſe Ha-
driani ævo Suidæ falſo teſti crediderit: alteram,quod Tyriorum epo-
cham in Chronico vetere allatam, genuinam eſſe, ipſo Harduino præ-
eunte, ſed nunc recantante, putaverit. Oſtenſurum enim ſe in Chro-
nologia Auguſti promittit, nullam Tyriorum æram fuiſſe, niſi quæ
Græcorum fuit, uſque ad Aſiam ab Octaviano Cæſare rece-
ptam. Sed ut ad Zenodorum redeamus, Joſepho eum ignotum fuis- p. 29.
ſe Harduinus exiſtimat eo, quod L. XV. Antiq. c.13. de eo loquens, *Ζη-
νόδωρός τις* ait, quod etiam facit Dio L. LIV. p. 602. Sed illud *τις*
eam vim habere, ut ignotum ſemper ſignificet eum, de quo ſermo eſt,
neminem Grammaticorum meminimus tradidiſſe. Sane non ignotum
fuiſſe Joſepho hunc Zenodorum, ſatis ex iis patet, quæ de dignitate
ejus, territorio, vitæ genere, & morte enarrat Antiqu. L. XV. c. 13.
& de B. Jud. I. 15. Ut adeo hoc ſaltem argumento evincere Hardui-
nus fruſtra conetur, Joſephum illius tractus atque ævi, cujus creditur,
non fuiſſe ſcriptorem. Sed alia quoque ſunt, quæ in Zenodori hiſto- p. 30.
ria Joſephum peccaſſe dicit: contradicere enim eum ſibi ipſi putat,
dum Tetrarchiam Trachonitidis ei tribuit L. XVI. c. 13, Paneadem vero
extra Trachonitidem L. XV. c. 13. Sed excuſandi Joſephum non tam
facultatem, quã voluntatem hic quoque defuiſſe Harduino, quis non
videt? Verum eſt enim, Joſephum L. XVI. c. 13. & L. XV. c. 13. facere

tantum Τράχωνος mentionem, ſed ibi de ea regione loquitur, quæ adempta tum Zenodoro, & Herodi tradita fuit. Cæterum non negat ſpectaſſe ad ditiones ejus Batanæam quoque cum Auranitide, utpote quam non tantum L talentis elocaſſe, poſt ereptam ſibi Trachonitidem, eodem L. XV. c. 13. narrat, ſed & Trachoni προσεχῆ fuiſſe, i.e. ad eam pertinuiſſe, non tantum L. 1. de B. Jud. c. 15. ait, ubi repetit eadem fere quæ Ant. XVI. 13. dixerat, ſed & L. XV. c. 13. Antiquit. τῆς ἐπαρχίας τοῦ Ζηνοδώρου μέρος τὴν Αὐρανῖτιν, & Paneadem quoque ejus ditionis partem fuiſſe dicit, utpote inter Galilæam & Trachonem mediam: indeque eam quoque, ſed poſt mortem demum Zenodori, Herodi fuiſſe conceſſam narrat. Ut taceamus, pari ratione, qua Vir
p. 26. clariſſimus paulo ante, Herodem Judææ Regem nominari monuit, Samária ſub Judææ nomine ſimul comprehenſa, Trachonitidis quoque in altero Joſephi loco Tetrarcham Zenodorum, Batanæa, Auranitide & Paneade non excluſis, dici potuiſſe. Ut adeo reipſa Joſephus dicat id, quo animum ſuum Harduinus inclinare dicit, Galilææ ſc. Trachonitidi, & Ituræ Zenodorum præfuiſſe. Cæterũ fatemur nos capere non poſſe, qua autoritate Harduinus contra Ioſephum ſtatuat, Herodis prioris filiis potius, Philippo & Herodi, quam ipſi Herodi, Zenodori regiones datas fuiſſe: nam ſane iſtam affinitatem, quam comminiſcitur, ipſe obſcuram fatetur: niſi forte inde id concludat, quod Cæſaream Paneados Philippus extruxerit, ut Romanis fidei obſidem eam concederet, quæ anno 754. U. C. abſoluta fuit, adeoque vivo adhuc, ex Harduini hypótheſi, patre Herode. Aſt ſi non abſolutam, ſed ædificari cœptam Cæſaream Philippi anno U. C. 754. dicamus, quod ſane non eſt improbabile, cum ejus æra a fundamentis poſitis quam urbe abſoluta pari jure duci queat; deinde vero in annum U.C. 751, ex recepta inter eruditos viros ſententia, Herodis patris mortem rejiciamus; nihil relinquetur Harduino ad probandam hypotheſin. Sed
p. 35. cum de Cæſarea Paneados nacti hic ſimus loquendi opportunitatem, varia, quæ de ea monet Vir doctiſſimus, in medium producamus. Nummos ejus nullos ante annũ C.CLXXII. occurrere putat; ſomnium enim eſt, quod quidam nuper dixit, Cæſaream Paneados deſignari in nummis, ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ, Cæſaream vero Palæſtinæ in nummis, ΚΑΙΣΑΡΙΑ inſcriptis. Cautior itaque fuit Noriſius, qui nullum Cæſareæ Philippi adſeruit, niſi in quo vel Πανιάδος regionis, vel Πανείου mentio ſit:

quod

quod quidem Πάνειον non montis nomen, ut Noriſio viſum eſt, ſed fani fuit, Πάνειον enim, ut Σαράπειον, templum notat, non Cæſari (verba ſunt Harduini) ut vult Joſephus L. XV. c. XIII, ſed Pani dicatum. Sed ubi quæſo Vir doctisſimus apud Joſephum Πάνειον dicatum Cæſari invenit? ſane ait loco, quem allegavit, πλησίον τοῦ Πανίου (ſcrib. Πανείου) Καίσαρι ναὸν πέτρας λευκῆς exſtruxiſſe Herodem, id eſt, prope Πάνειον; ipſum vero Πάνειον Cæſari dicatum fuiſſe nuſpiam in Joſepho legimus. Templum autem per πάνειον intelligi, inde probat Harduinus, quod nullus nummus Cæſareæ Paneados montem, ſed vel Pana, vel Panos fiſtulam exhibeat, nec credendum eſſe iis, qui apud Plin. L. V. c. 15. 16. pro fonte montem obtrudunt, alibi ſe oſtenſurum ait. Quæ autem de ſitu hujus Cæſareæ monet, quam Decapolitanæ re- p. 36.
gioni Plinii autoritate, contra quamplurima monumenta, quæ Phœniciæ eam tribuunt, vendicat, nunc, ne nimis prolixi ſimus, prætereunda cenſuimus.

Ut igitur ad Philippum noſtrum redeamus, eum maritum He- p. 108.
rodiadis facit, Evangeliſtæ auctoritate, & Joſephum increpat, qui Herodem plane ignotum, Herodis Magni filium, nec ulla tamen vel exigua regni portione a patre donatum, finxerit, cujus uxorem Herodiadem, marito adhuc ſuperſtite, frater ejuſdem Herodes tetrarcha duxerit, & Philippum ab iſto diverſum ſtatuerit, quem deceſſiſſe ſine liberis ait, relicta uxore Salome, ficti illius Herodis filia, L. XIIX. Ant. c. 7. Patrem eum fuiſſe Agrippæ, qui in Harduini ſchemate priorem lo- p. 92.
cum obtinet, e ſupra allata inſcriptione Sponiana hoc modo evincit: Vocatur in ea Julius Agrippa Juliæ Berenices pater. Julii autem nomen procul dubio illi familiæ datum dicit, quæ Auguſti ævo vixit, ſicut & Sauromatæ Regi, in nummo Baudeloti, eo tempore conceſſum eſt; ergo avum hujus Agrippæ junioris, qui Auguſti tempore vixit, Julium dictum fuiſſe, probabile eſt. Jam vero ab Auguſto Cæſare Philippum in Julii nomen, præ omnibus aliis videri adſcitum propterea, quod Cæſaream Paneados ei ultro in pignus fidei & clientelæ dederit; cum contra Herodes Tetrarcha frater Philippi, neque Φιλοίσυλιον ullo nummo ſe profiteatur, neque ullo ei dato in oppignerationem fidei oppido ſuæ ditionis. Sed his conjecturis non ſatis fidit ipſe Harduinus. Sane ut ipſum Herodem priorem, ab Auguſto nomine Julii donatum eadem conjectura dicamus, nil videmus, quod obſtet; ut adeo ab eo, tanquam

radice, in totam familiam ſit derivatum. Namque & ei cum Auguſto intercedebat amicitia, ab eo Sebaſte & Cæſarea Palæſtinæ extructa, nomineque ejus exornata in clientelæ pignus ei conceſſa fuit. Quod ſi admittatur, nullum ſupererit argumentum, quod Philippum potius, quam, ut Joſephus dicit, Ariſtobulum Agrippæ patrem fuiſſe perſuadeat. Sed ut dicendorum de Philippo finem tandem faciamus, in morte
p. 108. quoque ejus deſcribenda, commiſſum a Joſepho errorem Autor noſter cum Petavio exiſtimat. Ait enim Antiquit. L. XIIX. c. 6. Philippum anno XX. Tiberii, Tetrarchiæ ſuæ XXXVII. obiiſſe, cum dicere debuerit, ſi ſecum ipſe conſentire vellet, Tiberii XXII, Tetrarchiæ ſuæ XXXIIX.

p. 47. Sed ad Herodem Tetrarcham nos ordo nunc ducit. Ei cognomen Antipæ in lapidibus & nummis nunquam dari, primum ex inſcriptione quadam Sponiana obſervat, in qua nude Ἡρώδης, Ἡρώδου τοῦ βασιλέως υἱὸς, τετράρχης dicitur. Quo primum anno Tetrarchiam ob-
p. 48. tinuerit, ex nummo a Rigordo explicato eruit. In illo enim L. MΓ annum XLIII. hujus Herodis Tetrarchæ, primum vero annum Imperatoris Caji Cæſaris deſignari exiſtimat. In more enim, inquit, poſitum fuit Regibus ac Tetrarchis Syriæ, annum ſuæ poteſtatis in ſuo nummo ſignare, in quem Cæſarum primordia incurrerent. Hanc enim ab illis veluti fidei ſuæ teſſeram dari Cæſaribus oportuit in auſpiciis imperii, ſuamque vel ſic probari clientelam aut conjunctionem. Primum igitur Caji Cæſaris annum non poſſumus hoc loco non interpretari, ubi nullus eſt expreſſe ſignatus: præſertim cum ſi annus alter, tertiusve aut quartus foret, perinde notaretur in nummo atque annus tetrarchæ XLIII. Sic enim idem Herodes vice verſa in nummo anni C. 42, qui Claudii Imp. honori dicatus eſt, ſub eadem plane formula annum Claudii tertium adnotavit; quotus autem regni ſui eſſet, non expreſſit, h. m. ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔΗΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΛΑΥΔΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΤ. Γ. quod vellet intelligi, & in iſto ſuum eſſe illum *regni*, βασιλείας, primum nondum expletum, in quem Claudii tertius incurreret: & in nummo priore, ſi alium a primo Caji annum vellet accipi, æque ſe expreſſurum in Cajo fuiſſe atque in Claudio. Ex his itaque, primum Herodis Tetrarchæ annum, colligit eſſe annum U. C. DCC XLIIX. biennium ante, quam e Joſepho prioris Herodis obitus colligi queat. Quod ſane veriſſimum eſſet, ſi nummum illum

illum priorem anno primo Caji cuſum eſſe, ſolide evinci poſſet. Sed cum conjectura iſta potius ſit quam demonſtratio, merito ex Joſepho potius nummum explicandum, quam ex conjectura de nummo Joſephum impugnandum eſſe putamus; præcipue cum hæc hypotheſis cogat Harduinum fingere, quod clientelam Romanorum primum ſuſcipere noluerit, eamque Caji demum tempore ſuſceperit, Tiberio poſtmodum Tiberiade, in ejus pignus, quoque conceſſa. Quæ omnia nullum alium autorem niſi Virum doctiſſimum habent: quibus tamen prolixius enarrandis ſuperſedemus; majoris enim momenti ſunt, quæ dicenda reſtant. Herodem Antipam, inquit, anno C. XL. ablegatum in exilium fuiſſe, conceſſamque ejusdem Tetrarchiam fuiſſe Herodi Agrippæ Regi nemo credet, cui perſuaſum erit, eundem eſſe Herodem, qui Antipas cognominatus eſt a Joſepho, & eum qui major Agrippa. Sed videamus, quibus argumentis hoc nobis perſuadere nitatur. Quem ſacræ paginæ, inquit, Herodem vocant, nunquam Agrippam vel Antipam, quis me reprehendendum putet, ſi neque ego hunc Agrippā vel Antipam auſim vocare? quod argumentandi genus Lector expendet. Sed pergit: at unum eundemq; Herodem eſſe qui Antipas ac Tetrarcha, & qui Agrippa ſenior falſis nominibus nuncupatur, teſtis eſt Juſtinus Martyr, qui in Dial. cum Tryph. p. 258. Herodem Tetrarcham, Herodis prioris filium, βασιλέα τῶν Ἰουδαίων, ex ſucceſſione poſt Archelaum appellat, illum ipſum Herodem, ad quem Pilatus Chriſtum miſit. At in Judæa poſt Archelaum nemini quicquam regia poteſtate licuit, niſi ei quem Agrippam Joſephus, Lucas in Actis Herodem vocat. Ergo quem Lucas in Actis Herodem, & quem Joſephus Agrippam nuncupat, ipſe eſt Herodes, Herodis filius, quem Antipam cognominant, qui prius Tetrarcha, poſtea Rex fuit. Siquidem, ut ex duobus modo allatis nummis patet, a Cajo receptus in amicitiam & clientelam, a Claudio Regis titulū accepit, quem ut Herodes pater, diu poſtquam Ethnarcha tantum fuiſſet, ſic Herodes Tetrarcha ſub autumnū duntaxat anni XLII æræ Chriſtianæ adeptus eſt, cum & Cæſaream juſſit Claudiam appellari. Sed nondum videmus, quid cogat, ad unum eundemq; Herodem utrumq; illum nummum referre, & non potius ex Joſepho ad diverſos, niſi in Joſephum odium Harduini. Ad Juſtini vero teſtimonium quod attinet, præterquam quod Ἰουδαίων βασιλεὺς non præciſe Regem Judææ notat (ſunt enim Γαλιλαῖοι etiam, teſte Stephano,

p. 44.
p. 49.
p. 51.
p. 52.
p. 49.

ἔθνος Ἰουδαίων)memoriæ ille poteſt eſſe error,Herode Rege ex Sacris maxime occupatæ: quod ſane facilius eſt credere, quam monſtroſum adeo errorem Antiquitatum autori, quisquis denique ille fuerit, quem tamen legiſſe ſe Juſtinus alibi teſtatur, tribuere. De argumento autem,
p. 53. quod ex Epiphanii Panario adducit Vir clariſſimus, ne dicemus quidem, cum ipſe graviſſimos alios errores in hoc negotio ibi commiſſos agnoſcat. Et pro Joſepho præterea militat nummus nuper a non-
p. 59. nemine editus, & ita inſcriptus: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΑΓΡΙΠΠΑΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ, capite diademato; ab altera parte: ϽC ΚΑΙΣΑΡΙΑ Η ΠΡΟΣ ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ Μ. Nummum qui edidit, ad Herodem Agrippam refert, cujus exitum narrat Lucas in Actis c. XII: & ſane egregie cum nummi inſcriptione conſentiunt, quæ de Agrippa illo ſeniore refert Joſephus. Sed ferre hoc non poteſt ſyſtema Harduinianum, indeque omnibus modis hanc nummi interpretationem impugnat.
p. 60. En tibi argumenta ejus, & judica. Sapiens nemo, inquit, animum induxerit, ut credat a ſacro ſcriptore Herodē Regem appellari potuiſſe, quē nummi Agrippam Regem vocarent: nam uſitatiore vocabulo deſignatum ab ipſo fuiſſe Principem, nemo ſanus ambigat; uſitatius autem illud eſt, quod nummi repræſentant. Sed nonne, ut ἐν παρόδῳ hoc dicam, Agrippæ nomen Herodi ῥωμαΐζοντι in nummis potius placere potuit, utpote in familia Imperatoria quoque receptum, quam Herodis inter Judæos notius? Eccur autem, pergit, aliter a S. Luca, aliter a Joſepho nuncupatur? Afferam, inquit, non vani ſemper conjectoris, hic tamen forte nimis ſuſpicioſi (qui fortaſſe ipſe eſt Harduinus) conjecturam. Deprehendiſſe ille ſe dicebat, cœtum certorum hominum ante ſecula neſcio quot extitiſſe, quorum ſibi probe nota ætas atque officina ſit, qui Hiſtoriæ veteris concinnandæ partes ſuſceperint,
p. 68. qualem nunc habemus, cum nulla tunc extaret. Ex horum officina Cenotaphia etiam Piſana, ante annos fere 500. prodiiſſe, in Chronologia Auguſti ſe oſtenſurum promittit; ut & Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ: inque eam rem iſtis ſubſidio fuiſſe Tullium, Plinium,
p. 80. Maronis Georgica, Flacci Sermones & Epiſtolas ait. Nam hæc ille ſola cenſet ex omni antiquitate Latina genuina monumenta, præter inſcriptiones admodum paucas, faſtosque nonnullos. Addebat, illis annalium architectis majori fuiſſe adjumento magnam nummorum an-
p. 61. tiquorum ſupellectilem. Totius conſilii principem fuiſſe aliquem, cui

Seve-

Severi Archontii nomina dederint, alterum a moribus, alterum ab eo, quem inter ipſos gereret, magiſtratu. Fuiſſe tamen iſtis hominibus nummorum, Græcorum imprimis, minorem copiam ait, quam opus erat, unde multa σφάλματα orta; plura etiam ex male intellectis iis quos habebant, eſſe putat. Atque hujus dicti in Agrippa ponebat exemplum. Nam cum illos vel una nummorum, qui Agrippæ nomen ferunt, diſſimilitudo admoneret Agrippam geminum extitiſſe, & utrumque ſtatuerent ante excidium urbis eſſe collocandum, quoniam urbe exciſa regnum Judæorum defeciſſe credi vellent, fingi oportuit, p. 62.
Herodi, de quo ſermo in Actis, cognomen Agrippæ fuiſſe. Nam ab anno Claudii IV, quo & priorem Agrippam obiiſſe, & ſucceſſiſſe ponunt alterum juniorem Agrippam, uſque ad urbis cladem, plane ſunt anni XXVI, quot omnino in vetere Chronico Agrippa poſterior regnaſſe dicitur. In quo diſſidet a Joſepho, qui quoniam ultra annū XXI. nummos Agrippæ nullos haberet, finem illius quidem, ut iſte, circa everſionem urbis, ſed primordia maluit ante eam exciſionem anno tantum XXI figere. Et hanc illi homini, inquit Harduinus, placuit cauſam aſſignare Lucæ & Joſephi, in nomine Agrippæ, differentiæ. Sed quicquid de illa ſententia ſit, quam ipſius Harduini eſſe, ex Cl Dupinii præf. in T.V. Bibliothecæ ſuæ patet, cum ipſum, quid ſtatuat, nondum ſatis ſcire inde manifeſtum eſt, quod alibi differentiæ hujus hanc cauſam asſignare ipſi placuerit, quod primi Judaicarum originum conditores, cum ſacri libri ſola præciſe Herodiadum nomina ſuppeditarent, ubi ſtatuendum fuit, qui, quave cognatione inter ſe eſſent conjuncti, in diverſas abierint ſententias, eo conſilio, ut quicquid poſteri ea de re ſtatuerent, id ante occupaſſe ex eo grege aliquis videretur. Sed reliqua etiam argumenta, quibus nummum illum nobis eripere conatur, apponemus. Extat nummus ΗΡΩΔΗΣ, ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ inſcriptus, quem Noriſius Herodi Chalcidico tribuendum putavit, Noſter vero Herodem Chalcidis regem, & Chalcidis regnum unquam extitiſſe negans, Herodi, Tetrarchæ primum, poſtea Regi. φιλοκλαυδίου itaque nomen ſi Herodi tribuitur, quicunque ille fuerit, hoc ipſum argumento eſt probabili, (ſed probabili ſaltem) non eſſe Agrippam ſeniorem, qui Αγρίππας Φιλοκλαύδιος in nummo noſtro dicitur: nam cum eadem ætate reperire non ſit duos in nummis Reges Φιλέλληνας & Φιλορωμαίους, quo quis documento fidem faciat

p. 63. p. 53. p. 63. p. 58.

ciat, extitiſſe una ætate duos φιλοκλαυδίυς? Sed quis non videt in tanta re iſta argumenti vim obtinere vix poſſe.

p. 54. Cæterum Herodes iſte, quem Agrippam Seniorem vocant, primum Tetrarcha, poſtea Rex, ex Harduini ſententia, ut de ditionibus ejus dicamus, poſt obitum fratris Philippi, Galilææ ſuæ Ituræam &
p. 93. 198. Trachonitidem junxit, ducta Herodiade, Philippi uxore, quæ veluti pro dote eam afferret, vel ſaltem jus ei acquireret, ſub tutelæ ſpecie pro Agrippa, quem Philippi filium ut diximus credit, tum minorenni, eam adminiſtrandi. Atque ob hanc ditionis acceſſionem Magnum Regem appellatum Herodem, & ad eum in lapide Sponiano, ubi μεγάλων βασιλέων mentio, reſpici putat. Sed quomodo ob has ditiones μέγας βασιλεῦς dici potuit, quas ipſo Harduino fatente, tutoris ſaltem nomine adminiſtravit? Non tamen Judææ regnum hunc Herodem obtinuiſſe putat, ſed eam poſt Archelai mortem fiſco Auguſti fuiſſe addictam, utpote in qua cenſus etiam fuerit exactus. Nec obſtare putat S. Lucam Act. XII, ubi Hieroſolymis regia poteſtate egiſſe videtur. Nam Apoſtoli, in quos exercuiſſe poteſtatem ibi dicitur, Galilæi fuerunt, adeoque ſuæ ditionis homines.

p. 57. De obitu denique Herodis hujus Agrippæ agit Lucas Act. XII. 19, quem quod aliter exponat Joſephus, inde factum exiſtimat, ut ſacer Scriptor non Hiſtoricam veritatem, ſed allegoricum ſecutus ſcribendi genus credatur. Contigiſſe vero illum anno C. 43. propterea exiſtimat, quod nulli deinceps ejus nummi appareât; unde denuo colligit, eum eundem eſſe cum illo, cujus mortem Lucas l. c. eodem tempore contigiſſe ait. Cæterum omnia fabuloſa eſſe credit, quæ Joſephus
p. 49. de Caji Cæſaris in Galliam, comitante eum Agrippa, expeditione, de legatione ad Cajum pro Judæis & Agrippæ oratione, de Agrippæ geſtis in Senatu Romano, ejusque opera adhibita ad Claudium a Principatu ſuſcipiendo deterrendum, paſſim enarravit.

p. 13. De Agrippa, filio, ex ſententia Harduini, Philippi, jam nonnulla a nobis allata fuerunt: illa itaque non repetimus, ſed ut reliqua ſaltem addamus, operam dabimus. Regnum patris & patrui Herodis conceſſum ei eſſe a Claudio anno æræ Chriſtianæ LI putat, unde ille ſe Magnum Regem & φιλοκλαύδιον in vetere nummo appellarit, quem ad Herodem Agrippam alios referre ſupra vidimus, adductis Harduini contra eos argumentis. Eſt hic Agrippa, de quo Act. XXV. agitur, quam

quam hiſtoriam ad annum æræ Chr. 56. Auctor refert. A. regni ejus
XX, qui eſt Chriſti LXX, Hieroſolyma capta ſunt: & extat nummus
qui habet ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΤΙΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ capite laureato; in aver-
ſa ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΩΚΥΙΑΣ, cum Victoria ſcribente in clypeo,
palmæ arbori appoſito. Qui enim hunc nummum ſic edidere, ut in al- p. 16.
tera ſuperficie legeretur ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΩΚΥΙΑΣ, in altera ΚΑ.
ΒΑ. ΑΓΡ. ii ex duobus nummis unum conflavere; pertinet enim po-
ſterior inſcriptio ad nummum Domitiani a Patino p. 164. exhibitum.
Nullus ejus poſt annum C. 79. nummus habetur; ultimus enim eſt, p. 18.
qui ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΩ ϹΕΒΑϹΤΩ ſuperſcribit capiti
laureato. Ab altera vero parte habet ΕΤΟ. ΚΘ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. Et
hoc argumento eſt, alium eſſe ab iſto Agrippa illum, cujus poſt annos
ſeptem annus præfecturæ XXVI. notatur in nummo Domitiani, de
quo mox dicemus. Aliud vero argumentum ſumitur ex ſupra poſita p. 92.
inſcriptione Sponiana, in qua præter Agrippam Magnum Regem, qui
μεγάλων βασιλέων nomine, una cum Herode Tetrarcha & Rege
Magno intelligitur, Julii quoque Agrippæ mentio facta eſt.

Hunc Julium Agrippam poſteriorem accepiſſe ex SCto impe- p. 19.
rium non regium, ſed rei militaris tantum in Palæſtina anno C. 61, pa-
tere exiſtimat Harduinus ex nummo iſta: IM. CA. D. VES. F. DOM.
AV. GER. COS. XII. *Imp. Cæſar Divi Veſpaſiani Filius, Domitianus Augu-
ſtus, Germanicus Conſul* XII. inſcribente capiti laureato: in altera parte
ΕΠΙ. ΒΑ. ΑΓΡΙ. ΕΤ. κϛ S. C. *ſub Rege Agrippa A. XXVI. Senatus conſul-
to*, caduceo gemino cornucopiæ inſerto. Nummum illum ad an-
num C. LXXXVI. refert, cumque numerum XXVI. deſignare cre-
dat annum ſuſcepti imperii militaris in Palæſtina, anno 61, adeoque vi-
vo Agrippa priore, id ab eo impetratum fuiſſe concludit. Ad annum p. 18.
C. LXXXI. tamen inquit, colligi poſſe videri ex nummo, qui ſpe-
ctat ad annum C. 94, hunc annum LXXXI primum eſſe Agrippæ al-
terius. Nummus autem ille hæc habet: ΚΑΙΣΑΡ. Δ... cum capite Do- p. 20.
mitiani laureato; ab altera parte L. ΙΔ. ΒΑΣΙ. ΑΓΡΙΠ. cum Victoria ſcri-
bente in clypeo. Annus ille eſt XIV. Regis Agrippæ, ut Harduinus obſer-
vat, quo pulſos in Oriente Arabas Parthosq; a diverſis Domitiani duci-
bus, quorum haud poſtremus Agrippa Rex fuit, nummus notat. Con-
flatus eſt is Cæſareæ in Palæſtina, hocque anno, qui Domitiani quoq;
eſt XIV, gratulantur Cæſari victoriam aliæ etiam Palæſtinæ civitates, ut

Raphia, cujus æram biennio Noriſius remoratur, & Aſcalon. Non
p. 82. regio autem nomine præfuiſſe hunc Agrippam Judææ, inde probat, quod tabernaculum ſive tentorium, in nummis ejus plerisque compareat cum tribus ſpicis, quæ ſymbola non feſtum azymorum & tabernaculorum notare ait, ſed fertilitatem Judææ, & officium Agrippæ, cujus poteſtatis regiæ uſus nullus eſſet alius, niſi in caſtris, ad Judææ & Galilææ limitem tutandum, locandis & permutandis. Ut adeo ΕΠΙ. ΒΑ. in nummis ejus non *Rege*, ſed *ſub Rege* ſit explicandum; ut ea formula ſcilicet conflatum eſſe nummum admoneat, non in ea ditione, quam ille regia poteſtate, ſed in provincia quam Cæſaris ac S.P.Q.R. vice, vel præſidis ritu adminiſtraret, vel tanquam legatus armis defenderet.

p. 96. De Berenice adhuc paucis agendum, Agrippæ iſtius filia, cujus in Sponiano lapide aliquoties laudato memoria conſervatur. Magna Regina ea dicitur, idque ideo, quod geminæ ditionis, Galilææ nimirum & Trachonitidis ſceptrum obtineret; quæ omnia ſilere quidem hiſtoricos Harduinus fatetur, lapidi tamen fidem habendam exiſtimat. Eam μεγάλων βασιλέων ἔκγονον vocat lapis, per eos avum ejus Agrippam priorem, & proavi Philippi fratrem Herodem Tetrarcham intelligens. Sed tota illa Sponiana inſcriptio, ne longe aliter exponi poſſit, valde veremur. Quod tamen facere noſtrum nunc non eſt, qui forte nimis prolixi jam fuimus.

Plurima alia nunc referenda eſſent, quæ occaſione data doctiſ-
p. 32. ſimus Autor affert, v. g. de ficta templi reſtauratione, quam Herodi
p. 33. 39. 42. priori tribuunt; de natalibus & ſitu Cæſareæ Palæſtinæ; de vaticinio
p. 68. Jacobi; de fiſco Judaico & cenſu ſub Quirino acto; de nummis Aſca-
p. 73. lonis & Gazæ; de duodecim erratis, quæ in nummis explicandis commiſiſſe a nonnemine accuſatus fuit, & aliis duodecim quorum ipſe Va-
p. 78. lentem (*Vaillant*) reum peragit; de æra item Flaviana, Aureliana, Seba-
p. 80. 83. ſtenorum & Neapoleos, Samariæ & ſimilibus. In quibus ut ubique fere impugnat Joſephum, ita in haud paucis ille a Viris doctis, quibus operam ſuam hiſce impendere placebit, defendi poterit. Sed ne modum jam exceſſerimus veremur, proindeque nil addimus præter ea, quæ ſub finem adhuc attexuit, ut ex illis affectus, quo Joſephum Harduinus proſequitur, melius pateat Lectorum noſtrorum oculis,

p. 109. Dicit itaque de illis, quæ contra Joſephum attulit: Nodi hi ſunt,

quos

quos ſolvendos erudito & φιλαλήθει cuique proponimus, quos ſi quis ſalvis antiquitatibus expediri putet poſſe, laudabimus ingenium. Sed novis criminationibus deinde utemur in ἀρχαιολόγον. Indicabimus enim, quam pravo ille conſilio ab Hebraici codicis calculo diſceſſerit, carmina Sibyllina deſcripſerit, Hiſtoriam Judithæ Tobiæque omiſerit, de probatica piſcina ſiluerit, Straboni quædam de Antigono affinxerit, fati neceſſitatem induxerit, fatum a faciendo tanquam homo Latinus derivarit, ſecutus definitionem qualem habet Auguſtinus L. V. de C.D. c. IIX, aliaque non pauca ejus generis, ex quibus fortaſſis & totius conſcelerati gregis agnoſcatur ætas, & ſi de Sadducæis recte conjecimus, novorum Sadducæorum nefaria conſilia retegantur. Quæ criminationum plauſtra donec publice Harduinus exponat, erit expectandum. Interea licet veræ nonnullæ ex iis ſint, totum opus tamen Joſephi propterea eſſe confictum, nobis ægre perſuadebit; quod enim quæſo corpus hiſtoricum nobis ſupereſt, cui nævi hujusmodi, chronologici imprimis, adſperſi non inveniantur?

JOANNIS HARDUINI, SOCIETATIS JESU PRESBYTERI, de ſupremo Chriſti Domini Paſchate.

Pariſiis, apud Joannem Aniſſon, A. 1693. in 4. chart. aug. Conſtat plag. 12½.

QUæ de ſupremo Chriſti Domini Paſchate inter Eruditos agitatur inſignis controverſia, quæſtiones, ut videtur, tres potiſſimum ſub ſuo ambitu complectitur, iſtas videlicet: an Servator die cum Judæis eodem id comederit? aut, ſi diverſo, an ille legitimo, Judæi viciſſim alieno modo proceſſerint? ac denique, num is ne Paſcha quidem eo anno omnino, ſed cœnam vulgarem tantummodo absq; agno paſchali cœnaverit? Singulis autem his in præſenti commentatione ſatisfacere eruditiſſimus Harduinus voluit, litemque omnem penitus dirimere allaboravit, ſacrorum præcipue codicum ac rituum deinde Judaicorum præſidio ſuffultus; neglectis utique Rabbinorum fabulis atque conjecturis, quæ, ſi perpaucas excipere ſit animus, nullam cum ſacris literis affinitatem, nullamque apud viros cordatos ac ſapientes fidem habeant. Rem itaque totam propoſitis quibusdam obſervationibus, breviter a nobis cum B. L. nunc communicandis, abſolvit. Ante omnia vocem Phaſe ſive Paſcha in ſacris literis V.T. duo tantum ſignifi-

care innuit: videlicet vel agnum hædumve paſchalem, vel cum agni mactatione conjunctum paſchale ſacrificium. Priusquam ex Ægypto progrederentur Iſraelitæ, agnum modo hædumve per eam notatum, poſtea vero & alterum ſignificatum obtinuiſſe ſtatuit, quandoquidem de mactatione atque immolatione agni paſchalis abunde conſtet ex Deut. XVI, 2. ex 2. Paral. XXXV, 6. &c. nec refragetur Majemonides, nec invitum ſeſe in has partes trahi patiatur Philo. Chriſtum vero reapſe manducaſſe agnum ſacrificii ritu mactatum, adeo pro certo amplectendum reputat, ut adverſam huic aſſertioni ſententiam pro hæretica Theologos doctiſſimos non immerito declaraſſe ſuperaddat. Non duntaxat enim Evangeliſtarum τῷ ῥητῷ manifeſtam a ſecus opinantibus inferri vim, ſed & Judæorum conſuetudini, receptisque apud eos loquendi formulis aperte contradici oſtendit. Quo anno autem Chriſtus Dominus mortem pro ſalute omnium obierit, tum ipſum, tum Judæos agnum paſchalem eopſe die comediſſe infert, quo die, ut comederetur, ſancitum fuerit. Hoc inde probat, quod Matth. XXVI, 2. diſcipulis ſuis Magiſter optimus ſcientiam Paſchatis poſt biduum comedendi tribuat; hanc autem non aliunde quam ex lege id præcipiente hauſtam fuiſſe. Rurſus Matth. XXVI, 18. cum ille dixerit: apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis, uſum communem juſſumque Synagogæ hoc ipſo firmari. Denique Marc. XIV, 12. expreſſe perhiberi: Apoſtolos tum Chriſto Domino Paſcha paraviſſe, quando Paſcha immolabant Hieroſolymis. Ulterius Phaſe mactatum ait die decima quarta ad veſperam, hoc eſt, decima quarta exeunte eademque vergente in decimam quintam diem, cujus initium a Solis occaſu fuerit. Qua de cauſa iſtud, quod Exod. XII, 6. ſcriptum reperitur: immolabitque univerſa multitudo filiorum Iſrael בין הערבים *inter duas veſperas*, ita exponit, ut veſperam priorem ante Solis occaſum, poſteriorem poſt occaſum collocet, ſeu primam eſſe arbitretur, cum Sol occidat, alteram, cum lux ſuperſtes, quam crepuſculum vocamus, deficiat, quod ex Matth. XIV, 15. ſeqq. illuſtrat; nulla enim ratione heic retrogredi licere ad meridiem. Quæ vero decima quinta dies cenſeri debeat, cum dici certo non poſſit, niſi de prima conſtiterit, ideo hanc in unoquovis menſe ab ea veſpera cœpiſſe docet, quæ Solis ac Lunæ congreſſum vel proxime anteceſſerit, (ſi nempe illa luminarium conjunctio inter Solis occaſum conſequentemque meridiem conti-

contigerit,) vel quæ ſit proxime illam *σύνοδον* ſecuta, (ſi facta fuerit inter meridiem & proximum Solis occaſum;) unde efficiatur, quod aliud interdum ſit dies prima menſis, aliud feſtum calendarum ſive neomeniæ. Hoc enim ſemper continuiſſe interlunium ſeu ſiderum *σύνοδον*, illam vero non ſemper. Uno verbo: ad neomeniam civilem conſtituendam, *συνόδε τῶν ἀςέρων*, ut Scaliger aliique cenſuerint, non *τῆς φάσεως*, ſive primi Lunæ conſpectus, ut ponant nonnulli, Judæos rationem olim habuiſſe ſtatuit. Utut enim & *φάσιν* olim accurate ab ipſis fuiſſe obſervatam, haud ire velit inficias, ſiquidem id etiamnum hodie ſumma cum religione fieri videamus: id tamen ideo reſpondet factum, ut qua primum veſpera copiam ſui videndi Luna dederit, hymnos in Synagoga concinerent Deo conditori ſiderum, non ut exinde neomeniam civilem deſignarent, quam e calculo ſane aſtronomico decreverint: iis namque rei aſtronomicæ ſcientiam nequaquam defuiſſe, multis argumentis probat. E quo nihil eos obtinere infert, qui diem menſis primum a Lunæ conſpectu repetentes, feriam quintam tantummodo pro decima tertia menſis divenditent. Primum enim diem azymorum ſeu feriam ſextam pro decima quinta primi menſis habendam aſſerit; illumque inſuper primum azymorum diem, qui anno Chriſti vitæ ſupremo illuxerit, Hieroſolymis fuiſſe feſtum ac ſolennem pernegat, cum certe ſimul fuerit Paraſceve, hoc eſt, dies negotioſus profeſtusque & operibus obeundis deſtinatus, quod ex Joh. XIX, 14. 31. 42. Matth. XXVI, 5. Marc. XV, 42. Luc. XXIII, 54. pateat. Quibus ita conſtitutis, difficultatem jam præcipuam in eo reſidere nobis perſuadet, quod e ſacris Evangelii ſcriptoribus tres priores prima die azymorum, atque adeo ipſa die Paſchæ, cujus a veſpera utique more Judaico initium ſit, Chriſtum Dominum corporis & ſanguinis ſui ſacramentum condidiſſe, eademque die in crucem fuiſſe ſublatum enarrent, Joannes autem non ipſa die Paſchæ, ſed pridie, geſtum utrumque referre videatur. Quamobrem ut huic dubio ſatisfaciat, duas omnino veſperas mactationi agnorum paſchalium fuiſſe deſtinatas, ex ampliſſima convenarum multitudine, quam curioſius ſcrutatur, requiri, remque omnem ita peractam cenſet, ut alii aliis uno die ſerius neomeniam civilem Niſan computarint, & altera quidem veſpera convenæ e regno Juda cum civibus Hieroſolymitanis Paſcha immolarint, altera Iſraelitæ ſive Galilæi; quamvis

utrique ea die, quam decimam quintam menſis primi numerarint. Unde emergat, quod anno Chriſti ſupremo aliud fuerit Paſcha & primus dies azymorum, alius dies feſtus ſive dies ſolennis Paſchæ. Illum diem fuiſſe Paſchæ Galilæorum, iſtum Judæorum Paſchæ deſtinatum. Tres itaque priores Evangeliſtas de Paſcha prioris turmæ, hoc eſt, Iſraelitarum ſeu Galilæorum, Joannem vero reſpectu Paſchæ Judæorum locutos contendit. Qua occaſione regulam, quæ vocari ſolet בדו *Badu*, memorat, eaque ordinatum refert, ut ſi in feriam *ſecundam*, *quartam*, vel *ſextam*, quæ vocis illius literis deſignentur, Paſcha ſive dies XV. Niſan incideret, tunc priore loco Galilæi, qui & Iſraelitæ, Paſcha peragerent, poſtridie Judæi. Si in cæteras quatuor ferias, 1. 3. 5. 7, tunc illis ipſis Judæi Paſchate defungerentur, Galilæi poſtero die: nec fuerit, ut opinamur, dividiæ, ſi hunc apponamus ex eo ſchematiſmum;

Feria 1. Juda.
2. Iſrael. ב
3. Juda.
4. Iſrael. ד
5. Juda.
6. Iſrael. ו
Sabbatum. Juda.

Hanc regulam pro ſexta ſaltem feria divinitus videri inſtitutam, poſtmodum vero & ad duas alias propter Galilæos extenſam. Annum itaque triceſimum tertium æræ Chriſtianæ in Badu incidiſſe, hoc eſt, primam diem azymorum exhibuiſſe pro Iſraele quidem feria ſexta, pro Juda autem atque urbe ſancta poſtridie, ſic probat, ut rationes, quare calculus hic in aliis annis rationem habere non poſſit, in medium producat. Deinceps iſta ratione nullam harum partium a die decima quinta menſis receſſiſſe monet, quandoquidem ita inter ſe convenerint, ut, quo anno neomenia Niſan Badu foret, hoc eſt, incideret in ferias 2. 4. 6, eo anno primam menſis diem illis ipſis feriis Iſraelitæ agerent, poſtridie Judæi. Diem autem cujusque menſis primam & quintam decimam in ſimilem feriam cadere. Nec violaſſe ullam ex his gentibus legem, quæ diem decimam quintam primi menſis, non Lunam decimam quintam præſcripſerit, unde altera alteri cedere in hoc negotio, & in numero dierum ſe accommodare neceſſitati, ac neomeniam tardius uno die, quam ſocii, ſanctificare licite potuerit. Quocirca anno æræ Chriſtianæ XXXII. hanc fuiſſe Paſchatis rationem ait:

Dies

Dies menſis Niſan. Galilæis.	Judæis.	Dies hebdomadis.
13.	14.	Sabbatum. Paſcha mactatur ad veſperam pro Judæis.
14.	15.	Feria 1. Paſcha Judæorum, primus dies azymorum, dies feſtus ac ſolennis. Ad veſperam Paſcha mactatur pro Galilæis.
15.	16.	Feria 2. Paſcha Galilæorum, dies azymorum ſecundus, in Galilæa primus.

Et viciſſim iſtam A. XXXIII. qui fuerit Badu Chriſtique ſupremus:

Dies menſis Niſan. Galilæis.	Judæis.	Dies hebdomadis
14.	13.	Feria 5. dies decima quarta menſis primi apud Galilæos, a veſpere diei præcedentis. De ea Luc. XXII, 7. *venit dies azymorum*, quia venit hora, quando Paſcha immolabant Sacerdotes in templo pro Galilæis, quod Paſcha cum azymis edebatur. Mittit igitur Chriſtus Petrum & Johannem in civitatem, qui parent Paſcha. Occidente Sole venit in urbem, veſpereque facto cum diſcipulis diſcumbit.
15.	14.	Feria 6. prima dies azymorum, eademque decima quarta menſis primi apud Judæos, a veſpera præcedentis diei, dies paraſceves, dies feſtus ac ſolennis in Galilæa. Circa horam nonam Chriſtus extremum ſpiritum in cruce reddit. In templo Phaſe & ſacrificium pro Judæis immolant Sacerdotes ab hora nona, & Paſcha manducant nocte prima cum azymis. Ceſſatio tamẽ operis ſervilis tantũ a Solis occaſu.
16.	15.	Sabbatum. Dies ſecundus azymorum, feſtus dies ac ſolennis Paſchæ Hieroſolymis. Chriſtus Dominus in ſepulchro jacuit toto die.

Sed

Sed heic excurſionem quandam inſtituere Auctori libuit, dum rationes computandi neomenias, quæ apud Judæos olim invaluerunt, late examinat, & imprimis, quidnam ſit Joh VII, 14. *jam autem die feſto mediante*, diſquirit. Brevem etiam Hiſtoriæ Evangelicæ contextum, juxta ordinem menſium dierumque diſpoſitum ſubjungit, & ex eo paſchata imprimis a Chriſto, dum doceret publice, peracta illuſtrat. Hieroſolymis nimirum id factum non fuiſſe, præterquam in annis Badu XXXI & XXXIII; anno enim XXX, niſi propter baptiſmum, e Galilæa pedem ipſum non extuliſſe, anno ſimiliter XXXII, ibidem permanſiſſe uſque ad feſtum Scenopegiæ. Quid? quod & primum Paſcha, quo functus ſit tantum duodecennis, anno ſcilicet XIII. æræ Chriſtianæ, Badu fuerit; ut videatur, noluiſſe eum Hieroſolymas ad diem Paſchæ ſe conferre, aut certe ſuum in hanc urbem adventum illo die feſto literis conſignari, niſi quo anno gens Galilæa propemodum univerſa ad Phaſe celebrandum illuc convolaret, atque adeo eo anno, qui Badu foret. Galilæos etenim multo majori cum frequentia ad feſtum Paſchæ annis Badu, quam cæteris annis aliisve diebus feſtis confluxiſſe, Lege enim conſtituta a majoribus, patresfamilias tunc debuiſſe adire templum, & mactare Phaſe, quod in cujusq; arbitrio poſitum reliquis annis fuerit, quanquam tamen ſingulis omnino plurimi diligenti ſtudio eo properarint. Ut ita Chriſtus Dominus ſalutari ſuæ paſſioni annum illum ſelegerit, quo utraque gens fere univerſa, Juda & Iſrael, Hieroſolymam convenisſet. Neque vero Herodem ipſum, Tetrarcham Galilææ, qui, ut alii multi gentiles (Joh. XII, 20.) aſcendere ſolitus fuerit, ut adoraret in die feſto Paſchæ, Hieroſolymis adfuisſe dici cum ſuis Herodianis, præterquam in annis Badu XXXIII & XLIII, quaſi non eo venritaret, ut privati plerique omnibus annis conſueverunt, ſed quibus annis duntaxat jus eſſet univerſæ ſuæ ditionis, priore loco in Paſcha Hieroſolymitano templo velut potiri, atque ibi dominari. Porro a Chriſti baptiſmate uſque ad ejus obitum quatuor Paſchata numeranda eſſe diſputat, tametſi tria tantum a Johanne commemorentur, qui primum idcirco prætermiſerit, quoniam res geſtas a Domino narrare exin tantum aggreſſus ſit, ex quo Judæis Chriſtus primum innotuerit, Johanne honorificum de ipſo teſtimonium Sacerdotibus eorum ac Levitis perhibente. Ulterius, cum mentio fiat Joh. V, 1. diei feſti Judæorum, & hic, ut ſacer Evangelii Scriptor haud obſcure ponat, in feriam ſextam incurrerit, non intelligi debere ait Paſcha, ſed feſtum *ſortium*, præter quod anno Judaico XXXI. (hoc eſt, a Niſan uſque ad Niſan,) quo id contigerit, nullus inſuper dies feſtus in hanc feriam inciderit. Tandem ex ſerie rerum, quas Matthæus commemoret, haud immerito colligi obſervat, ſabbatum δευτερόπρωτον, de quo tantopere diſceptetur, nihil aliud, quam ſabbatum primum ſecundi menſis ſive intercalaris fuiſſe, quem etiamnum Adar ſecundum vocent. Nam uti aliorum menſium ſabbata appellarint Niſan primum, Niſan ſecundum, Niſan tertium, Niſan quartum: Jjar primum, Jjar ſecundum, & ſic de reliquis: ita ſecundi Adar ſabbata deſignari brevius commodiusque non potuiſſe, quam per ſecundi primum, ſecundi ſecundum, ſecundi tertium, ſecundi quartum. Fuiſſe autem illud ſabbatum anno iſto XXXII. æræ Chriſtianæ diem primam Martii, litera Dominicali E, neomenia civili in illum ipſum diem cadente, circa quod tempus ſpicæ hordei in illo tractu pene maturæ fuerint.

* *
*

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II. Sect. IX.

HENRICI HULSII, THEOLOGI BRANDENBURGICI in Academia Electorali Duisburgenſi, Syſtema Theologiæ plenum.

Lugduni Batavorum, apud Jordanum Luchtmans, A. 1694. in 8. Conſtat alphab. 2. plag. 2.

NOn eandem per omnia ſervare conſueverunt Theologi Doctores methodum, quando univerſam de Deo ac rebus divinis doctrinam Breviariis, quæ vocantur, & Syſtematibus includunt. Eam enim quisque viam tunc ingreditur, quam ipſe reputat expeditisſimam, ac pro ingeniorum adeo diverſitate non poteſt non & heic oriri maxima diverſitas. Exhibuimus nos ſubinde haud pauca ejus rei teſtimonia, quæ pasſim in Actis noſtris recenſita comparent, ac inter ea locum ultimum ſuperiori anno p. 346. ſeqq. nos asſignaſſe recordamur Theologicis Inſtitutionibus, quæ Nicolao Gürtlero auctore in lucem tunc prodierant. Operam vero eandem novum hoc exemplum poſtulat, quod adornatum videmus a Viro celeberrimo, Henrico Hulſio, cujus de Vallibus Prophetarum ſacris Commentarium ſub anni 1694. initia pag. 38. ſeqq. & pag. 67. ſeqq. ſat prolixe excerpſimus, ejusdem Meditationibus in verba Ithiel, Uchal, & Lemoël pag. 77. ſeq. adjunctis. Huic nempe viſum fuit, filo magis naturali haud facile ſe contexturum aliquod Syſtema Theologicum, quam ſi molitionem, opus, & ſabbatum Dei tractationis ſuæ cynoſuram conſtitueret, Numenq; ſupremum in molitionibus ex abyſſo æternitatis ad extra prorumpens, dehinc in opere, quæ molitū ante fuerat, exequens, ac tandem opere omni abſoluto & ad colophonem

phonem dignum perducto feriatum ſabbatumque celebrans decentisſimum ac beatisſimum intento ubivis oculo reſpiceret. Quamobrem poſt veſtibulum & prolegomena, in quibus ſuum inſtitutum latius exponit & corroborat, negotium ipſum aggreditur, viginti quinque capitibus ita totum abſolvens, ut omisſis fere terminis ſcholaſticis, omiſſo etiam utplurimum argumentorum, quæ ſecus arbitrantes urgent, apparatu, ſuam, quam cum Reformatis profitetur, theſin diſcurſu perpetuo delineatam cum legentibus communicet.

Ut autem modum, quem obſervat, eo teneamus evidentius, contenta ſingulorum capitum ſummatim indicare non pigrabimur. Exorditur ſtatim a Deo in eſſentia ſpectato, demonſtrataque ante e-
Cap. I. jus exiſtentia, de nominibus Jehova & Elohim nonnihil diſſerit. Hinc ejus attributa recenſet, exiſtentialitatem, quam vocat, omnirealitatem, independentiam, vitam, æternitatem, ſimplicitatem, immutabilitatem, ſanctitatem, gloriam & beatitudinem, intellectum, potentiam, voluntatem. De cætero Deum accurata aliqua definitione ob oculos quaſi proponi poſſe negat, bene tamen ipſum ens ſumme perfe-
II. ctum appellari concedit. Quemadmodum vero eſſentiam Dei ad unitatem in ea concipiendam nos deducere affirmat, ita mox ad hanc quæſtionem progreditur: qua ratione, iſta non obſtante, Deus tamen ut trinus ſimul cogitari debeat? Ubi Trinitatis & omni tempore & in omni negotio divino habitam fuiſſe rationem exquiſitam oſtendit, & ejus posſibilitatem decentiamque ac necesſitatem uberius declarat. In modo concipiendi reverentem eſſe quemlibet debere admonet, terminosque heic uſurpari ſolitos explanat. Porro generalem pluralitatis ac ſpecialem Trinitatis probationem ſuppeditat, Filiique ac Spiritus Sancti divinitatem uberrimo argumentorum numero vindicat.
III. Sequuntur decreta, atque inter hæc ſigillatim prædeſtinatio, cujus objectum facit hominem creabilem & labilem, parteſque duas, electionem & reprobationem, circa quas regulam & cauſam minime vocari patitur fidem aut incredulitatem prævifam, ſed in ejus locum meram Dei ac liberam voluntatem ſecundum placitum agentem ſubſtituit, ſententiamque, quam Reformati tueri ſolent, conatu non parvo de-
IV. fendit. Hæc excipit articulus de creatione, qui adjunctam habet doctrinam de hominis natura & eſſentia, de conceſſo ipſi in creaturas dominio, ac de matrimoniali, quæ ab initio ordinata fuit, copula.

Dire-

Directionem hominis primi non per externam quidem diſtinctamque V.
legem fieri tunc debuiſſe, nec tamen hiſtoriam ipſam in præceptis particularibus ponendis deficere affirmat, & quomodo officia primi hominis non per legem proprie dictam, ſed fœderali modo exacta fuerint, oſtendit. Vires ad ſervandum fœdus hoc Dei imprimis imaginem ſubminiſtraſſe docet, atque hanc ob rem integram de ea doctrinam hoc in loco inſerit. Vocatur ab Auctore memorata hactenus
directio morale regimen; huic ergo ſtatim phyſicum ſubjungit, per VI.
quod divinam providentiam intelligit, cui ſingulare caput conſecrat, ſed ita tamen, ut partem ejus haud exiguam miniſtris hujus providentiæ Angelis ſimul concedat. Miſerandam dehinc operis primi in VII.
Adamo collapſionem explicat, & quicquid de peccato, ejusque natura, diſtinctione, effectis, reliquisque eo pertinentibus, in ſcholis Theologorum, Reformatorum imprimis, alias proponitur, ſuppeditat.
Mox tamen ad felicem reparationem progreditur, quam per fœdus VIII.
gratiæ factam innuit, iſtiusq; naturam latius inſinuat, potisſimum examinans ſponſionem a Filio pro nobis præſtitam, ejusque mediationem, cujus inter alia æquitatem ac perfectionem ſolicite declarat.
Nec poteſt, quin perſonam Mediatoris heic ex inſtituto deſcribat. An- IX.
te omnia proinde adventum ejus pridem factum adſtruit, poſt perſonæ hujus partes, partiumque unionem, & unionis modum, effectum,
principium ſpeciatim excutit. Antequam officia perſonæ hujus ag- X.
grediatur, de ſtatu exinanitionis, deque aliis ad vitam ejus privatam pertinentibus paucula in medium adducit. Poſtea Propheticum, Sacerdotale, & Regium officium diſtincte conſiderat, ſingulorumque executionem ut eo melius deducat, obedientiam totius vitæ activam & pasſivam, pasſionem ultimam ac mortem crucis, ſepulturam & deſcenſum ad inferos, reſurrectionem, aſcenſionem, ad dextram Patris ſesſionem, & denique Spiritus Sancti misſionem ſimul delineat. Im-
petrationi gratiæ nunc ejus applicationem aſſociat, de cujus medio a XI.
parte Dei, vocatione, & a parte hominis, fide, de actu inſuper, quem
deprehendamus in juſtificatione, plura commentatur. Nec, quam XII.
operoſa ſit hæc gratia, docere intermittit, ac adeo doctrinas heic inſpergit de adoptione, de regeneratione, de ſanctificatione, de reſipiſcentia. Interim nihil hactenus de Scriptura ſacra fuit monitum;
ejus igitur nunc demum occurrit mentio, dum opus Dei huc usque de- XIII.

 ſcriptum

ſcriptum literis utique conſignari debuiſſe Auctor ſubjicit, & locum de Scriptura, qui primus eſſe ſolet apud alios, heic quaſi medium conſtituit, de utroque pariter Teſtamento, & de Lege non minus, morali puta, ceremoniali, forenſi, ac de Evangelio ſuos copioſe informans. Ad obſignationem gratiæ novique operis confirmatoriam pedem
XIV. proferens, tractationem plenam exhibet de Sacramentis, & generatim ſpectatis & ſpeciatim, ubi ex Veteri Teſtamento Circumciſio & Paſcha, ex Novo Baptiſmus atque Cœna Domini conſiderationem juſtam impetrant, nec ſpuria, quæ Pontificii ſuperaddunt, Sacramenta
XV. ſicco pede Auctor tranſilit. Subjecti gratiam recipientis ubi meminit, locum illuſtrat de Eccleſia, deque Miniſterio Eccleſiaſtico, ac de Politico Magiſtratu Eccleſiam dirigente; ubi multa quoque occurrunt de diſciplina Eccleſiaſtica, atque inde doctrina de Anti-Chriſto ſubjicitur. Cuncta hæc ſub nomine primi Dei operis tractavit hactenus, eademque vocavit præparationem perfectam novæ ſalutis in ſe. Nunc ejus diſpenſationem variam ſub titulo ſecun-
XVI. di operis conſiderat. Et ad diverſa quidem tempora reſpectum habet, quorum aliud promisſionis facit & erectionis fœderis gratiæ in Paradiſo, usque ad eductionem Iſraëlitarum ex Ægypto excurrens; cujus temporis periodum quoad rationem & cultus & doctrinæ depingit, & tempus illud fuiſſe dicit lene, in quo pura puta gratia ac promisſio dominata ſit ſine lege ejusque ira ac jugo, & quidem tanquam promisſio ſine ſui impletione. Aliud deinde tempus vocat Veteris
XVII. Teſtamenti nudi, in quo Deus bona Teſtamenti ac promisſionem Patribus factam exhibere inceperit, ſine jugo tamen ac onere gravi ad-
XIIX. huc addito. Tertium dicit tempus Veteris Teſtamenti lege ac jugo tecti, in quo lege ad promisſionem accedente, tale in populum exercuerit dominium, cum rigore ac onere vario conjunctum, ut inter here-
XIX. dem, puerum, & ſervum vix diſcrimen apparuerit. Tandem quartum tempus Novi Teſtamenti nuncupat, quod complectatur œconomiam Eccleſiæ ultimam ac meliorem, qua ob juſtitiam actu adductam & liberi ſimus ab omni illo, quod propter extantem reatum olim incubuerit, & bonis ac promisſionibus melioribus ſine omni onere ac jugo gaudeamus. Sequitur applicatio diſtributiva gratiæ, quæ Auctori tertium Dei opus audit, iſtamque pro quatuor horum tempo-
XX. rum diverſitate & ipſam extitiſſe diverſam innuit. Sub tempore

pro-

promiſſionis quaternis vicibus reſtauratas Eccleſiæ collapſæ res, nimirum in Abele, in diluvio, in ſcelere Babylonico, & carcere Ægyptiaco; quorſum faciem Eccleſiæ, quam ea usque ad eductionem Iſraelitarum ex Ægypto habuerit, contemplatur. Ad tempus Veteris Teſtamenti XXI.
integrum refert eductionem ex Ægypto, vagationem in deſerto, habitationem in occupata terra Canaan, præparationem Eccleſiæ ad tempus emendationis ac novum. Magnam hoc tempus conficit periodum, & quam hiſtoriæ eccleſiaſticæ partem hoc caput ideo ſub ambitu ſuo complectatur, unusquisque haud difficulter judicabit. Ubi XXII.
denique perventum eſt ad tempus Novi Teſtamenti, hiſtoriam ſeculorum a nato Chriſto carptim a Noſtro perluſtrari intelligas. Atque hæc ea ſunt, quæ occaſione molitionis operisque Dei monenda is exiſtimavit. Nunc ad Sabbatum ſeu ad quietem Dei, tanquam ad ultimam Syſtematis hujus partem, & eam cæteris multo breviorem, ſeſe confert. Nempe heic oſtendit, ut in Novo Teſtamento jam adeo XXIII.
perfecta ſint omnia, ut Deus & a diſtributione & a diſpenſatione olim XXIV.
uſurpata quieſcere omnino dicendus ſit. A quo etiam Chriſtus arduum ſalvationis opus voce alta: conſummatum eſt! perfecerit, re- XXV.
ſtare nunc ait quietem, cujus in hac vita primitias, plenamque in altera copiam habituri ſint fideles. Quamobrem & de beatitudine inchoata generatim pariter ac ſpeciatim agit, perſeverantiam Sanctorum ſalutisque in hac vita certitudinem (ſed ex ſuis hypotheſibus,) declarans; & de conſummatione ipſa Sabbatica diſtincte diſpicit, quæ contineatur his quinque: morte ac ſtatu circa eam, reſurrectione corporis, judicio ultimo, conſummatione ſeculi, vitaque ac morte æterna. Quæ extrema pro inſtituti ratione excutit, inque iis extremam quoque ſuo operi manum imponit.

FRIDERICI SPANHEMII F. CONTROVERSIArum de Religione cum diſſidentibus hodie Chriſtianis, prolixe & cum Judæis, Elenchus Hiſtorico-Theologicus.

Amſtelod. apud Joh. Wolters, 1694. in 8. Conſtat 1. Alphab. 21 plagulis.

CUm Elenchi hujus a magni nominis inter Reformatos Theologo octo abhinc annis editi contenta in Actis noſtris anni octavi & o-

ctogeſimi, menſe Februario p. 57. ſeqq. pro inſtituti ratione ſatis jam exhibita fuerint, nunc ſaltim paucis indicaſſe ſufficiet, in nova hac editione cuilibet fere controverſiæ Pontificiæ πρῶτον ψεῦδος ſub finem adjectum fuiſſe, cæterisque controverſiis augmenta quædam ad majorem earum illuſtrationem facientia ſubinde acceſſiſſe; atque in elencho controverſiarum Anabaptiſticarum Arentſonium a Dooregeeſt, Rypenſium Mennonitarum Miniſtrum, qui in epiſtola quadam Belgico ſermone exarata errores complures, Anabaptiſtis a celeberrimo Spanhemio tributos, amoliri conatur, ob inſcitiam vel malam fidem paſſim vapulaſſe. Cum & ab eo tempore, quo Elenchus iſte in lucem publicam primum prodiit, periculoſæ quædam hypotheſes a nonnullis Reformatis Theologis in ſcenam productæ fuerint, easdem in iterata hac editione ſilentio premere noluit clariſſimus Au-
p. 665. ſeqq. ctor. Hinc in appendice controverſiarum noſtra ætate motarum, perſtringit Anonymum Groninganum, qui in ſcripto multa lucerna elaborato, atque anno 1690 edito, contendit primo, Scripturam utriusque fœderis totam eſſe allegoricam, & hiſtorias omnes Veteris & Novi Teſtamenti, quibus ſeu naturalia omnia allegorice explicentur, ſeu futura Eccleſiæ fata ita præfigurentur, ut hiſtoriæ Veteris Teſtamenti exacte figurarint hiſtorias Novi Teſtamenti, hæ vero omnem œconomiam regni Dei in mundo allegorice & prophetice explicarint: ſecundo aſſerit, nulla dari in Scriptura Sacra myſteria, quæ ſint rationi naturali inacceſſa, vel incomprehenſibilia, aut quæ nefas ſit ſcrutari. Unde v. g. myſterium Trinitatis, ſeu Patris generantis, Filii geniti, Spiritus Sancti a ſpirando denominati, explicat allegorice, de generatione typica, impropria, qua Pater duxerit uxorem Eccleſiam, Filium ſuſcitaverit ex mortuis, qui ſua reſurrectione inceperit ſpirare
p. 667. ſeqq. & vitam dare peccatoribus. Iſti ſubjungit Autorem Archæologiæ Moſaicæ (Thomam Burnetium) ſtatuentem, Hiſtoriam Moſaicam de prima creatione, hexaëmero, Adamo, Eva, Paradiſo, ſerpente tentatore, primis adeo originibus, non intelligendam eſſe in ſenſu literali, hiſtorico & proprio, quaſi hic fuiſſet mundi ortus, ſecundum veritatem hiſtoricam vel phyſicam; ſed deſcribi omnia a Moſe λαοδογματικῶς, ſeu modo parabolico, & craſſo, & ex ſenſu plebejo, pro captu & ingenio Judæorum: idque ut duceret eos ad veri Numinis cultum, & idololatriæ radices evelleret, poſitæ in cultu Solis, Lunæ, ſiderum,

quæ

quæ hinc exhibeat Moſes tanquam corpora in uſus noſtros condita. Cujus Viri hypotheſes de rerum originibus in Actis anni 1693, menſe Junio p. 270. ſeqq. & menſe Julio p. 291. ſeqq. a nobis prolixius recenſitæ legi poſſunt. Obelo quoque notat Franekeranum Theologum, p. 671. ſeqq. cujus κυρίας δόξας duas eſſe judicat. Quarum prima ſit, appellationem Filii tributam ſecundæ Perſonæ S. Trinitatis, ut & generationem ex Patre, non intelligendam eſſe proprie, ut fit ab orthodoxis, de vera aliqua generatione, æterna illa quidem & ineffabili, ſecundum quam Pater generans ſit vere & proprie Pater, & Filius genitus ſit vere & proprie Filius, modo tamen naturæ divinæ convenienti: nihil autem iſtis vocibus, Patris & Filii, Generantis & Geniti, innui aliud in Scriptura Sacra, quam 1. quod ſecunda Perſona habeat eandem cum prima Perſona eſſentiam & naturam, illique ab æterno coextiterit; negato modo illo habendi per ineffabilem generationem & ſublata perſonali illa ſubſiſtentia Patris generantis & Filii geniti: 2. quod reſpiciant illa ad œconomiam Teſtamenti gratiæ, ad manifeſtationem in carne ſecundæ perſonæ, tanquam in viſibili Dei imagine, & ad executionem officii mediatorii, ad quod datus eſt a Deo Patre; quo ſenſu generare ſit idem quod manifeſtare, gigni idem quod manifeſtari, patefieri, citatis locis Prov. XVII. 17. XXVII. 1. Cantic. VIII. 5. Altera ejusdem Theologi aſſertio eſt, mortem temporalem fidelium eſſe vere & proprie dictam pœnam peccati, qua ſatisfiat Dei juſtitiæ: atq; exinde ſequi, Chriſtum non ita plene Deo ſatisfeciſſe, ut etiam ſatisfecerit pro morte temporali, quatenus hæc eſt peccati pœna. Tandem & p. 673. ſeqq. mentionem facit hypotheſium a Balthaſare Bekkero in Orbe Faſcinato propoſitarum, quas, utpote ſatis in Actis anni 1692, menſe Januario p. 19. ſeqq. & anni 1694. menſe Junio p. 241. ſeqq. enarratas hic adducere ſuperſedemus.

HISTORIA PERSECUTIONIS VANDALICÆ IN duas partes diſtincta, opera & ſtudio DOMNI THEODORICI RUINART, *Presb. & Monachi Benedict. e Congregat. S. Mauri.*

Pariſiis, apud Franc. Muguet, 1694. in 8. Conſtat alphab. 2.

QUam non animo ſolum concepit, ſed & paratam jam habet univerſam Hiſtoriam Perſecutionum ab Arianis tum Imperatoribus

bus tum Barbaris motarum clarisſimus Ruinartus, ejus quaſi ſpecimen eſſe voluit & partem, Vandalicæ perſecutionis, quam hic ſiſtimus, enarrationem. Scilicet, qui ante annos non ita multos in evolvendis priſtinoque ſplendori reddendis ſinceris primorum Martyrum Actis occupatus fuerat; de quibus in Actis noſtris Tom. I. Supplem. Sect. XII. p. 593. dictum: is in inſtituto, laudatisſimo ſane, pergere, & a paganis Chriſtianorum perſecutoribus ad Arianos Catholicorum tortores, prioribus haud minus ſævos, pedem promovere decrevit. Vandalos autem ſibi præcipue deſcribendos ſumſit; tum quod illorum perſecutio vulgo parum accurate nota, digna omnino limatiore ſtudio videretur; tum quod magna Barbarorum immanitas, Martyrumque & Confeſſorum multitudo exemplum Ariani genji eſſet præbitura. Ceterum ita in duas partes ſuam hanc Hiſtoriam dividit Ruinartus, ut prior libros V. Victoris Epiſcopi Vitenſis, & alia antiqua monumenta cum Codd. MSS. collata & emẽdata, cum notis & obſervationibus contineat: poſterior vero Commentarium hiſtoricum de Vandalicæ perſecutionis ortu, progreſſu & fine, ab ipſomet Ruinarto elaboratum ſiſtat. De ſingulis nunc ſeparatim pro inſtituti ratione breviter aliquid dicendum.

Agmen, uti diximus, Victor Vitenſis ducit; cui præfationem (ut reliquis omnibus opuſculis) peculiarem clarisſimus Editor præmittit. In ea poſtquam cauſam, cur de Vandalicis rebus tam pauca habeantur, aperuiſſet, (innatam genti ſævam barbariem, qua non loqui tantum, ſed & ſcribere prohibuerit,) ad ipſum Victorem pergit, eumque falſo Uticenſem a compluribus vocari exinde poſt alios confirmat, quod eo tempore, prout e Notitia Eccleſiæ Africanæ liqueat, Fulgentius Epiſcopus loci illius fuerit, nec ullo fundamento huic ſucceſſiſſe Victor credatur: teſtari potius univerſalem MSS. Codd. conſenſum, Vitenſem eſſe ſcribendum, quod probe Rhenanus primus editor obſervaverit. Primum vero nominis corruptorem putat Reinh. Lorichium, qui in editione ſua Colon. 1537. impreſſa Uticenſem pro Vitenſi poſuerit, forte non tam codicum fide, quam ſua conjectura ſubnixus: hunc ſecutos dein alios, & ſic errorem latius ſerpſiſſe. Perperam autem ait a Lorichio creditum, non fuiſſe niſi urbium Epiſcopos; cum in Africa plures fuerint in villis & fundis per agros inſtituti, exprobrantibus id ſibi mutuo Aurelio Catholico, & Primiano Dona-

tiſta

tiſta, Epiſcopis Carthaginenſibus, in Collatione Carthaginenſi. An Victor hic idem ſit Primas provinciæ Byzacenæ, quo concedente Fulgentius in Ruſpenſis Eccleſiæ thronum evectus eſt, quod Chiffletio viſum, Noſter in medio relinquit. Non minus, num catalogo Sanctorum Victor unquam adſcriptus fuerit, dubitare ſe fatetur, ejusque nomen ab aliena manu Martyrologio intruſum, Holſtenium merito conqueſtum ait. Manifeſtius adhuc quoad locum, in quo ſcripſerit Victor, a Chiffletio & Cotelerio ſe alienum Ruinartus oſtendit, quorum ille Conſtantinopoli, hic in Veteri Epiro ſcriptam hiſtoriam arbitrantur; Noſter vero conjicit, Victorem in Africa Hiſtoriam ſuam exaraſſe. Multo gravius adhuc in eo Chiffletium reprehendit, quod Acacio CPlitano inſcriptam abs Victore Hiſtoriam affirmat, bonoque adeo Viro notam Acaciani ſchiſmatis inurit: cum Africani Epiſcopi, & inter eos Victor, Romanæ ſedi adeo fuerint addicti, ut manifeſtisſimum illius hoſtem coluiſſe credi non queant. Confeſſio Fidei Hunerico Regi oblata, quæ L. III. Hiſtoriæ Victoris continetur, num Victorem ipſum auctorem habuerit, dubium eſſe monet, cum Gennadius in Catalogo ejus auctorem faciat Eugenium Carthaginenſem Epiſcopum. Ab ea autem Confesſione alium memorat eſſe Librum, quem a Victore Cartennenſi ſcriptum & Genſerico Regi oblatum, Gennadius teſtis eſt. Exinde codices manuſcriptos, quibus frui ipſi licuit, nec non varias Victoris editiones ſtudioſiſſime recenſet. Quibus miſſis, ut novam tandem hanc, quam Ruinarto debemus, Victoris editionem aggrediamur, veriſſimum ſane eſt, quod in fine Præfationis ipſe teſtatur, diligentiam ipſi non defuiſſe; ſiquidem non terſa ſolum eſt & nitidiſſima, verum & emaculatiſſima & notis egregiis illuſtrata, e quibus pauca nunc, ſpeciminis loco, excerpta dabimus.

In Victoris Prologo Diadochi mentio occurrit, isque ut præceptor ejus, cui librum Victor dedicat, multis laudibus cumulatur. Hunc eundem eſſe cum Diadocho Photicenſi Veteris Epiri Epiſcopo, quem Photius in Bibliotheca laudat; fuiſſe etiam Acacii Conſtantinopolitani Patriarchæ, cui Hiſtoriam ſuam nuncupaverit Victor, præceptorem, ſuſpicatur Chiffletius. Ruinartus priorem ejus conjecturam a veriſimili non multum eſſe alienam arbitratur; maxime, cum his temporibus Diadochum in Epiro Veteri Epiſcopum ha-

beamus, qui ſub *Didaci* nomine, una cum aliis ejus provinciæ Præſulibus, epiſtolæ ad Leonem Imperatorem datæ (quæ Concil. Chalced. P. III. c. 51. exhibetur) ſubſcripſerit: aſt poſteriorem prorſus reſpuit, quod Acacius ex præfecto orphanorum hoſpitii ad ſedem Epiſcopalem evectus, vix videatur Diadochum audiiſſe. Sicut & negat iterum, Victorem Acacio, in ſchiſmate nimirum extra communionem Romanæ Eccleſiæ defuncto, Hiſtoriam ſuam inſcripſiſſe. In-
p. 150. ter alios a Genſerico in exilium pulſos memoratur L. I. c. 7. *Creſcens Aquitaniæ civitatis Metropolita, qui 120 Epiſcopis præerat.* In hoc loco difficili enodando rejicit Ruinartus primo Baronium atque Lupum, quorum ille pro Aquitaniæ *Azuritanæ* (quæ urbs quidem Africæ Proconſularis erat, ſed non metropolis) hic *Mauritaniæ* (quæ plane urbs nunquam fuit) reponendum cenſent. Baluzio magis aſſentitur, qui *Aquas* Mauritaniæ Cæſarienſis urbem intelligi cenſet. Eum ſane præter id, quod ab Aquis facile, prout in Gallia, poſſit Aquitania derivari, illud præcipue juvare ait, quod Mauritania Cæſarienſis 120 Epiſcopos numerarit; totidem quot Creſcens apud Victorem præfuiſſe dicitur. Quemadmodum vero notiſſimum eſt, in reliquis extra Proconſularem Africam provinciis eum, qui inter Epiſcopos erat ordinatione ſenior, nulla civitatum facta diſtinctione, Primatum obtinuiſſe; ita inſolens videtur, Metropolitanum vocari, qui communiter *Epiſcopus primæ ſedis*, *Senex* aut *Senior* dicebatur. Neque tamen adeo ignotum nomen id Afris fuiſſe aut peregrinum, ex Auguſtino Ruinartus probat, qui initio libri de geſtis cum Emerico Epiſcopo Cæſarienſi Donatiſta, Deuterium Metropolitanum Cæſarienſem appellet; & e Concilio Epheſino, quod Capreolum Carthaginenſem Metropolitanum vocet. Patriarchæ titulum, quem Vandalos
p. 165. Jocundo Epiſcopo tribuiſſe, Victor L. II. c. 5. memorat, familiarem Barbaris fuiſſe, & ab iis in regiones nonnullas, quas incoluerant, introductum, quem & eorum poſteri Catholicæ Eccleſiæ reconciliati
p. 178. retinuerint, cum Thomaſſino obſervat. Ad locum 1. Joh. V. 7. in Confeſſione Fidei ab Africanis Patribus pro probanda SS. Trinitate adductum, annotat, illum in Africanis codicibus religioſius, quam in reliquis, conſervatum fuiſſe, ut ex Cypriano etiam & Fulgentio perſpiciatur. Neque uſpiam Arianos reclamaſſe legi, qui tamen tunc regali potentia freti, nihil non adverſus Catholicos potuerint. Hymnum

mnum Eccleſiæ Græcis ἐπινίκιον vocatum, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* p. 181.
Dominus Deus Sabaoth, qui ſub finem libelli Confeſſionis argumen-
ti loco pro SS. Trinitate adducitur, eſſe diverſum monet a Græco-
rum τρισαγίῳ, hymno alio, quem ipſi ſæpius, Latini nonniſi ſemel in
anno, Feria VI Paraſceves, cantare ſoliti ſint, qui incipiat, *Sanctus
Deus*, *Sanctus fortis*, &c.

Victoris de Perſecutione Vandalica libros *Paſſio SS. VII. Mona-* p. 94. 101.
chorum excipit. Nimirum cum illa de Liberato Abbate ejusque ſex
Sociis, ob orthodoxam fidem ab Hunerico Rege e monaſterio prope
Capſenſem urbem raptis & obtruncatis, Hiſtoria in omnibus, quot-
quot Ruinatus vidit, tum impreſſis, tum MSS. codicibus Victoris
Hiſtoriæ ſubjuncta, imo in nonnullis eorum Victori verbis diſertis
adſcripta inveniatur; quod & ab Adone Viennenſi & Notkero S.
Galli Monacho factum: Ruinartus eandem quoque Victoris libro
ſubjiciendam cenſuit, parumque abeſt ut ab eodem ſcriptam & ipſe
propugnet. Loquendi profecto modis, in utroque opuſculo paſ-
ſim obviis eam ſententiam haud parum confirmari ratus, tandem
concludit, etſi non ſine exceptione certum ſit, Victorem eſſe hujus
hiſtoriolæ auctorem, eam tamen antiquiſſimo ſcriptori, Victorique
coævo, absque dubio tribuendam. Inde in annum atque diem paſ-
ſionis ſeptem illorum Martyrum accuratius inquirit, eaque in re A-
ctis majorem quam Martyrologiis fidem tribuendam ducit. Cæ-
terum natam ſibi ſuſpicionem refert, forſan hos Martyres eosdem
cum iis eſſe, qui in vetuſtiſſimo & coævo ferme Kalendario Africa-
no ſub Capitanorum nomine celebrantur; qua in re conſentien-
tem ſibi Mabillonium, primum iſtius Kalendarii editorem laudat,
qui proinde loco Capitanorum, Capſitanos reponendos duxerit.
Hæc tamen non niſi conjectando a ſe proferri monet, probe gnarus,
fuiſſe & alias in Africa civitates, quibus æque Capitanorum nomen
attribui poſſit.

Poſt ſeam VII Martyrum Hiſtoriam, clariſſimus Editor in du- p. 107.
obus Codd. MSS. Homiliam invenit de S. Cypriano conſcriptam,
quam proinde & ſuæ Collectioni inſerere conſultum duxit; quod,
ut in Admonitione ait, etſi fortean Victoris non ſit, ejus tamen
ſit ætatis, nec omnino quæ ipſi tribuatur indigna. Dicta eſt iis tem-
poribus, quibus Vandali templum pulcerrimum ipſius honoribus in

maris littore ſacratum, ejectis illinc Orthodoxis, tenebant. Hinc ut ſolaretur miſeros Homiliæ auctor, commiſerantem in cœlis ſuorum ſortem S. Cyprianum, & graviter apud Deum intercedentem fingit. Quæ preces, ſecundum Ruinartum, tam efficaces fuerunt, ut poſt Beliſarii in Africam adventum, Ariani, Vandalorum ſtrage audita, in ipſo Cyprianici natalis pervigilio, data fuga copiam Orthodoxis dederint, cum ingenti tripudio feſtivitatem ejus in templo recuperato celebrandi.

p. III. Ex iisdem binis codicibus, quibus Homiliam de S. Cypriano debemus, breve etiam Chronicon eruit Ruinartus, ſcriptum ab incerto Auctore, quem tamen ad ſexti ſeculi finem perveniſſe, protractum eouſque opuſculum ſatis probat. Quanquam vero nihil aliud ferme ſit, quam aliorum Chronicorum, ne verbis quidem mutatis, compilatio; quia tamen aliqua referat, quæ aliunde non habentur, & ad confirmandas auctorum lectiones, quæ in codicibus variæ ſunt, utile futurum ſit, locum illi etiam in hac ſua Collectione dedit.

p. II. Majoris momenti eſt, qui ſequitur Catalogus Epiſcoporum Catholicorum, qui pro fidei ſuæ ratione reddenda, præcepto Hunerici Regis Vandalorum Ariani, Carthaginem venerant; eorum nomina, ſedes & fata ob oculos ponens. Hunc jamdudum Sirmondus e manuſcripto codice Laudunenſi Opuſculis Dogmaticis veterum quinque Scriptorum, ſub *Notitiæ Provinciarum & Civitatum Africæ* titulo, Pariſiis A. 1630. primus publici juris fecit: ſecuti dein Chifletius in editione Victoris & Vigilii, Labbeus in Conciliorum Tomo IV. aliique recudi Notitiam hanc ſuis laboribus nonnihil illuſtratam curarunt. Non tamen id Ruinartum impedivit, quo minus & ipſe curam novæ ejus & accuratæ editioni impendendam in ſe ſuſciperet. Quapropter Lauduno forte tranſiens, Sirmondi editionem cum ipſo, quo uſus is fuerat, codice contulit; varias lectiones notavit; Theſaurum inſuper Ortelii Geographicum Antverpiæ A. 1596 editum, cui paſſim e quodam Halleri codice inſerta locorum Africæ nomina, ex hac Notitia, quam ille Fragmentum Victoris Uticenſis vocat, occurrunt, ſtudioſe evolvit, notiſque longe ampliſſimis totum opuſculum illuſtravit. In Admonitione a Chifletio, qui Victorem vel ipſum hanc Notitiam conſcripſiſſe, vel a forenſi tabulario deſcriptam ſuis certe libris inſeruiſſe exiſtimavit, ejusque adeo Hiſtoriæ libro IV.

IV. eam integram annexuit, diſſentit, neque id rationibus a Chifflletio adductis evinci oſtendit. Cæterum in ipſo Notitiæ illius codice Laudunenſi, ſingulare ſcriptionis compendium obſervavit Ruinartus, ubi nempe poſt Epiſcoporum nomina ſæpiſſime adduntur literæ *prbt*, vel *pbr*, lineola per literam *b* ducta: quarum loco Sirmondus ſemper *per.* poſuit, innui ſcilicet perſuaſus, Epiſcopos, queis iſtiuſmodi notula ſubjuncta eſt, in via *periiſſe*: ſicut ii, qui in Corſicam relegati erant, voce *Corſica*, qui fuga elapſi, voce *fug.* inibi deſignantur. Tutius autem Noſter exiſtimavit ſequi codicem, in quo toties idem repetatur: quamvis calculus eorum, qui periere, ſub finem additus, Sirmondo omnino faveat, nec probabile ſit, tot *Presbyteros* (quos literis *prbt* indicari Ruinartus aliquando ſuſpicatus eſt) loco Epiſcoporum Carthaginem veniſſe.

De cetero in Notis ſuis prolixiſſimis id inprimis & tantum non unice curavit Vir clariſſimus, ut intricatiſſimam Africæ Sacræ ſeu Eccleſiaſticæ Geographiam, omni quo poſſet modo, e ſacris atque profanis monumentis, extricatam faceret & illuſtratam; idque eo alacrius ſe aggreſſum ait, quo magis tali labore ea hactenus indiguerit. Nam Schelſtratenum quidem in *Eccleſia* ſua *Africana* alio cogitationes vertiſſe, neque de Epiſcopalibus Africæ urbibus valde ſollicitum videri. Adjutum tamen ſe plurimum fatetur, tum Henrici de Noris Cenſura Notarum Garnerii in Inſcriptiones Epiſtolarum Synodalium, in qua multa non minus erudito quam ſubtili calamo de Africanis urbibus, abſtruſa prius & multis ambagibus involuta explicet: tum Stephani Baluzii Obſervationibus in Collationem Carthaginenſem, Tomo I. novæ Conciliorum Collectionis ſuæ editam. Nos quidem, qui ad reliqua properamus, e Geographicis Obſervationibus aliquid adducere ſuperſedemus; duo tamen, quæ ad Hiſtoriam literariam faciunt, illinc ſeligentes. Occaſione Calamenſis urbis, quæ in Notitia Epiſcoporum provinciæ Numidiæ cum Quodvultdeo Epiſcopo loco tertio recenſetur, annotat Ruinartus, urbem illam adhuc exeunte ſeculo IX. celebrem fuiſſe, utpote quæ prima recenſeatur urbium Numidiæ in *Notitia*, quæ imperante Leone Sapiente conſcripta fuit. Hanc primus Græce & Latine Carolus a S. Paulo vulgavit, ſed mutilam; quod Guilielmus Beveregius factum putavit in gratiam Rom. Pontificum, cum in ea longe plures Epiſco-

p. 215.

p. 250.

patus Patriarchæ CPLitano, quam Romano ſubjecti enumerarentur: unde idem Beveregius Notitiam iſtam integram e MSS. Bodlejano T. II. Synodici, ad Canones Concilii Trullani, Oxonii A. 1672. publici juris fecit. Enimvero cauſam non habuiſſe Beveregium Catholicis pravæ fidei crimen impingendi, tum ex eo Ruinartus docet, quod in ipſa illa Notitia primum ante omnes Patriarchas locum Romanus Pontifex obtineat: tum quod Notitiam eandem integram penitus & infectam, multo ante quam Beveregius ſcripſerit, Jacobus Goar, vir Catholicus & eruditus, in Appendice ad Codinum Curopalatem Pariſiis A. 1648. ediderit. Alterum, quod ſelegimus excerpendum, de Lucifero Calaritano eſt. Occurrit hujus nominis Epiſcopus, inter Sardos in Notitia nominatos primus. Hunc ipſum eſſe, quem ut Sanctum Sardi venerantur, non priorem ſeculi IV ſcriptorem, qui ſchiſmati vel occaſionem vel nomen tribuerit, Natalis Alexander ſuſpicatur. Verum Ruinartus Papebrochio magis accedit, qui ut inanem Natalis ſuſpicionem rejicit, & pro ſanctitate prioris aſſerenda, multa eſſe & gravia ex antiquis ædibus ſacris, quæ ſub ejus nomine paſſim in Sardinia habentur, & traditione Eccleſiæ Calaritanæ, argumenta, cum Ambroſio Machino ejusdem urbis Archiepiſcopo affirmat.

Pergendum nunc ad Partem II. Operis, quæ nihil aliud eſt, quam ipſius Ruinarti de ortu, progreſſu atque fine Vandalicæ perſecutionis Commentarius, juxta Regum ſeriem e variis monumentis ſtudioſiſſime digeſtus. Multa in eo ſunt, quæ ad hiſtoriam Martyrum & Confeſſorum (quam præcipue ſemper ante oculos habuiſſe Cl. Virum, manifeſtum eſt,) multa, quæ ad hiſtoriam literariam Eccleſiaſticam plurimum omnino conducunt. Et ut a priori incipiamus, ſpeciminis loco nominari poſſunt Martyrium Arcadii & ſociorum c. IV; S. Juliæ virginis ab Arianis venditæ, a Syris ethnicis interemtæ c. V. Hiſtoria Confeſſorum exciſis linguis non absque miraculo inſigni loquentium c. VII; Eugenii Carthaginenſis Epiſcopi ſub Hunerici perſecutione vexati c. VIII, & Fulgentii Ruſpenſis, c. X. ſqq. Pertinent huc quæ ex antiquis monumentis ut plurimum cum Codd. MSS. collata & notulis nonnullis illuſtrata profert: qualia ſunt Epiſtola Honorati Antonini hortatoria ad Arcadium martyrem c. IV; Acta S. Juliæ c. V; Hiſtoria fuſtigationis Felici Ab-

bati

bati & Fulgentio tum adhuc monacho, ab Ariano ſacrificulo inflictæ, e Gregorio Turonenſi hauſta c. X; Symmachi P. R. epiſtola ad confortandos Afrorum animos inter tot calamitates perſcripta, c. XI: quæ omnia diligentiam Ruinarti ſummam utique oſtendunt.

Ad literariam hiſtoriam pertinet, quod Dextrum, prout hodie ſupereſt, ſuppoſititium, & ejus librum Pſeudo-Chronicon nebulonis, cui fidem ullam adhibere religio ſit, agnoſcit c. II. Honoratum Antoninum nomen unius viri, Conſtantinæ urbis in Africa (quæ Cirta olim, & a nonnullis Conſtantia perperam nuncupetur) Epiſcopi eſſe, ex antiquiſſimo Gennadii codice ab annis 1100 Merovingico ſeu Franco-Gallico charactere ſcripto, poſt alios, contra Baronium & Miræum confirmat c. IV. Ibidem de auctore libri, qui ſub titulo *Declarationis quorumque locorum de Trinitate contra Varimadum* (ex emendatione Sirmondi, Marivadum) *Arianæ ſectæ Diaconum*, tempore perſecutionis prodiit, diſquirens, breviter perſtringit Chiffletium, qui Vigilium Tapſenſem ejus auctorem fecerit contra MSSrum fidem, quæ, fatente ipſo, Idacio opus illud adſcribant. Idacio autem non Clario, Epiſcopo Hiſpano, qui temporibus Theodoſii Magni celebris fuit, ſed Idacio alteri, Lemicæ in Gallæcia Epiſcopo, qui Genſerici temporibus floruit, cujus Chronicon extat, tribuendum exiſtimat. C. VI. in Petrum de Natalibus Epiſcopum Equilinum invehitur, quamque una cum Ferrando exſcriptore ſuo in Africanorum Martyrum hiſtoria turpiter errarit, adductis tribus exemplis memorat; conqueſtus horum oſcitantia & hiſtoriæ perturbatione factum, ut Martyrum geſta, alias ſinceriora, ſua auctoritate excidant. Eſſent adhuc plura, quæ memorari non injucundum foret, niſi ſpecimen ſolum, non librum ipſum, exhibere propoſitum nobis fuiſſet.

NOUVELLE BIBLIOTHEQUE DES AUTEURS Eccleſiaſtiques. Partie II du Tome III, par M. L. E. DU PIN.

h. e.

NOVÆ BIBLIOTHECÆ AUTORUM ECCLESIAſticorum Tomi III Pars II, complectens Scriptores ſeculi poſt C. N. quinti, totiusque Operis Tomum IV. conſtituens.

Autore LUDOVICO ELIA DU PINO.

Montibus Hannoniæ, ſumtibus Huguetanorum. 1691. in 4.

Conſtat alphab. 2. plag. 7.

Primum

PRimum hujus Bibliothecæ Tomum in *Actis* A. *1693. pag. 77. ſeqq.* ſecundum *eodem anno pag. 438. ſeqq.* & tertium itidem *anno eodem pag. 489. ſeqq.* recenſuimus, & quidem verſionem eorum Latinam tum temporis ſecuti. Nunc quartum ejusdem Bibliothecæ Tomum, cujus Latinam verſionem fruſtra hactenus expectavimus, ex Gallica editione Lectorum noſtrorum oculis ſiſtimus, partem ſecundam tomi tertii conſtituentem. In prima enim ad annum uſque poſt C. N. 430, in recenſendis Eccleſiaſticis Scriptoribus Autor fere pervenerat. Cœptum igitur in ea filum hoc, quem præ manibus habemus, tomo pertexit, & ad finem uſque ſeculi ſemper ſibi ſimili elegantia ac nitore deducit.

p. 2. Dicendorum initium facit ab *Attico* Epiſcopo Conſtantinop., cujus Epiſtolam ad Calliopium e Socrate, ad Eupſychium ex Theodoreto, ad Cyrillum denique ex Facundo Hermianenſi & ipſo Cyrillo memorat. Et quamvis a Vincentio Lirinenſe inter eos non numeretur, quorum pro fide Catholica teſtimonia in concilio Epheſino allegantur, tribus tamen vicibus in illo citatum fuiſſe, ex actis hujus concilii conſtat. Locum autem in concilio laudato allegatum, ex homiliarum ejus aliqua depromptum quidem exiſtimant Viri docti; recte tamen omnino ſentire videtur Autor noſter, qui libri ejus de fide & virginitate, in quo Neſtorianiſmum Gennadio teſte prædemnavit, fragmentum illum eſſe docet, a Cyrillo quoque Alexandrino in
p. 4. literis ad Imperatrices allegatum. *Iſidori Peluſiotæ* (quem Damiattæ natum plerique eruditorum credunt, licet Alexandrinum fuiſſe Ephræmi apud Photium autoritas perſuadeat,) tractatum de fato, eundem eſſe cum libro ejusdem contra gentiles, ideo vero non abſimile Autori noſtro videtur, quod eandem rem tractans ad librum de fato provocet L. 3. ep. 203, ad librum contra gentiles vero L. 2. ep. 137. & 228. Poemata ſcripſiſſe quod Iſidorum nonnulli ſtatuant, ex male intellecto Evagrii loco ortum credit: verba enim ejus, quibus κλέος εὐρὺ κατὰ τὴν ποίησιν Iſidori eſſe dicit, nil aliud ex mente Viri cl. ſignificant, quam ſi Latine diceremus, *latiſſima ejus eſt, ut utar verbo poetico, gloria*; quemadmodum & doctiſſimum Valeſium interpretatum eſſe
p. 14. videmus. *Joannem Caſſianum* Gallum natione fuiſſe, maximis Viris, Lucæ Holſtenio & Henrico Noriſio locus Collat. 24. c. 1. perſuaſit; ſed nihil locum illum probare Dupinius arbitratur contra expreſſum Gennadii, qui Scytham eum facit, teſtimonium. Photius vero eum Roma-

num

num dicit, non nativitatis, ſed quo potiſſimam vitæ partem tranſegit, locum indicat. Honorium autem Auguſtodunenſem, qui Africanum eum facit, quod attinet, ille Scythiam pro Africæ provincia habuiſſe putandus eſt; quod enim nonnulli Scythicæ fuiſſe originis, Carthagine vero natum Caſſianum arbitrantur, omni prorſus fundamento deſtituitur. Cæterum cum Caſſianus L. VI. de incarnatione, ex ſymbolo Antiocheno Neſtorium refutet, orta fuit inter eruditorum nonnullos quæſtio, quodnam iſtud ſit Antiochenum concilium, cujus ſymbolum citaverit Caſſianus? Cl. itaque Autoris noſtri ſententia eſt, de ſymbolo in Eccleſia Antiochena recitari ſolito, non vero de ſymbolo in ſynodo aliqua Antiochena concinnato, ſermonem illi fuiſſe. *Nili* ætatem inveſtigans, corrigit Menologia Græcorum, quæ Mauritii imperium eum attigiſſe memorant; ad illud autem acceſſiſſe Mauritium circa annum C. 583 conſtat, quem annis minimum duobus & triginta morte ſua antevertiſſe Nilum, ita colligitur: Cum monaſterium montis Sinai Barbarorum turbaretur incurſionibus, quinquagenarium ſe fuiſſe ipſe teſtatur Nilus; iſtas vero Barbarorum vaſtationes in annum 410 vel 411 incidere novimus, quo ſi quinquagenarius fuit, vix ultra annum 451 vitam extendere potuit. Non in Menologiis igitur tantum pro *Mauritio Marcianus* legendum eſt, ſed caſtigandus quoque Allatii error, qui ſeculo ſexto Nilum adhuc vixiſſe inde colligit, quod in epiſtola ad Tribunum Zoſarium, quæ LVII eſt Libri I, pro nunquam reſtauranda Judæorum Republica inde ducat argumentum, quoniam quinque jam a morte Chriſti elapſa fuerint ſecula, & nulla tamen Judæis in integrum reſtituendæ Reipublicæ ſpes affulgeat. Non enim abſolute Nilus annum quingenteſimum præteriiſſe a morte Chriſti ait, ſed appropinquare eum, ἰδοὺ λοιπὸν πενταχοσιοςὸν ἔτος, inquiens, quod imminentem annum quingenteſimum notare perſpicuum eſt. Priusquam autem a Nilo pergamus ad alios, non poſſumus non, quæ occaſione tractatus Nili de oratione monuit, adducere. Allegavit illum Φιλομαθέςατος Photius, dividiturque is in 153 capita ſive ſententias, Latine a Turriano vulgatas. Maxima pars earum a p. 543 uſque ad p. 575 Evagrio potius quam Nilo, aut forte etiam utrisque eſt tribuenda. Habebant enim veteres Monachi ſententias quamplurimas, meditationesque, quibus ſermones ſuos paſſim adſpergebant, cum aliis ipſis communes; cum vero earum collectiones per Monachos rudes utplurimum atque

p. 22.
p. 26.

PRimum hujus Bibliothecæ Tomum in *Actis* A. 16[illegible] ſeng
ſecundum *eodem anno pag. 438. ſeqq.* & tertium [illegible] uſque
pag. 489. ſeqq. recenſuimus, & quidem verſione [illegible] quæ Rufi-
temporis ſecuti. Nunc quartum ejusdem B[illegible] ſcriptam pro-
Latinam verſionem fruſtra hactenus exp[illegible] Rufinum Sy-
ne Lectorum noſtrorum oculis ſiſtimu[illegible] am, a Rufino A-
conſtituentem. In prima enim ad a[illegible] duabus Fidei Pro-
ce...endis Eccleſiaſticis Scripto[illegible] am Aquilejenſi tribu-
igitur in ea filum hoc, quem pr[illegible] m in finem, ut a Rufi-
ad finem uſque ſeculi ſemp[illegible] o Romano Epiſcopo ſcri-
p. 2. Dicendorum initi[illegible] ſum Canticorum commen-
cujus Epiſtolam ad C[illegible] poſſint, multi doctorum ho-
doreto, ad Cyrillu[illegible] librum iſtum annotationibus
tillo memorat. [illegible] eſt in præfatione in Pſalmos; an-
meretur, quo[illegible] cum eo, quem Zinus verſione orna-
no allegan[illegible] onem omnino admittere videtur. Tri-
jus conc[illegible] iter, adductisque argumentis, quæ fidem ei ad-
ex ho[illegible] MSStis, a Pelagii II vel potius Gregorii teſtimo-
cti [illegible] methodique cum aliis ejus commentariis convenientia,
f[illegible] Ezechielis in operis hujus proœmio eodem prorſus modo, ac a-
p. 4. [illegible] ubi eum explicavit Theodoretus, expoſito, deſumtis, iis quoque, quæ ab adverſa parte proferri ſolent, reſpondet. Quod enim primo convenire non putant Theodoreto, quæ de negotiorum mole, quibus tam urbs, quam caſtra eum opprimant, in præfatione autor hujus operis queritur, aliter plane ſentit Noſter. Cum enim in Canticum ſub auſpicia ſtatim Epiſcopatus ſui ſe commentatum eſſe, ipſe Theodoretus præfatione in Pſalmos teſtetur, facile apparet, pluribus ei non civilibus tantum & eccleſiaſticis, ſed militaribus quoque negotiis fuiſſe vacandum. Imploranda enim ſæpius ipſi tum temporis fuiſſe Magiſtratuum & Præfectorum auxilia contra paganorum inſultus, vitæ ejus hiſtoria docet; ut bella taceamus, quæ diœceſi ejus tunc imminere videbantur. Quæ vero objiciunt de Chryſoſtomo tanquam adhuc vivente ab autore hujus commentarii prolata, & de ſermonibus, quos viva voce adhuc exponat, nulla neceſſitate cogente ita accipi putat: poſſe enim ea de ſermonibus literis conſignatis totumque orbem hac ratione colluſtrantibus optime intelligi. Nec

tertio

tio obſtat, quo minus Theodoretus hujus fœtus parens credatur, Theodori Mopsveſteni, quem magna veneratione ille ſem- proſecutus, circa interpretationem hujus libri ſententias con- tis enim huic feciſſe videtur eo, quod ſuppreſſo ſemper e- errores confutet; quod etiam in præfatione in Pſalmos fe- explodit, qui Judaico more, quod fecit Theodorus, Pſal- ntur, quam tamen nemo propterea ei abjudicare au- tione Theodoreto reſtituendum Dupinius judicat, reticarum Fabularum Libri III, quo Neſtoriani- Reſpondet proinde argumentis Garnerii, qui- Vult ille primo comparari ea, quæ iſto ca- p. 103. , cum iis, quæ Theodoretus de eo alibi ſcri- xcuſavit, nunquam niſi bene de eo ſenſit, nem ejus ſe adigi paſſus fuit; cum con- Ægyptiacam hic vocet, plauſtra de- pationum in eum ingerat. Verum nalcedonenſe, pronunciatumque ſolenniter Theodoreto anathema, HæreticæFabulæ conſcri- erdere hoc argumentum nervos ſuos Dupinius exiſti- e re ejus fuiſſe ait, fœdis depingere coloribus, quem con- naverat. Urget autem ſecundo Garnerius, non tantum in iis, quæ doctrinam, ſed & quæ vitam Neſtorii ſpectant, contradici hoc capite aliis Theodoreti locis; cum quibus tamen facilis admodum conciliatio Autori noſtro videtur. Quod enim Autor hujus capitis educationem Neſtorii ſibi ignotam dicit, cum Theodoretus contra optime noverit, Theodori eum fuiſſe diſcipulum; ita intelligendum eſſe putat, quod Theodoretus primam ejus inſtitutionem, priusquam in Theodori diſciplinam ſe dederit, ignorarit. Quod porro non noſſe ſe ait capitis hujus Autor, ubi fuerit locorum, antequam Antiochiam pervenit Neſtorius, cum Theodoretus tamen eum in S. Euprepii monaſterio fuiſſe, & baptizatum quoque Antiochiæ eſſe noverit, a Theodoreto non alienum videbitur, ſi priori loco ſermonem eſſe dicamus de itineribus ante Neſtorii in dictum monaſterium adventum peractis. Quæ denique de ingenio ejus in hoc capite proferuntur, non diſcrepant ab iis, quæ alibi de eo Theodoretus dixit; niſi quod non excuſatorem, ſed accuſatorem, mutata ſcilicet

ſententia, nunc agere voluerit. Tertium Garnerii argumentum maxime omnium infirmum Dupinio videtur. Inquit ille, promiſiſſe Theodoretum in poſtremo libro refutationem omnium, quorum in præcedentibus meminerat, hæreſium: at inter eas Neſtorianiſmum omiſiſſe. Verum enim vero ſuffecit Theodoreto principia ſuppeditare, quibus configendi erant hæretici, quæ omnibus ſpeciatim applicare, prolixum nimis fuiſſet; quamobrem præter Neſtorianos, Eutychianos quoque & alios quoſdam omiſit. Quartum argumentum Garnerius a ſtylo petit, quem tamen a Theodoreti ſcribendi genere non alienum Dupinius putat; quamobrem ad quintum accedit. Scilicet ex epiſtola ad Sporacium, integrum illud caput deſumtum eſſe Garnerius contendit, Hiſtoriam Neſtorianiſmi iiſdem plane verbis una cum dogmatum Neſtorii confutatione complectente. Illa vero epiſtola manifeſte eſt ſuppoſititia, idemque proinde judicium de hoc capite ferendum. Sed contrarium plane verum eſſe videtur, translatumque eſſe hoc caput e fabulis hæreticis in epiſtolam ad Sporacium, non ex epiſtola in fabulas hæreticas, cenſendum eſt. Ultimum denique Garnerii argumentum negativum eſt, inde deſumtum, quod nemo hoc caput pro defendendo Theodoreto allegaverit, cum ejus memoria in concilio V generali ob Neſtorianiſmi ſuſpicionem maxime periclitaretur: nec Facundus enim, nec Liberatus, nec Gregorius, nec quiſquam cæterorum, qui bene cupiebant ei, ad illud provocarunt. Verum nec ad omnia Theodoreti loca, quæ allegari poterant, provocatum eſt; nec ad noſtras manus omnia pervenerunt, quæ in ejus favorem ſcripta eo tempore fuerunt; ut taceamus, Gregorio omnia opera ejus non ſatis nota fuiſſe. Imo ſufficere videtur, quod in ſequentibus temporibus a Photio, Leontio, Theodoro Abba-
p. 121. te & aliis, pro genuino hoc caput habitum atque citatum fuerit. Major adhuc doctiſſimo Autori noſtro circa *S. Leonis* opera, & majori apparatu, diſcutienda fuit controverſia. Epiſtolas enim ejus primo quod attinet, Proſpero eas tribuendas eſſe Antelmius nuper perſuadere nobis auſus eſt. Conjecturæ locum ei dedit Gennadius, qui, *Epiſtolas Papæ Leonis adverſus Eutychen de vera Chriſti incarnatione ad diverſos datas, a Proſpero dictatas credi*, ait; quæ verba ne apice quidem mutato, in Chronico Marcellini ad Conſulatum Viviani & Felicis repetuntur; unde ad Adonis Viennenſis notitiam idem

locus

locus pari ratione, ac ad Honorii Auguſtodunenſis & Trithemii, ex ipſo Gennadio pervenit. Huic autem teſtimonio cum unice fere innitatur Antelmii ſententia, en quid ad ſubruendum illum tibicinem moliatur Dupinius noſter. Primo Gennadius nil aliud dicit, quam ita *credi* vel *dici*, nec ipſe ſive famæ ſive opinioni illi fidem habere videtur. Cum enim c. LXX de Leone ageret, epiſtolam ad Flavianum verbis expreſſis ei tribuit, nec ullam reliquorum ejus operum mentionem facit, ita ut in Scriptorum Eccleſiaſticorum cenſum eum redigere non potuiſſet, niſi hanc ipſamEpiſtolam ab eo profectam eſſe habuiſſet perſuaſum. Deinde dubitari meretur, an Gennadii ſint verba illa, quæ ex c. 84 modo allegavimus; interpolatum enim eſſe caput iſtud, neminem legentium fugere poteſt. Poſtquam enim Gennadius de Proſperi operibus ita eſſet locutus, ut appareat, doctrinam ejus de gratia minus ſe illi probare, ab alia manu adjunctum legitur, *hunc Proſperum defenſorem fuiſſe librorum S. Auguſtini contra Hæreticos gratiæ inimicos*, quæ verba pro aſſumento nemo non agnoſcit. Immediate vero ea ſequitur locus de epiſtolis Leonis, quem itidem pro interpolatoris fœtu habendum eſſe, hæc argumenta ſuadent: 1. Si Gennadii eſſet, textui ejus junctus procul dubio foret, nec aſſumento illi demum ſubnecteretur. 2. Ita concepta ſunt verba loci hujus, ut ad præcedentem additionem ſeſe referre videantur: ita enim incipit, *Epiſtolæ quoque*, quod ad additionem præcedentem, *Hic Proſper etiam*, referri, nec ullum habere poſſe cum vero textu nexum, legentibus manifeſtum eſt. Sed unde, inquies, illa in Gennadio additio? Divinare id Autori noſtro non adeo videtur difficile, cum eadem verba in Chronico Marcellini inveniantur. Inde itaque ea ad textum Gennadii aſſumta ſibi perſuadet. Sane enim alterutrum fieri oportuit, cum idem ſit verborum tenor, ut ſcilicet vel Gennadium exſcripſerit Marcellinus, vel e Marcellino ad Gennadii textum ea addita fuerint. Prius omni veriſimilitudine caret; nunquam enim Gennadium exſcribit Marcellinus: alterum itaque factum fuiſſe, neceſſe eſt. Quapropter omnia Antelmii argumenta ad famam reducuntur, quæ temporibus Marcellini, centum annis Leone junioris, increbuerat. Adonem enim quod attinet, eum Marcellinum fuiſſe ſecutum patet, nec etiam illius, noni quippe ſeculi autoris, magna in hoc negotio eſſe poteſt autoritas. Idemque de Honorio Auguſto-

ctogeſimi, menſe Februario p. 57. ſeqq. pro inſtituti ratione ſatis jam exhibita fuerint, nunc ſaltum paucis indicaſſe ſufficiet, in nova hac editione cuilibet fere controverſiæ Pontificiæ πρῶτον ψεῦδος ſub finem adjectum fuiſſe, cæterisque controverſiis augmenta quædam ad majorem earum illuſtrationem facientia ſubinde acceſſiſſe; atque in elencho controverſiarum Anabaptiſticarum Arentſonium a Dooregeeſt, Rypenſium Mennonitarum Miniſtrum, qui in epiſtola quadam Belgico ſermone exarata errores complures, Anabaptiſtis a celeberrimo Spanhemio tributos, amoliri conatur, ob inſcitiam vel malam fidem paſſim vapulaſſe. Cum & ab eo tempore, quo Elenchus iſte in lucem publicam primum prodiit, periculoſæ quædam hypotheſes a nonnullis Reformatis Theologis in ſcenam productæ fuerint, easdem in iterata hac editione ſilentio premere noluit clariſſimus Au-

p. 665. ſeqq. ctor. Hinc in appendice controverſiarum noſtra ætate motarum perſtringit Anonymum Groninganum, qui in ſcripto multa lucerna elaborato, atque anno 1690 edito, contendit primo, Scripturam utriusque fœderis totam eſſe allegoricam, & hiſtorias omnes Veteris & Novi Teſtamenti, quibus ſeu naturalia omnia allegorice explicentur, ſeu futura Eccleſiæ fata ita præfigurentur, ut hiſtoriæ Veteris Teſtamenti exacte figurarint hiſtorias Novi Teſtamenti, hæ vero omnem œconomiam regni Dei in mundo allegorice & prophetice explicarint: ſecundo aſſerit, nulla dari in Scriptura Sacra myſteria, quæ ſint rationi naturali inacceſſa, vel incomprehenſibilia, aut quæ nefas ſit ſcrutari. Unde v. g. myſterium Trinitatis, ſeu Patris generantis, Filii geniti, Spiritus Sancti a ſpirando denominati, explicat allegorice, de generatione typica, impropria, qua Pater duxerit uxorem Eccleſiam, Filium ſuſcitaverit ex mortuis, qui ſua reſurrectione inceperit ſpirare

p. 667. ſeqq. & vitam dare peccatoribus. Iſti ſubjungit Autorem Archæologiæ Moſaicæ (Thomam Burnetium) ſtatuentem, Hiſtoriam Moſaicam de prima creatione, hexaëmero, Adamo, Eva, Paradiſo, ſerpente tentatore, primis adeo originibus, non intelligendam eſſe in ſenſu literali, hiſtorico & proprio, quaſi hic fuiſſet mundi ortus, ſecundum veritatem hiſtoricam vel phyſicam; ſed deſcribi omnia a Moſe λαοδογματικῶς, ſeu modo parabolico, & craſſo, & ex ſenſu plebejo, pro captu & ingenio Judæorum: idque ut duceret eos ad veri Numinis cultum, & idololatriæ radices evelleret, poſitæ in cultu Solis, Lunæ, ſiderum,

quæ

quæ hinc exhibeat Moſes tanquam corpora in uſus noſtros condita. Cujus Viri hypotheſes de rerum originibus in Actis anni 1693, menſe Junio p. 270. ſeqq. & menſe Julio p. 291. ſeqq. a nobis prolixius recenſitæ legi poſſunt. Obelo quoque notat Franekeranum Theologum, cujus κυρίας δόξας duas eſſe judicat. Quarum prima ſit, appellationem Filii tributam ſecundæ Perſonæ S. Trinitatis, ut & generationem ex Patre, non intelligendam eſſe proprie, ut fit ab orthodoxis, de vera aliqua generatione, æterna illa quidem & ineffabili, ſecundum quam Pater generans ſit vere & proprie Pater, & Filius genitus ſit vere & proprie Filius, modo tamen naturæ divinæ convenienti: nihil autem iſtis vocibus, Patris & Filii, Generantis & Geniti, innui aliud in Scriptura Sacra, quam 1. quod ſecunda Perſona habeat eandem cum prima Perſona eſſentiam & naturam, illique ab æterno coextiterit; negato modo illo habendi per ineffabilem generationem & ſublata perſonali illa ſubſiſtentia Patris generantis & Filii geniti: 2. quod reſpiciant illa ad œconomiam Teſtamenti gratiæ, ad manifeſtationem in carne ſecundæ perſonæ, tanquam in viſibili Dei imagine, & ad executionem officii mediatorii, ad quod datus eſt a Deo Patre; quo ſenſu generare ſit idem quod manifeſtare, gigni idem quod manifeſtari, patefieri, citatis locis Prov. XVII. 17. XXVII. 1. Cantic. VIII. 5. Altera ejuſdem Theologi aſſertio eſt, mortem temporalem fidelium eſſe vere & proprie dictam pœnam peccati, qua ſatisfiat Dei juſtitiæ: atq; exinde ſequi, Chriſtum non ita plene Deo ſatisfeciſſe, ut etiam ſatisfecerit pro morte temporali, quatenus hæc eſt peccati pœna. Tandem & mentionem facit hypotheſium a Balthaſare Bekkero in Orbe Faſcinato propoſitarum, quas, utpote ſatis in Actis anni 1692, menſe Januario p. 19. ſeqq. & anni 1694. menſe Junio p. 241. ſeqq. enarratas hic adducere ſuperſedemus.

p. 671. ſeqq.

p. 673. ſeqq.

HISTORIA PERSECUTIONIS VANDALICÆ IN duas partes diſtincta, opera & ſtudio DOMNI THEODORICI RUINART, *Presb. & Monachi Benedict. e Congregat. S. Mauri.*

Pariſiis, apud Franc. Muguet, 1694. in 8. Conſtat alphab. 2.

QUam non animo ſolum concepit, ſed & paratam jam habet univerſam Hiſtoriam Perſecutionum ab Arianis tum Imperatoribus

bus tum Barbaris motárum clariſſimus Ruinartus, ejus quaſi ſpecimen eſſe voluit & partem, Vandalicæ perſecutionis, quam hic ſiſtimus, enarrationem. Scilicet, qui ante annos non ita multos in evolvendis priſtinoque ſplendori reddendis ſinceris primorum Martyrum Actis occupatus fuerat; de quibus in Actis noſtris Tom. I. Supplem. Sect. XII. p. 593. dictum: is in inſtituto, laudatiſſimo ſane, pergere, & a paganis Chriſtianorum perſecutoribus ad Arianos Catholicorum tortores, prioribus haud minus ſævos, pedem promovere decrevit. Vandalos autem ſibi præcipue deſcribendos ſumſit; tum quod illorum perſecutio vulgo parum accurate nota, digna omnino limatiore ſtudio videretur; tum quod magna Barbarorum immanitas, Martyrumque & Confeſſorum multitudo exemplum Ariani genii eſſet præbitura. Ceterum ita in duas partes ſuam hanc Hiſtoriam dividit Ruinartus, ut prior libros V. Victoris Epiſcopi Vitenſis, & alia antiqua monumenta cum Codd. MSS. collata & emēdata, cum notis & obſervationibus contineat: poſterior vero Commentarium hiſtoricum de Vandalicæ perſecutionis ortu, progreſſu & fine, ab ipſomet Ruinarto elaboratum, ſiſtat. De ſingulis nunc ſeparatim pro inſtituti ratione breviter aliquid dicendum.

Agmen, uti diximus, Victor Vitenſis ducit; cui præfationem, (ut reliquis omnibus opuſculis) peculiarem clariſſimus Editor præmittit. In ea poſtquam cauſam, cur de Vandalicis rebus tam pauca habeantur, aperuiſſet, (innatam genti ſævam barbariem, qua non loqui tantum, ſed & ſcribere prohibuerit,) ad ipſum Victorem pergit, eumque falſo Uticenſem a compluribus vocari exinde poſt alios confirmat, quod eo tempore, prout e Notitia Eccleſiæ Africanæ liqueat, Fulgentius Epiſcopus loci illius fuerit, nec ullo fundamento huic ſucceſſiſſe Victor credatur: teſtari potius univerſalem MSS. Codd. conſenſum, Vitenſem eſſe ſcribendum, quod probe Rhenanus primus editor obſervaverit. Primum vero nominis corruptorem putat Reinh. Lorichium, qui in editione ſua Colon. 1537. impreſſa Uticenſem pro Vitenſi poſuerit, forte non tam codicum fide, quam ſua conjectura ſubnixus: hunc ſecutos dein alios, & ſic errorem latius ſerpſiſſe. Perperam autem ait a Lorichio creditum, non fuiſſe niſi urbium Epiſcopos; cum in Africa plures fuerint in villis & fundis per agros inſtituti, exprobrantibus id ſibi mutuo Aurelio Catholico, & Primiano Donatiſta

tiſta, Epiſcopis Carthaginenſibus, in Collatione Carthaginenſi. An Victor hic idem ſit Primas provinciæ Byzacenæ, quo concedente Fulgentius in Ruſpenſis Eccleſiæ thronum evectus eſt, quod Chiffletio viſum, Noſter in medio relinquit. Non minus, num catalogo Sanctorum Victor unquam adſcriptus fuerit, dubitare ſe fatetur, ejusque nomen ab aliena manu Martyrologio intruſum, Holſtenium merito conqueſtum ait. Manifeſtius adhuc quoad locum, in quo ſcripſerit Victor, a Chiffletio & Cotelerio ſe alienum Ruinartus oſtendit, quorum ille Conſtantinopoli, hic in Veteri Epiro ſcriptam hiſtoriam arbitrantur; Noſter vero conjicit, Victorem in Africa Hiſtoriam ſuam exaraſſe. Multo gravius adhuc in eo Chiffletium reprehendit, quod Acacio CPlitano inſcriptam abs Victore Hiſtoriam affirmat, bonoque adeo Viro notam Acaciani ſchiſmatis inurit: cum Africani Epiſcopi, & inter eos Victor, Romanæ ſedi adeo fuerint addicti, ut manifeſtisſimum illius hoſtem coluiſſe credi non queant. Confeſſio Fidei Hunerico Regi oblata, quæ L. III. Hiſtoriæ Victoris continetur, num Victorem ipſum auctorem habuerit, dubium eſſe monet, cum Gennadius in Catalogo ejus auctorem faciat Eugenium Carthaginenſem Epiſcopum. Ab ea autem Confesſione alium memorat eſſe Librum, quem a Victore Cartennenſi ſcriptum & Genſerico Regi oblatum, Gennadius teſtis eſt. Exinde codices manuſcriptos, quibus frui ipſi licuit, nec non varias Victoris editiones ſtudioſiſſime recenſet. Quibus miſſis, ut novam tandem hanc, quam Ruinarto debemus, Victoris editionem aggrediamur, veriſſimum ſane eſt, quod in fine Præfationis ipſe teſtatur, diligentiam ipſi non defuiſſe; ſiquidem non terſa ſolum eſt & nitidiſſima, verum & emaculatiſſima & notis egregiis illuſtrata, e quibus pauca nunc, ſpeciminis loco, excerpta dabimus.

In Victoris Prologo Diadochi mentio occurrit, isque ut præceptor ejus, cui librum Victor dedicat, multis laudibus cumulatur. Hunc eundem eſſe cum Diadocho Photicenſi Veteris Epiri Epiſcopo, quem Photius in Bibliotheca laudat; fuiſſe etiam Acacii Conſtantinopolitani Patriarchæ, cui Hiſtoriam ſuam nuncupaverit Victor, præceptorem, ſuſpicatur Chiffletius. Ruinartus priorem ejus conjecturam a veriſimili non multum eſſe alienam arbitratur; maxime, cum his temporibus Diadochum in Epiro Veteri Epiſcopum ha-

beamus, qui ſub *Didaci* nomine, una cum aliis ejus provinciæ Præ-
ſulibus, epiſtolæ ad Leonem Imperatorem datæ (quæ Concil. Chal-
ced. P. III. c. 51. exhibetur) ſubſcripſerit: aſt poſteriorem prorſus re-
ſpuit, quod Acacius ex præfecto orphanorum hoſpitii ad ſedem Epi-
ſcopalem evectus, vix videatur Diadochum audiiſſe. Sicut & negat
iterum, Victorem Acacio, in ſchiſmate nimirum extra communio-
nem Romanæ Eccleſiæ defuncto, Hiſtoriam ſuam inſcripſiſſe. In-
p. 150. ter alios a Genſerico in exilium pulſos memoratur L. I. c. 7. *Creſcens
Aquitaniæ civitatis Metropolita, qui 120 Epiſcopis præerat.* In hoc
loco difficili enodando rejicit Ruinartus primo Baronium atque Lu-
pum, quorum ille pro Aquitaniæ *Azuritanæ* (quæ urbs quidem Afri-
cæ Proconſularis erat, ſed non metropolis) hic *Mauritaniæ* (quæ pla-
ne urbs nunquam fuit) reponendum cenſent. Baluzio magis aſſen-
titur, qui *Aquas* Mauritaniæ Cæſarienſis urbem intelligi cenſet. Eum
ſane præter id, quod ab Aquis facile, prout in Gallia, poſſit Aquita-
nia derivari, illud præcipue juvare ait, quod Mauritania Cæſarienſis
120 Epiſcopos numerarit; totidem quot Creſcens apud Victorem præ-
fuiſſe dicitur. Quemadmodum vero notiſſimum eſt, in reliquis ex-
tra Proconſularem Africam provinciis eum, qui inter Epiſcopos erat
ordinatione ſenior, nulla civitatum facta diſtinctione, Primatum ob-
tinuiſſe; ita inſolens videtur, Metropolitanum vocari, qui commu-
niter *Epiſcopus primæ ſedis, Senex* aut *Senior* dicebatur. Neque ta-
men adeo ignotum nomen id Afris fuiſſe aut peregrinum, ex Augu-
ſtino Ruinartus probat, qui initio libri de geſtis cum Emerico Epiſco-
po Cæſarienſi Donatiſta, Deuterium Metropolitanum Cæſarienſem
appellet; & e Concilio Epheſino, quod Capreolum Carthaginen-
p. 165. ſem Metropolitanum vocet. Patriarchæ titulum, quem Vandalos
Jocundo Epiſcopo tribuiſſe, Victor L. II. c. 5. memorat, familiarem
Barbaris fuiſſe, & ab iis in regiones nonnullas, quas incoluerant, in-
troductum, quem & eorum poſteri Catholicæ Eccleſiæ reconciliati
p. 178. retinuerint, cum Thomaſſino obſervat. Ad locum 1. Joh. V. 7. in
Confeſſione Fidei ab Africanis Patribus pro probanda SS. Trinitate
adductum, annotat, illum in Africanis codicibus religioſius, quam in
reliquis, conſervatum fuiſſe, ut ex Cypriano etiam & Fulgentio per-
ſpiciatur. Neque uſpiam Arianos reclamaſſe legi, qui tamen tunc
regali potentia freti, nihil non adverſus Catholicos potuerint. Hy-

mnum Eccleſiæ Græcis ἐπινίκιον vocatum, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, qui ſub finem libelli Confeſſionis argumenti loco pro SS. Trinitate adducitur, eſſe diverſum monet a Græcorum τρισαγίῳ, hymno alio, quem ipſi ſæpius, Latini nonniſi ſemel in anno, Feria VI Paraſceves, cantare ſoliti ſint, qui incipiat, *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, &c. p. 181.

Victoris de Perſecutione Vandalica libros *Paſſio SS. VII. Monachorum* excipit. Nimirum cum illa de Liberato Abbate ejusque ſex Sociis, ob orthodoxam fidem ab Hunerico Rege e monaſterio prope Capſenſem urbem raptis & obtruncatis, Hiſtoria in omnibus, quotquot Ruinartus vidit, tum impreſſis, tum MSS. codicibus Victoris Hiſtoriæ ſubjuncta, imo in nonnullis eorum Victori verbis diſertis adſcripta inveniatur; quod & ab Adone Viennenſi & Notkero S. Galli Monacho factum: Ruinartus eandem quoque Victoris libro ſubjiciendam cenſuit, parumque abeſt ut ab eodem ſcriptam & ipſe propugnet. Loquendi profecto modis, in utroque opuſculo paſſim obviis eam ſententiam haud parum confirmari ratus, tandem concludit, etſi non ſine exceptione certum ſit, Victorem eſſe hujus hiſtoriolæ auctorem, eam tamen antiquiſſimo ſcriptori, Victorique coævo, absque dubio tribuendam. Inde in annum atque diem paſſionis ſeptem illorum Martyrum accuratius inquirit, eaque in re Actis majorem quam Martyrologiis fidem tribuendam ducit. Cæterum natam ſibi ſuſpicionem refert, forſan hos Martyres eosdem cum iis eſſe, qui in vetuſtiſſimo & coævo ferme Kalendario Africano ſub Capitanorum nomine celebrantur; qua in re conſentientem ſibi Mabillonium, primum iſtius Kalendarii editorem laudat, qui proinde loco Capitanorum, Capſitanos reponendos duxerit. Hæc tamen non niſi conjectando a ſe proferri monet, probe gnarus, fuiſſe & alias in Africa civitates, quibus æque Capitanorum nomen attribui poſſit. p. 94. 101.

Poſt eam VII Martyrum Hiſtoriam, clariſſimus Editor in duobus Codd. MSS. Homiliam invenit de S. Cypriano conſcriptam, quam proinde & ſuæ Collectioni inſerere conſultum duxit; quod, ut in Admonitione ait, etſi fortean Victoris non ſit, ejus tamen ſit ætatis, nec omnino quæ ipſi tribuatur indigna. Dicta eſt iis temporibus, quibus Vandali templum pulcerrimum ipſius honoribus in p. 107.

maris littore ſacratum, ejectis illinc Orthodoxis, tenebant. Hinc ut ſolaretur miſeros Homiliæ auctor, commiſerantem in cœlis ſuorum ſortem S. Cyprianum, & graviter apud Deum intercedentem fingit. Quæ preces, ſecundum Ruinartum, tam efficaces fuerunt, ut poſt Beliſarii in Africam adventum, Ariani, Vandalorum ſtrage audita, in ipſo Cyprianici natalis pervigilio, data fuga copiam Orthodoxis dederint, cum ingenti tripudio feſtivitatem ejus in templo recuperato celebrandi.

p. III. Ex iisdem binis codicibus, quibus Homiliam de S. Cypriano debemus, breve etiam Chronicon eruit Ruinartus, ſcriptum ab incerto Auctore, quem tamen ad ſexti ſeculi finem perveniſſe, protractum eouſque opuſculum ſatis probat. Quanquam vero nihil aliud ferme ſit, quam aliorum Chronicorum, ne verbis quidem mutatis, compilatio; quia tamen aliqua referat, quæ aliunde non habentur, & ad confirmandas auctorum lectiones, quæ in codicibus variæ ſunt, utile futurum ſit, locum illi etiam in hac ſua Collectione dedit.

p. II. Majoris momenti eſt, qui ſequitur Catalogus Epiſcoporum Catholicorum, qui pro fidei ſuæ ratione reddenda, præcepto Hunerici Regis Vandalorum Ariani, Carthaginem venerant; eorum nomina, ſedes & fata ob oculos ponens. Hunc jamdudum Sirmondus e manuſcripto codice Laudunenſi Opuſculis Dogmaticis veterum quinque Scriptorum, ſub *Notitiæ Provinciarum & Civitatum Africæ* titulo, Pariſiis A. 1630. primus publici juris fecit: ſecuti dein Chifletius in editione Victoris & Vigilii, Labbeus in Conciliorum Tomo IV. aliique recudi Notitiam hanc ſuis laboribus nonnihil illuſtratam curarunt. Non tamen id Ruinartum impedivit, quo minus & ipſe curam novæ ejus & accuratæ editioni impendendam in ſe ſuſciperet. Quapropter Lauduno forte tranſiens, Sirmondi editionem cum ipſo, quo uſus is fuerat, codice contulit; varias lectiones notavit; Theſaurum inſuper Ortelii Geographicum Antverpiæ A. 1596. editum, cui paſſim e quodam Halleri codice inſerta locorum Africæ nomina, ex hac Notitia, quam ille Fragmentum Victoris Uticenſis vocat, occurrunt, ſtudioſe evolvit, notiſque longe ampliſſimis totum opuſculum illuſtravit. In Admonitione a Chiffletio, qui Victorem vel ipſum hanc Notitiam conſcripſiſſe, vel a forenſi tabulario deſcriptam ſuis certe libris inſeruiſſe exiſtimavit, ejusque adeo Hiſtoriæ libro IV.

IV. eam integram annexuit, diſſentit, neque id rationibus a Chiffletio adductis evinci oſtendit. Cæterum in ipſo Notitiæ illius codice Laudunenſi, ſingulare ſcriptionis compendium obſervavit Ruinartus, ubi nempe poſt Epiſcoporum nomina ſæpiſſime adduntur literæ *prbt*, vel *pbr*, lineola per literam *b* ducta: quarum loco Sirmondus ſemper *per.* poſuit, innui ſcilicet perſuaſus, Epiſcopos, queis iſtiuſmodi notula ſubjuncta eſt, in via *periiſſe*: ſicut ii, qui in Corſicam relegati erant, voce *Corſica*, qui fuga elapſi, voce *fug.* inibi deſignantur. Tutius autem Noſter exiſtimavit ſequi codicem, in quo toties idem repetatur: quamvis calculus eorum, qui periere, ſub finem additus, Sirmondo omnino faveat, nec probabile ſit, tot *Presbyteros* (quos literis *prbt* indicari Ruinartus aliquando ſuſpicatus eſt) loco Epiſcoporum Carthaginem veniſſe.

De cetero in Notis ſuis prolixiſſimis id inprimis & tantum non unice curavit Vir clariſſimus, ut intricatiſſimam Africæ Sacræ ſeu Eccleſiaſticæ Geographiam, omni quo poſſet modo, e ſacris atque profanis monumentis, extricatam faceret & illuſtratam; idque eo alacrius ſe aggreſſum ait, quo magis tali labore ea hactenus indiguerit. Nam Schelſtratenum quidem in *Eccleſia* ſua *Africana* alio cogitationes vertiſſe, neque de Epiſcopalibus Africæ urbibus valde ſollicitum videri. Adjutum tamen ſe plurimum fatetur, tum Henrici de Noris Cenſura Notarum Garnerii in Inſcriptiones Epiſtolarum Synodalium, in qua multa non minus erudito quam ſubtili calamo de Africanis urbibus, abſtruſa prius & multis ambagibus involuta explicet: tum Stephani Baluzii Obſervationibus in Collationem Carthaginenſem, Tomo I. novæ Conciliorum Collectionis ſuæ editam. Nos quidem, qui ad reliqua properamus, e Geographicis Obſervationibus aliquid adducere ſuperſedemus; duo tamen, quæ ad Hiſtoriam literariam faciunt, illinc ſeligentes. Occaſione Calamenſis urbis, quæ in Notitia Epiſcoporum provinciæ Numidiæ cum Quodvultdeo Epiſcopo loco tertio recenſetur, annotat Ruinartus, urbem illam adhuc exeunte ſeculo IX. celebrem fuiſſe, utpote quæ prima recenſeatur urbium Numidiæ in *Notitia*, quæ imperante Leone Sapiente conſcripta fuit. Hanc primus Græce & Latine Carolus a S. Paulo vulgavit, ſed mutilam; quod Guilielmus Beveregius factum putavit in gratiam Rom. Pontificum, cum in ea longe plures Epiſco-

p. 215.

p. 250.

patus Patriarchæ CPLitano, quam Romano ſubjecti enumerarentur: unde idem Beveregius Notitiam iſtam integram e MSS. Bodlejano T. II. Synodici, ad Canones Concilii Trullani, Oxonii A. 1672. publici juris fecit. Enimvero cauſam non habuiſſe Beveregium Catholicis pravæ fidei crimen impingendi, tum ex eo Ruinartus docet, quod in ipſa illa Notitia primum ante omnes Patriarchas locum Romanus Pontifex obtineat: tum quod Notitiam eandem integram penitus & infectam, multo ante quam Beveregius ſcripſerit, Jacobus Goar, vir Catholicus & eruditus, in Appendice ad Codinum Curopalatem Pariſiis A. 1648. ediderit. Alterum, quod ſelegimus excerpendum, de Lucifero Calaritano eſt. Occurrit hujus nominis Epiſcopus, inter Sardos in Notitia nominatos primus. Hunc ipſum eſſe, quem ut Sanctum Sardi venerantur, non priorem ſeculi IV ſcriptorem, qui ſchiſmati vel occaſionem vel nomen tribuerit, Natalis Alexander ſuſpicatur. Verum Ruinartus Papebrochio magis accedit, qui ut inanem Natalis ſuſpicionem rejicit, & pro ſanctitate prioris aſſerenda, multa eſſe & gravia ex antiquis ædibus ſacris, quæ ſub ejus nomine paſſim in Sardinia habentur, & traditione Eccleſiæ Calaritanæ, argumenta cum Ambroſio Machino ejusdem urbis Archiepiſcopo affirmat.

Pergendum nunc ad Partem II. Operis, quæ nihil aliud eſt, quam ipſius Ruinarti de ortu, progreſſu atque fine Vandalicæ perſecutionis Commentarius, juxta Regum ſeriem e variis monumentis ſtudioſiſſime digeſtus. Multa in eo ſunt, quæ ad hiſtoriam Martyrum & Confeſſorum (quam præcipue ſemper ante oculos habuiſſe Cl. Virum, manifeſtum eſt,) multa, quæ ad hiſtoriam literariam Eccleſiaſticam plurimum omnino conducunt. Et ut a priori incipiamus, ſpeciminis loco nominari poſſunt Martyrium Arcadii & ſociorum c. IV; S. Juliæ virginis ab Arianis venditæ, a Syris ethnicis interemtæ c. V. Hiſtoria Confeſſorum exciſis linguis non abſque miraculo inſigni loquentium c. VII; Eugenii Carthaginenſis Epiſcopi ſub Hunerici perſecutione vexati c. VIII, & Fulgentii Ruſpenſis, c. X. ſqq. Pertinent huc quæ ex antiquis monumentis ut plurimum cum Codd. MSS. collata & notulis nonnullis illuſtrata profert: qualia ſunt Epiſtola Honorati Antonini hortatoria ad Arcadium martyrem c. IV; Acta S. Juliæ c. V; Hiſtoria fuſtigationis Felici Abbati

bati & Fulgentio tum adhuc monacho, ab Ariano ſacrificulo inflictæ, e Gregorio Turonenſi hauſta c. X; Symmachi P. R. epiſtola ad confortandos Afrorum animos inter tot calamitates perſcripta, c. XI: quæ omnia diligentiam Ruinarti ſummam utique oſtendunt.

Ad literariam hiſtoriam pertinet, quod Dextrum, prout hodie ſupereſt, ſuppoſititium, & ejus librum Pſeudo-Chronicon nebulonis, cui fidem ullam adhibere religio ſit, agnoſcit c. II. Honoratum Antoninum nomen unius viri, Conſtantinæ urbis in Africa (quæ Cirta olim, & a nonnullis Conſtantia perperam nuncupetur) Epiſcopi eſſe, ex antiquiſſimo Gennadii codice ab annis 1100 Merovingico ſeu Franco-Gallico charactere ſcripto, poſt alios, contra Baronium & Miræum confirmat c. IV. Ibidem de auctore libri, qui ſub titulo *Declarationis quorumque locorum de Trinitate contra Varimadum* (ex emendatione Sirmondi, Marivadum) *Arianæ ſectæ Diaconum*, tempore perſecutionis prodiit, diſquirens, breviter perſtringit Chiffletium, qui Vigilium Tapſenſem ejus auctorem fecerit contra MSSrum fidem, quæ, fatente ipſo, Idacio opus illud adſcribant. Idacio autem non Clario, Epiſcopo Hiſpano, qui temporibus Theodoſii Magni celebris fuit, ſed Idacio alteri, Lemicæ in Gallæcia Epiſcopo, qui Genſerici temporibus floruit, cujus Chronicon extat, tribuendum exiſtimat. C. VI. in Petrum de Natalibus Epiſcopum Equilinum invehitur, quamque una cum Ferrando exſcriptore ſuo in Africanorum Martyrum hiſtoria turpiter errarit, adductis tribus exemplis memorat; conqueſtus horum oſcitantia & hiſtoriæ perturbatione factum, ut Martyrum geſta, alias ſinceriora, ſua auctoritate excidant. Eſſent adhuc plura, quæ memorari non injucundum foret, niſi ſpecimen ſolum, non librum ipſum, exhibere propoſitum nobis fuiſſet.

NOUVELLE BIBLIOTHEQUE DES AUTEURS Eccleſiaſtiques. Partie II du Tome III, par M. L. E. DU PIN.

h. e.

NOVÆ BIBLIOTHECÆ AUTORUM ECCLESIAſticorum Tomi III Pars II, complectens Scriptores ſeculi poſt C. N. quinti, totiusque Operis Tomum IV. conſtituens.

Autore LUDOVICO ELIA DU PINO.

Montibus Hannoniæ, ſumtibus Huguetanorum. 1691. in 4.

Conſtat alphab. 2. plag. 7.

Primum

PRimum hujus Bibliothecæ Tomum in *Actis* A. *1693. pag. 77. ſeqq.* ſecundum *eodem anno pag. 438. ſeqq.* & tertium itidem *anno eodem pag. 489. ſeqq.* recenſuimus, & quidem verſionem eorum Latinam tum temporis ſecuti. Nunc quartum ejusdem Bibliothecæ Tomum, cujus Latinam verſionem fruſtra hactenus expectavimus, ex Gallica editione Lectorum noſtrorum oculis ſiſtimus, partem ſecundam tomi tertii conſtituentem. In prima enim ad annum usque poſt C. N. 430, in recenſendis Eccleſiaſticis Scriptoribus Autor fere pervenerat. Cœptum igitur in ea filum hoc, quem præ manibus habemus, tomo pertexit, & ad finem usque ſeculi ſemper ſibi ſimili elegantia ac nitore deducit.

p. 2. Dicendorum initium facit ab *Attico* Epiſcopo Conſtantinop. cujus Epiſtolam ad Calliopium e Socrate, ad Eupſychium ex Theodoreto, ad Cyrillum denique ex Facundo Hermianenſi & ipſo Cyrillo memorat. Et quamvis a Vincentio Lirinenſe inter eos non numeretur, quorum pro fide Catholica teſtimonia in concilio Epheſino allegantur, tribus tamen vicibus in illo citatum fuiſſe, ex actis hujus concilii conſtat. Locum autem in concilio laudato allegatum, ex homiliarum ejus aliqua depromptum quidem exiſtimant Viri docti; recte tamen omnino ſentire videtur Autor noſter, qui libri ejus de fide & virginitate, in quo Neſtorianiſmum Gennadio teſte prædemnavit, fragmentum illum eſſe docet, a Cyrillo quoque Alexandrino in

p. 4. literis ad Imperatrices allegatum. *Iſidori Peluſiotæ* (quem Damiattæ natum plerique eruditorum credunt, licet Alexandrinum fuiſſe Ephræmi apud Photium autoritas perſuadeat,) tractatum de fato, eundem eſſe cum libro ejusdem contra gentiles, ideo vero non abſimile Autori noſtro videtur, quod eandem rem tractans ad librum de fato provocot L. 3. ep. 203, ad librum contra gentiles vero L. 2. ep. 137. & 128. Poemata ſcripſiſſe quod Iſidorum nonnulli ſtatuant, ex male intellecto Evagrii loco ortum credit: verba enim ejus, quibus κλέος εὐρὺ κατὰ τὴν ποίησιν Iſidori eſſe dicit, nil aliud ex mente Viri cl. ſignificant, quam ſi Latine diceremus, *latiſſima ejus eſt, ut utar verbo poetico, gloria*; quemadmodum & doctiſſimum Valeſium interpretatum eſſe

p. 14. videmus. *Joannem Caſſianum* Gallum natione fuiſſe, maximis Viris, Lucæ Holſtenio & Henrico Noriſio locus Collat. 24. c. 1. perſuaſit; ſed nihil locum illum probare Dupinius arbitratur contra expreſſum Gennadii, qui Scytham eum facit, teſtimonium. Photius vero cum Roma-

num

num dicit, non nativitatis, ſed quo potiſſimam vitæ partem transegit,
locum indicat. Honorium autem Auguſtodunenſem, qui Africanum
eum facit, quod attinet, ille Scythiam pro Africæ provincia habuiſſe pu-
tandus eſt; quod enim nonnulli Scythicæ fuiſſe originis, Carthagine
vero natum Caſſianum arbitrantur, omni prorſus fundamento deſti-
tuitur. Cæterum cum Caſſianus L. VI. de incarnatione, ex ſymbolo p. 22.
Antiocheno Neſtorium refutet, orta fuit inter eruditorum nonnullos
quæſtio, quodnam iſtud ſit Antiochenum concilium, cujus ſymbolum
citaverit Caſſianus? Cl. itaque Autoris noſtri ſententia eſt, de ſymbo-
lo in Eccleſia Antiochena recitari ſolito, non vero de ſymbolo in ſy-
nodo aliqua Antiochena concinnato, ſermonem illi fuiſſe. *Nili* æta- p. 26.
tem inveſtigans, corrigit Menologia Græcorum, quæ Mauritii
imperium eum attigiſſe memorant; ad illud autem acceſſiſſe
Mauritium circa annum C. 583 conſtat, quem annis minimum
duobus & triginta morte ſua antevertiſſe Nilum, ita colligitur:
Cum monaſterium montis Sinai Barbarorum turbaretur incur-
ſionibus, quinquagenarium ſe fuiſſe ipſe teſtatur Nilus; iſtas vero
Barbarorum vaſtationes in annum 410 vel 411 incidere novimus, quo
ſi quinquagenarius fuit, vix ultra annum 451 vitam extendere potuit.
Non in Menologiis igitur tantum pro *Mauritio Marcianus* legendum
eſt, ſed caſtigandus quoque Allatii error, qui ſeculo ſexto Nilum ad-
huc vixiſſe inde colligit, quod in epiſtola ad Tribunum Zoſarium, quæ
LVII eſt Libri I, pro nunquam reſtauranda Judæorum Republica in-
de ducat argumentum, quoniam quinque jam a morte Chriſti elapſa
fuerint ſecula, & nulla tamen Judæis in integrum reſtituendæ Reipu-
blicæ ſpes affulgeat. Non enim abſolute Nilus annum quingenteſi-
mum præteriiſſe a morte Chriſti ait, ſed appropinquare eum, ἰδοὺ λοι-
πὸν πεντακοσιοστὸν ἔτος, inquiens, quod imminentem annum
quingenteſimum notare perſpicuum eſt. Priusquam autem a Nilo
pergamus ad alios, non poſſumus non, quæ occaſione tractatus Nili
de oratione monuit, adducere. Allegavit illum φιλομαθέστατος
Photius, dividiturque is in 153 capita ſive ſententias, Latine a Turriano
vulgatas. Maxima pars earum a p. 543 uſque ad p. 575 Evagrio po-
tius quam Nilo, aut forte etiam utriſque eſt tribuenda. Habebant
enim veteres Monachi ſententias quamplurimas, meditationesque,
quibus ſermones ſuos paſſim adſpergebant, cum aliis ipſis communes;
cum vero earum collectiones per Monachos rudes utplurimum atque

indoctos inſtituerentur, illi quoque iis præterea aliorum ſæpe ſententias admiſcebant, ut proinde de autoribus earum non uſquequaque certo conſtare poſſit. De Profeſſionibus Fidei, quæ Rufino tribui ſolent, agens, neutram a Rufino Aquilejenſi ſcriptam probat, & rationes adducit, quibus Garnerius inductus Rufinum Syrum Pelagii magiſtrum, Mario Mercatori memoratum, a Rufino Aquilejenſi diverſum fuiſſe aſſeruit. Etſi vero ex duabus Fidei Profeſſionibus, quæ Rufini nomen gerunt, neutram Aquilejenſi tribuendam Noſter cenſeat, breviorem tamen eum in finem, ut a Rufino Aquilejenſi ſubſcriberetur, ab Anaſtaſio Romano Epiſcopo ſcriptam conjicit. De *Theodoreti* in Canticum Canticorum commentariis, an pro genuino ejus opere haberi poſſint, multi doctorum hodie dubitarunt. Equidem illuſtraſſe librum iſtum annotationibus ſuis hunc Patrem, ipſe nobis teſtis eſt in præfatione in Pſalmos; an vero ille idem ſit commentarius cum eo, quem Zinus verſione ornatum luci donavit, dubitationem omnino admittere videtur. Tribuit tamen ei Autor noſter, adductisque argumentis, quæ fidem ei adſtruunt, a duobus MSStis, a Pelagii II vel potius Gregorii teſtimonio, a ſtyli methodique cum aliis ejus commentariis convenientia, a loco Ezechielis in operis hujus proœmio eodem prorſus modo, ac alibi eum explicavit Theodoretus, expoſito, deſumtis, iis quoque, quæ ab adverſa parte proferri ſolent, reſpondet. Quod enim primo convenire non putant Theodoreto, quæ de negotiorum mole, quibus tam urbs, quam caſtra eum opprimant, in præfatione autor hujus operis queritur, aliter plane ſentit Noſter. Cum enim in Canticum ſub auſpicia ſtatim Epiſcopatus ſui ſe commentatum eſſe, ipſe Theodoretus præfatione in Pſalmos teſtetur, facile apparet, pluribus ei non civilibus tantum & eccleſiaſticis, ſed militaribus quoque negotiis fuiſſe vacandum. Imploranda enim ſæpius ipſi tum temporis fuiſſe Magiſtratuum & Præfectorum auxilia contra paganorum inſultus, vitæ ejus hiſtoria docet; ut bella taceamus, quæ diœceſi ejus tunc imminere videbantur. Quæ vero objiciunt de Chryſoſtomo tanquam adhuc vivente ab autore hujus commentarii prolata, & de ſermonibus, quos viva voce adhuc exponat, nulla neceſſitate cogente ita accipi putat: poſſe enim ea de ſermonibus literis conſignatis totumque orbem hac ratione colluſtrantibus optime intelligi. Nec

p. 31.
p. 90.

tertio

tertio obſtat, quo minus Theodoretus hujus fœtus parens credatur, quod Theodori Mopsveſteni, quem magna veneratione ille ſemper fuit proſecutus, circa interpretationem hujus libri ſententias convellat: ſatis enim huic feciſſe videtur eo, quod ſuppreſſo ſemper ejus nomine errores confutet; quod etiam in præfatione in Pſalmos fecit, dum eos explodit, qui Judaico more, quod fecit Theodorus, Pſalmos interpretantur, quam tamen nemo propterea ei abjudicare auſus fuit. Pari ratione Theodoreto reſtituendum Dupinius judicat caput ultimum Hæreticarum Fabularum Libri III, quo Neſtorianiſmi texuit hiſtoriam. Reſpondet proinde argumentis Garnerii, quibus id ei ivit ereptum. Vult ille primo comparari ea, quæ iſto ca- p. 109. pite de Neſtorio dicuntur, cum iis, quæ Theodoretus de eo alibi ſcripſit: nunquam non eum excuſavit, nunquam niſi bene de eo ſenſit, ægre demum ad condemnationem ejus ſe adigi paſſus fuit; cum contra Satanæ ὄργανον & plagam Ægyptiacam hic vocet, plauſtra denique anathematum & increpationum in eum ingerat. Verum cum poſt Concilium Chalcedonenſe, pronunciatumque ſolenniter contra Neſtorium a Theodoreto anathema, Hæreticæ Fabulæ conſcriptæ fuerint, perdere hoc argumentum nervos ſuos Dupinius exiſtimat, imo e re ejus fuiſſe ait, fœdis depingere coloribus, quem condemnaverat. Urget autem ſecundo Garnerius, non tantum in iis, quæ doctrinam, ſed & quæ vitam Neſtorii ſpectant, contradici hoc capite aliis Theodoreti locis; cum quibus tamen facilis admodum conciliatio Autori noſtro videtur. Quod enim Autor hujus capitis educationem Neſtorii ſibi ignotam dicit, cum Theodoretus contra optime noverit, Theodori eum fuiſſe diſcipulum; ita intelligendum eſſe putat, quod Theodoretus primam ejus inſtitutionem, priusquam in Theodori diſciplinam ſe dederit, ignorarit. Quod porro non noſſe ſe ait capitis hujus Autor, ubi fuerit locorum, antequam Antiochiam pervenit Neſtorius, cum Theodoretus tamen eum in S. Euprepii monaſterio fuiſſe, & baptizatum quoque Antiochiæ eſſe noverit, a Theodoreto non alienum videbitur, ſi priori loco ſermonem eſſe dicamus de itineribus ante Neſtorii in dictum monaſterium adventum peractis. Quæ denique de ingenio ejus in hoc capite proferuntur, non diſcrepant ab iis, quæ alibi de eo Theodoretus dixit; niſi quod non excuſatorem, ſed accuſatorem, mutata ſcilicet

ſententia, nunc agere voluerit. Tertium Garnerii argumentum maxime omnium infirmum Dupinio videtur. Inquit ille, promiſiſſe Theodoretum in poſtremo libro refutationem omnium, quorum in præcedentibus meminerat, hæreſium: at inter eas Neſtorianiſmum omiſiſſe. Verum enim vero ſuffecit Theodoreto principia ſuppeditare, quibus configendi erant hæretici, quæ omnibus ſpeciatim applicare, prolixum nimis fuiſſet; quamobrem præter Neſtorianos, Eutychianos quoque & alios quosdam omiſit. Quartum argumentum Garnerius a ſtylo petit, quem tamen a Theodoreti ſcribendi genere non alienum Dupinius putat; quamobrem ad quintum accedit. Scilicet ex epiſtola ad Sporacium, integrum illud caput deſumtum eſſe Garnerius contendit, Hiſtoriam Neſtorianiſmi iisdem plane verbis una cum dogmatum Neſtorii confutatione complectente. Illa vero epiſtola manifeſte eſt ſuppoſititia, idemque proinde judicium de hoc capite ferendum. Sed contrarium plane verum eſſe videtur, translatumque eſſe hoc caput e fabulis hæreticis in epiſtolam ad Sporacium, non ex epiſtola in fabulas hæreticas, cenſendum eſt. Ultimum denique Garnerii argumentum negativum eſt, inde deſumtum, quod nemo hoc caput pro defendendo Theodoreto allegaverit, cum ejus memoria in concilio V generali ob Neſtorianiſmi ſuſpicionem maxime periclitaretur: nec Facundus enim, nec Liberatus, nec Gregorius, nec quisquam cæterorum, qui bene cupiebant ei, ad illud provocarunt. Verum nec ad omnia Theodoreti loca, quæ allegari poterant, provocatum eſt; nec ad noſtras manus omnia pervenerunt, quæ in ejus favorem ſcripta eo tempore fuerunt; ut taceamus, Gregorio omnia opera ejus non ſatis nota fuiſſe. Imo ſufficere videtur, quod in ſequentibus temporibus a Photio, Leontio, Theodoro Abbate & aliis, pro genuino hoc caput habitum atque citatum fuerit. Major adhuc doctiſſimo Autori noſtro circa *S. Leonis* opera, & majori apparatu, diſcutienda fuit controverſia. Epiſtolas enim ejus primo quod attinet, Proſpero eas tribuendas eſſe Antelmius nuper perſuadere nobis auſus eſt. Conjecturæ locum ei dedit Gennadius, qui, *Epiſtolas Papæ Leonis adverſus Eutychen de vera Chriſti incarnatione ad diverſos datas, a Proſpero dictatas credi*, ait; quæ verba ne apice quidem mutato, in Chronico Marcellini ad Conſulatum Viviani & Felicis repetuntur; unde ad Adonis Viennenſis notitiam idem

p. 121.

locus

locus pari ratione, ac ad Honorii Auguſtodunenſis & Trithemii, ex ipſo Gennadio pervenit. Huic autem teſtimonio cum unice fere innitatur Antelmii ſententia, en quid ad ſubruendum illum tibicinem moliatur Dupinius noſter. Primo Gennadius nil aliud dicit, quam ita *credi* vel *dici*, nec ipſe ſive famæ ſive opinioni illi fidem habere videtur. Cum enim c. LXX de Leone ageret, epiſtolam ad Flavianum verbis expreſſis ei tribuit, nec ullam reliquorum ejus operum mentionem facit, ita ut in Scriptorum Eccleſiaſticorum cenſum eum redigere non potuiſſet, niſi hanc ipſamEpiſtolam ab eo profectam eſſe habuiſſet perſuaſum. Deinde dubitari meretur, an Gennadii ſint verba illa, quæ ex c. 84 modo allegavimus; interpolatum enim eſſe caput iſtud, neminem legentium fugere poteſt. Poſtquam enim Gennadius de Proſperi operibus ita eſſet locutus, ut appareat, doctrinam ejus de gratia minus ſe illi probare, ab alia manu adjunctum legitur, *hunc Proſperum defenſorem fuiſſe librorum S. Auguſtini contra Hæreticos gratiæ inimicos*, quæ verba pro aſſumento nemo non agnoſcit. Immediate vero ea ſequitur locus de epiſtolis Leonis, quem itidem pro interpolatoris fœtu habendum eſſe, hæc argumenta ſuadent: 1. Si Gennadii eſſet, textui ejus junctus procul dubio foret, nec aſſumento illi demum ſubnecteretur. 2. Ita concepta ſunt verba loci hujus, ut ad præcedentem additionem ſeſe referre videantur: ita enim incipit, *Epiſtolæ quoque*, quod ad additionem præcedentem, *Hic Proſper etiam*, referri, nec ullum habere poſſe cum vero textu nexum, legentibus manifeſtum eſt. Sed unde, inquies, illa in Gennadio additio? Divinare id Autori noſtro non adeo videtur difficile, cum eadem verba in Chronico Marcellini inveniantur. Inde itaque ea ad textum Gennadii aſſumta ſibi perſuadet. Sane enim alterutrum fieri oportuit, cum idem ſit verborum tenor, ut ſcilicet vel Gennadium exſcripſerit Marcellinus, vel e Marcellino ad Gennadii textum ea addita fuerint. Prius omni veriſimilitudine caret; nunquam enim Gennadium exſcribit Marcellinus: alterum itaque factum fuiſſe, neceſſe eſt. Quapropter omnia Antelmii argumenta ad famam reducuntur, quæ temporibus Marcellini, centum annis Leone junioris, increbuerat. Adonem enim quod attinet, eum Marcellinum fuiſſe ſecutum patet, nec etiam illius, noni quippe ſeculi autoris, magna in hoc negotio eſſe poteſt autoritas. Idemque de Honorio Auguſtodunenſi

dunenſi & Joanne Trithemio ferendum judicium. Quæ ad Notariatum Proſperi, quem apud Leonem eum obiiſſe Ado refert, nec non ſtyli ſimilitudinem, quam inter Proſperi & Leoni adſcriptas epiſtolas invenire ſe putat Antelmius, reponat Noſter, prætermus; quomodo ipſum Antelmianæ ſententiæ fundamentum ſubruat, retuliſſe contenti.
p. 136. Sed non epiſtolas Leonis tantum Proſpero tribuit Antelmius, verum etiam in ejus ſermonibus Proſperi ſtylum & genium agnoſcit, neque dubitat, quin ſermones ab occupatiſſimo Pontifice habiti, cum a pluribus expeterentur, a Proſpero expoliti & ad majorem elegantiam compoſiti fuerint. Quam in rem varias rationes cumulat, quibus expendendis & diſcutiendis operam ſuam Dupinius impendit.
p. 175. De *Eucherio* ubi loquitur Clariſſimus Autor noſter, occaſionem ſuæ de Homiliis, quæ ſub Euſebii Emeſeni nomine circumferuntur, aperiendæ ſententiæ nanciſcitur. Illarum centum & quadraginta quinque in dies Dominicos & feſtos totius anni, manuſcriptum Vaticanum & Montis Caſinenſis Brunoni Epiſcopo Signienſi reſtituunt. Nec dubitare ſinit ſtyli cum cæteris ejus ſcriptis conformitas, illum verum earum autorem eſſe. Reliquas Gallum vel unum vel plures agnoſcere autores, jam alibi notatum fuit: ſunt enim inter eas compluſculæ Maximi Rhegienſis homiliis ſimiles, quæ non poſſunt non illo tempore, quo monaſterium Lirinenſe florebat, eſſe compoſitæ. Et in vita quidem S. Hilarii ab Honorato Maſſilienſi ſcripta, Epiſcopum in Gallia circa hoc tempus vixiſſe diſcimus Euſebium, qui plauſtra ſermonum ſcripſiſſe dicitur; quod etiam confirmat Rabani diſcipulus Helmannus, in Poëmatibus ſuis inter celebres Franciæ Epiſcopos Euſebium & Cæſarium numerans. Illi forte omnes iſtas homilias tribuendas cenſeret, qui aliquas illarum Cæſarium, Maximumque & Fauſtum Rhegienſes, autores agnoſcere non conſideraverit. Doctiſſimi vero Autoris noſtri ſententia eſt, monachorum Lirinenſium eas eſſe fœtus, qui nomen Euſebii ſibi tribuerint, conſueti ſub appellativo aliquo nomine deliteſcere, ut adeo *homilia Euſebii* nihil aliud ſit, *quam homilia viri cujusdam pii*. Qui titulus huic collectioni fuerit additus, vel quod veri autores ignorarentur, vel quod illi pro more Lirinenſium ſermones ſuos aliter non inſcripſerint. Pari enim ratione in Commonitorio Vincentium Lirinenſem *Peregrini*, Salvianum vero *Timothei* nomen aſſumſiſſe, & forte ob

eandem

eandem cauſam Vitam S. Hilarii Arelatenſis ab Honorato compoſitam *Reverendi* nomine appellari. Specialius quidem Dupinius, ad quem autorem quilibet horum ſermonum ſint referendi, inquirit; ſed illa omnia exſcribere, inſtituti noſtri ratio haud ferre videtur. In *Maximo Taurinenſi* notat, XII ejus Homilias, a clariſſimo Mabillonio pro ineditis Tomo I. Muſei Italici vulgatas eſſe; cum tamen tres ex iis inter Ambroſii opera jam antea editæ proſtent. Inter omnes ſententias, quæ de *Autore libri de vocatione gentilium* obtinent, duas ſaltem examen mereri exiſtimat. Altera Queſnellii eſt, qui Leoni Papæ; altera Antelmii, qui Proſpero eum adſerere conatur, prolixa contra Quesnellium adornata diſſertatione; cujus tamen argumentis reſpondere partesque Quesnellianas reſtaurare magno conatu Cl. Autor ſuſcepit. De *Fauſto Rejenſi* ubi agit, de agitatis inter Sirmondum & ejus adverſarios, circa hæreſin Prædeſtinatianam, controverſiis loquendi captat occaſionem. Utramque partem non ſecundum rei veritatem, ſed ſecundum opiniones, putat tuliſſe judicium: ipſi igitur ſententiam ſuam, inter utramque fere mediam, luculenter & prolixe circa hanc rem exponere viſum fuit. De anima ejusque natura & affectionibus, idem fere quod Carteſium ſenſiſſe *Claudianum Mamertum*, collatis utriuſque opinionibus oſtendit. *Gelaſio Papa* tractatum contra Eutychen & Neſtorium ſtrenue vindicat, exploſis, quibus cum Baronio Bellarminus Gelaſio Cyziceno eum aſſerere ſategit, argumentis, quod Proteſtantibus, noſtrarum partium imprimis, ob locum de S. euchariſtia ſub finem partis prioris, celebri illi Theodoreti loco prorſus ſimilem, non poteſt non eſſe gratiſſimum.

p. 178.
p. 191.
p. 246.
p. 226.
p. 269.

Quemadmodum vero alia quoque, quæ forte non probabuntur Curiæ Romanæ, in hoc Bibliothecæ Eccl. Tomo occurrunt quamplurima: ita mirum non eſt, eandem cum reliquis eum ſubiiſſe cenſuram. Talia ſunt, cum, ubi de conciliis hujus ſeculi pro more agit, ne conſilio quidem Pontificis Romani a Theodoſio convocatum eſſe concilium Epheſinum, contra Baronium & Bellarminum probat; cum Cyrillum, quem Legati Papæ characterem in hoc concilio ſuſtinuiſſe negat, in eo tamen præſediſſe evincit; cum locum a S. Thoma ex Cyrilli theſauro pro Curiæ Romanæ ſuprematu citatum, genuinum non eſſe contra Labbeum oſtendit: cum e Capreoli libello ad Vitalem & Conſtantium notat, quam ſubmiſſe duo Hiſpani,

p. 319.
p. 320.
p. 64.
p. 73.

quid

quid de Neſtorianiſmo ſtatuendum ſit, eum interrogaverint, poſteaque iſta ſubjungit: quid Curiæ Romanæ dicerent Theologi, ſi Epiſcopum Romanum tam ſubmiſſe iſti conſuluiſſent, quæ non inde in
p. 146. favorem Curiæ illius deducerent conſectaria? cum ipſum Leonem M. induci: Imperatori *virtutem Sacerdotalem* tribuentem, aliaque ex antiquis Eccleſiæ monumentis teſtimonia, pro *Epiſcopatu* ſummorum Magiſtratuum adducit; ut alia hujuſmodi quamplurima taceamus. Cæterum omittit Cl. Autor in hoc Tomo, quam aliis ſubjungere ſueverat, brevem doctrinæ, diſciplinæ & morum hujus ſeculi repræſentationem. Cum enim toties harum rerum repetita ſit in hoc & præcedente tomo tractatio, facile nova earum repetitione cariturum eſſe Lectorem exiſtimat.

NOUVELLE BIBLIOTHEQUE DES AUTEURS Eccleſiaſtiques. T. V. &c.

h. e.

NOVÆ BIBLIOTHECÆ AUTORUM ECCLESIAſticorum Tomus V, Scriptores Eccleſiæ ſeculi poſt C. N. ſexti complexus, autore LUDOVICO ELIA DU PINIO.

Montibus Hannoniæ, impenſis Huguetanorum, A. 1691. in 4.
Conſtat alphab. 1. plag. 11.

RECte monet in præfatione tomi hujus quinti doctiſſimus Autor, multum hoc ſeculum infra præcedentium dignitatem jam ſubſidere. In eo enim ſicuti eruditio, priſcæque illius ſimplicitatis puritas, non deploranda ſatis decrementa paſſa videtur: ita ſuperſtitio velut agmine facto irruebat, veteris diſciplinæ graviſſimus rigor concidebat, ambitio & Simonia thronum occupabant, ſchiſmatibusque & diſſenſionibus omnia miſceri incipiebant, ita ut ſi ſua ætate merito queri potuit Polycarpus: o bone Deus, in quæ nos tempora reſervaſti! longe meliori jure hoc ſeculo querela iſta repeti potuerit.

Inſtituit interea Cl. Autor noſter examen eorum, quæ in defenſione Epiſtolæ Chryſoſtomi ad Cæſarium, paulo ante quintum hunc Bibliothecæ eccleſiaſticæ tomum edita, Autor ejus monuerat. De Facundi enim Hermianenſis loco agens, his fere verbis uſus fuerat: *Harduino plane perſuaſum eſt, ſubleſtæ fidei eſſe iſtud Facundi opus; illius enim*

enim pariter ac Liberati, Marii Mercatoris, Victoris Tunun enſis, Caſſiodori omnia opera, (præter formulas, tractatum de anima, & commentarios in Pſalmos,) Iſidori item de Scriptoribus eccleſiaſticis librum, in Gallia nata, multoque quam vulgo creduntur, recentiora eſſe, cujus rei argumenta aliquando ſe communicaturum pollicitus eſt. Partium itaque ſuarum Noſter exiſtimans Autorum iſtorum ſuſcipere vindicias, initium earum facit ab Iſidoro Hiſpalenſi; illius enim ſalva fide, Facundi quoque libris & Chronico Victoris Tununenſis ſua conſtet oportet autoritas. Iſidoro autem facile fidem conciliant Braulionis Epiſcopi Cæſarauguſtæ, familiaris ejus ac coætanei, aliquot tamen annis ei ſuperſtitis teſtimonium, qui non tantum opus de Viris illuſtribus ei tribuit, ſed iſtud quoque uno capite, elogium Iſidori compleſtente, a ſe auctum fuiſſe dicit. Alter cujus autoritate Iſidorus nititur, Ildefonſus Toletanus eſt, ætate illo non multum inferior, qui in Præfatione ſui de Viris illuſtribus operis, continuationem iſtud Hieronymi, Gennadii & Iſidori eſſe cupit. His duobus tertius addi poterit Honorius Auguſtodunenſis, qui in Catalogi ſui Autorum eccleſiaſticorum libro primo Hieronymum, ſecundo Gennadium, tertio vero Iſidorum noſtrum Hiſpalenſem manifeſte exſcribit. Neque certe in ipſis Iſidori ſcriptis aliquid, quod dubia ea reddat, inveniri poteſt, nec quicquam eſt quod Gallum potius quam Hiſpanum autorem fuiſſe ſuadeat; non ſtylus enim tantum, ſed & rerum Hiſpanicarum cognitio poſterius magis probabile reddunt. Imo etiam MSta, e quibus Garſias in lucem eum protulit, in Hiſpania reperta fuerunt. Nullo alio igitur fine rejectus Iſidorus videtur, quam ut Facundus & Victor corruant, qui cum illo ſtare videntur, utpote ab eo allegati. Sed ſi hoc ad eum rejiciendum ſufficit, ad Ildefonſum etiam extendendus erit cenſuræ rigor; quod tamen facere aut oblitus, aut non auſus fuit Harduinus. Sed demus, Iſidori de Viris illuſtribus librum ſuſpicionem admittere, nemo tamen de ejus Originum libris dubitare poterit. Horum vero etiam libro V cap. ultimo Victoris Tununenſis meminit, quem Ado Viennenſis quoque ſub initium Chronici ſui & Otho Friſingenſis Hiſt. l. 5. c. 4. allegarunt. Quin totum negotium expedit, quod Joannes Abbas Biclarenſis, Victoris coævus, Chronicum ejus continuaverit, ut ipſe ſub ſui Chronici initium docet. Et quid denique in Victoris Chronico fabuloſum, quid eo indignum,

quid quod falſarium arguat inveniri poterit ? Hac vero ratione Facundo ſua ſarta tectaque manebit etiam autoritas, a Victore pariter ac Iſidoro allegato. Quin etiam e Caſſiodoro in Pſalmum 138 (quod opus ei reliquit Critica Harduini) id ſaltem evinci poterit, fuiſſe aliquando in Africa Epiſcopum Facundum, qui Juſtiniano opera ſua dedicaverit, *Hereticorum penetrabili ſubtilitate deſtructor.* Ipſa vero Facundi opera quod attinet, ea quoque omnes genuini libri characteres habere, luculente oſtenditur, quod fere etiam de Marii Mercatoris ſcriptis cenſendum eſſe videtur. Caſſiodoro denique cur ſcripta ſua reliqua, præter commentarios in Pſalmos & tractatum de anima abjudicentur, nulla ratio eſt; præſertim cum Sigebertus Gemblacenſis aliique Scriptores bibliothecarii, ei conſtanter illa adſcribant. Sed non comparari meretur, inquit Dupinius, Harduini audacia, qua omnia iſta monumenta rejicit, cum illa, qua Juſtino Martyri Apologias ſuas abjudicat, de quibus tamen minus ſemper quam de Dialogo cum Tryphone, quem relinquit ei Harduinus, diſceptatum fuit. Producit itaque argumenta, quæ Harduinum ad saniorem mentem revocare poſſe putat, & ſi de hujus libri ſinceritate dubitari poteſt, nullum, inquit, antiquitatis monumentum eſt, quod tueri ſe queat. Quod ſane ita eſſe, nupera Harduini de nummis Herodiadum proluſio ſatis oſtendit, in qua non pauca auſa eſt Viri illius doctiſſimi critica. Cæterum cum *optima Harduino ſuppetere argumenta*, Autor defenſionis illius dicat, quibus probet, *ſub finem ſeculi ſecundi Juſtini Apologias eſſe fabricatas*, nulla illa eſſe poſſe clariſſimus Autor noſter demonſtrat.

Sed a præfatione ad ipſum librum: in quo recenſendo eo erimus breviores, quod ſterileſcens hoc ævum, cujus ſcriptorum maximam partem decretales & aliæ Pontificum Romanorum epiſtolæ conſtituunt, ipſum prolixitatem diſſuadere videatur. Ex
p. 7. *Aviti* itaque ep. 23. obſervat, eum primatum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ tribuere; ſcribit enim ad ejus Epiſcopum, *Apoſtolatum ejus exercere primatum quem Deus ei conceſſerit, oſtendereque non tantum prærogativis, ſed etiam meritis ſuis, primum in Eccleſia univerſali locum ſe tenere.* Credere quis poſſet, inquit Dupinius, ad Epiſcopum Romanum hæc ſcripta fuiſſe? Aſt non titulus tantum, ſed ipſe textus etiam epiſtolæ, ad Hieroſolymitanum ea pertinere evincunt.

Inte-

Interea non eſt tanta apud eum Aviti autoritas, ut eum in Ep. 33, p. 8.
in Symmachi Papæ favorem ſcripta, ægre ferentem, quod concilium
Papam judicare fuerit auſum, refutandum non exiſtimet. Et dif-
ficile admodum ipſi præcipue videtur, ad ſanam mentem reducere
iſta Aviti verba: *Si Papa urbis Romæ vocatur in dubium, Epiſcopa-
tus jam videbitur, non Epiſcopus vacillare.* Quid enim, inquit, ſi ido-
lolatria, vel hæreſi, vel Simonia, vel aliis flagitiis polluatur Papa,
num propterea ſedes Apoſtolica periclitabitur? Sic nec *Ennodii* au-
toritas ipſi perſuadere poteſt, eum qui in ſedem Romanam evehitur, p. 13.
ſanctum ſubito evadere, Papatumque aut invenire talem aut efficere.
Paradoxum enim hoc eſſe ait, vaſto exemplorum numero abunde re-
futatum. De *Procopio Gazæo* ubi agit, mirum eſt, eum non meminiſſe p. 15.
ejus Commentariorum in XII Prophetas minores, quos in Biblio-
theca Jeſuitarum Claromontii eſſe, a Garnerio jam olim Latine reddi-
tos & prælo paratos, a Viro quodam doctiſſimo, qui eos in Gallia olim
vidit, accepimus. Doctiſſ. Harduinum ejus editioni manum admovere
voluiſſe idem addebat, quod ut faciat in Reipublicæ literariæ commo-
dum mature, etiam atque etiam eſt orandus. Vivis admodum co-
loribus depingit clariſſimus Autor *Vigilii* ejusque Antipapæ Sylverii p. 67.
machinationes, quibus ſe mutuo evertere conati ſunt; nec tacet, quod
cum religionis etiam diſpendio, aulæ Conſtantinopolitanæ favorem
prior ſibi conciliaverit. Hinc etiam, quicquid contra moliatur cum
Baronio Binius, Profeſſionem fidei, in qua Acephalorum ſtabiliun-
tur errores, huic tribuendos dicit. Sufficit enim ad hoc probandum
Liberati autoritas, qui & literas ad Imperatricem, & ſecutam eas Pro-
feſſionem iſtam ſub Vigilii nomine exhibet; nec ipſum aliquid a ſe ali-
enum hoc ipſo feciſſe, ex aliis ejus geſtis eſt evidens. *Primaſium* Præ- p. 80.
deſtinati eſſe autorem, quicquid ſuadeat codex a Mabillonio inſpe-
ctus, negat. *Anaſtaſio* vero *Sinaitæ* Ὁδηγὸν ſine omni ſcrupulo tri- p. 96.
buit, quod tamen opus rectius forte collectionem eſſe dixiſſet, cen-
tonemque tum ex aliorum Patrum, tum ex Anaſtaſii ſcriptis conſar-
cinatum, cui nomen Anaſtaſii imperitorum poſtmodum culpa ad-
hæſit. Ita ſane factum eſſe cum innumeris aliis hujusmodi ſcriptis
novimus, ut primi fragmenti autori totus liber poſtmodum fuerit
adſcriptus. Collectionem enim hoc opus eſſe, quisquis priora ſaltem
capita legerit, facile deprehendet; Anaſtaſii certe totum eſſe non

 poſſe,

poſſe, vel inde manifeſtum eſt, quod Eucherius Alexandrinus mortuis
in eo accenſeatur, quem tamen anno 608. diem demum obiiſſe con-
p. 110. ſtat. E *Gregorio M.* ſolicite conquiruntur loca, quibus nemini Epi-
ſcoporum Patriarchatui univerſali inhiare permiſſum eſſe conten-
dit, quod facere eo tempore Conſtantinopolitanus Epiſcopus vide-
batur; ut & illa, quibus cogi ad fidem homines prohibet, & perſecu-
p. 116. tiones ad amplianda religionis Chriſtianæ pomœria inſtitutas impro-
bat. De *Euſtratii Conſtantinopolitani* ætate mirum plane, dubium
p. 148. Autorem noſtrum hærere: vix enim dubitari poteſt, Eutychium Patri-
archam Conſtantinopolitanum eum vidiſſe, quem ſibi *πάντη ἱερὰν
καὶ τιμίαν κεφαλὴν* eſſe dicit; quo loquendi genere cum de homine
ſibi ignoto non uſurum fuiſſe arbitramur.

p. 165. Conciliorum hoc ſeculo larga admodum meſſis prodiit. De
Concilii Agathenſis Can. 2. agens Dupinius, ſuam de communione
peregrina ſententiam his fere verbis expoſuit: deſignari per illam exi-
ſtimo locum peregrinis, clericos ſe eſſe dicentibus, nullis tamen li-
teris formatis inſtructis, conceſſum. Illis enim ante laicos quidem
locum adſignabant, infra tamen ordinis ſui clericos. Si e.g. Epiſcopum
ſe diceret hujuſmodi clericus, poſt reliquos Epiſcopos, ante Presby-
teros tamen locum obtinebat; ſi Presbyterum, poſt reliquos Presby-
teros, ſed ante Diaconos &c. Quo obſervato, facile eſſe explicatu,
p. 189. quid communio peregrina fuerit, exiſtimat. Prolixiſſimus eſt in hi-
ſtoria Concilii Conſtantinopolitani II, quod quintum generale vul-
go audit, occaſione trium capitulorum in cauſa Acephalorum habiti.
Sufficit vel ſola iſtius concilii hiſtoria, ad corruptos hujus ſeculi mores
penitus perſpiciendos; quamobrem hic quoque doctrinæ, diſciplinæ
& morum brevem delineationem ſine Lectoris damno omitti poſſe
exiſtimavit.

ONDERSOEK van de BETEKENINGE der Kometen &c.

h. e.

DE COMETARUM PRÆSAGIIS DISQUISITIO, OCcaſione Cometarum, qui A. 1680, 1681, & 1682 comparuere, inſtituta a BALTHAS. BEKKERO, S. T. D. & V. D. *apud Amſtelædamenſes Miniſtro. Editio nova, priori uno capite & epilogo auctior. Cui acceſſit ejusdem deſcriptio methodi, qua Ludov. Gul. de Graaf ad longitudinem locorum inveniendam utendum eſſe exiſtimavit.*

Amſtelædami apud Joannem ten Hoorn, A. 1692. in 4. Plag. 15.

Altera

ALtera hæc eſt editio libri rerum non plane vulgarium copia ſatis referti, auctior tamen aliquantum priore, quam anno 1684. ejus Auctor publicavit. Nos quamvis juſto diutius ejus recenſionem diſtuliſſe videamur, eam tamen vel nunc inſtituendam cenſuimus, cum in *Mundo Faſcinato*, de quo alibi egimus, paſſim provocatum ad hunc librum eſſe videamus. En tibi igitur B. L. ea, quæ ſpatii, intra quod cohibemur, anguſtiæ ex eo decerpere nobis permiſerunt.

Communem ante omnia exponit de cometis hominum ſen- p. 4.
tentiam, qui inter ſigna rerum futurarum eos reponere ſolent, ſive in genere eos aliquid, ſive bonum ſive malum, præſagire ſtatuant, quod Claudianus & Beza fecerunt; ſive in ſpecie peſtem, famem, bella aut hominum inſignium fata, mortalibus illis ſignificari ſibi perſuadeant, quod e veteribus Manilius, & Pontanus inter modernos facere fuerunt auſi: ſive denique cauſas illos, ſive nuda ſigna magnorum eventuum exiſtiment.

Cum autem ſignum quodvis vel natura ſua, ſicuti *οὐρανὸς πυῤ-* p. 7.
ῥάζων, vel inſtitutione, ſicuti iris, ille ſerenam inſequentis diei tempeſtatem, hæc terram aquis diluvii nunquam denuo ſubmergendam, ſignificet; cometam natura ſua nobis nihil ſignificare poſſe oſten-
dit, cum illa nobis ſit plane ignota. Sane enim, ut differentes vete- p. 9.
rum apud Manilium de cometæ natura taceamus opiniones, quis definire audebit, an magnus Carteſius, an diligentisſimus Hevelius, an ingenioſisſimus Bernoullius inter recentiores præ cæteris eam explo-
ratam habuerit? Imo quis gloriari poteſt ſibi de colore, figura, & p. 15.
motu cometæ, harumve affectionum diverſitate & cauſis ſatis certo conſtare? Si vero non conſtat, quæ earum cum eventibus, qui illis tri-
buuntur poterit oſtendi connexio? Nec ab Aſtrologia peti poteſt p. 21.
cometicis prædictionibus auxilium; ipſius enim illius artis regulæ vel ſolo hoc corruunt ariete, quod ejus principia & fundamenta ex recentiorum Mathematicorum hypotheſibus, erroris & falſitatis luculente convincantur, ab hominibus quippe rerum cœleſtium non ſatis
peritis conficta. Experientiam quidem objicit vulgi ſuperſtitio, ſed p. 24.
norunt docti, fallacem eſſe ſecundum Hippocratem experientiam, inſignemque requirere exemplorum copiam: at rariores ſunt, quam ut experientia regulas de iis conſtruere poſſit, cometæ. Et ſi quis ad ea quæ in veterum libris occurrunt hic provocet, ei merito occinemus,

nimis ipſos quoque hac in parte fuiſſe credulos, dum vel plures deſcripſerunt, quam unquam comparuere, (quis enim neſcit, quot falſis prodigiis Livius, quot Joſephus, quot alii ſibi imponi paſſi fuerint?)
p. 26. vel illis ſine ulla ratione tribuerunt ſecutos eos eventus. Et inde etiam eſt, quod nemo hactenus ſpecialiora e cometarum motu, colore, aut aliis affectionibus prædicere potuerit: imo turpiter ſe dederunt, quicunque verbis, licet Delphicis oraculis obſcurioribus, id facere
p. 33. auſi ſunt; quod Viri non indocti e recentioribus exemplo Autor noſter confirmat. Quatuor autem potiſſimum eſſe oſtendit, quæ non poſſunt non iis, qui e cometis futura prædicere ſatagunt, figere crucem. Primo enim negare non poſſunt, multas hujuſmodi ſtellas comparuiſſe, quas magnus eventus ſecutus fuerit nullus; multa vero contigiſſe, non comparente antea cometa. Deinde cui potiſſimum minabitur cometa, cum unam provinciam, altera ſalva, malis hujusmodi, quæ ſignificare creditur, premi videamus? Quale denique malum erit, cum in uno loco peſtem, famem in altero, bellum in alio
p. 39. forte cometam ſequi videamus? Sed ducit Autor noſter porro a ſilentio Scripturæ argumentum, quæ ſæpe quidem ſtellarum, nunquam vero earum, quas cometas appellamus, meminit; nedum ut eos tanquam rerum futurarum ſigna nobis commendet. Neque illi intelligi poſ-
p. 41. ſunt, quod forte aliquis objiciat, ubi de ſignis cœli ſermo eſt; nam ex inductione hujusmodi locorum patet, de nullis aliis quam ordinariis, ut ita loquamur, ſignis, Solis ſcilicet, Lunæ, cæterorumque ſiderum eſſe ſermonem, quæ diem & noctem, tempeſtateſque anni, aut alias hujusmodi varietates naturali ſua virtute ſignificant. Ubi vero de extraordinariis ſermones ſerunt S. Scriptores, nihil dicunt, quod aliquam e-
p. 45. orum cum cometis convenientiam arguat. Nec ſtella etiam quæ tempore nativitatis Salvatoris noſtri comparuit, huc trahi poteſt. Illa enim cum non in expanſo cœli, loco ſideribus proprio, ſed inferioris aeris regione comparuerit, in ſtellarum cenſum venire non poteſt. Fuit itaque potius in aere accenſa flamma vel lucidus vapor, ut
p. 50. deducendis ad Chriſtum Magis inſerviret, excitatus. Neque inter ſigna mundi conflagrationem præceſſura, aliquid huc ſpectans invenire licebit; cum quicquid de illis a Salvatore & aliis Viris Dei prædicitur, ex ſententia Auctoris noſtri, in ſenſu metaphorico ſit accipiendum. Imo prorſus repugnant ſtylo Scripturæ rerum infauſtarum e ſtellis præ-
ſagia:

ſagia : ſtellæ enim ad regnum lucis in illa pertinere dicuntur, luce vero nunquam non bona, quemadmodum tenebris mala, Scripturæ deſignant. Quin denique, ut arguendi finis fiat, oſtenditur, claris S. Oraculorum verbis omnia præſagia, niſi illa quæ ab ipſo Deo verbo ſuo admixta habentur, magis vero ſpeciatim ea, quæ e cœli corporumque cœleſtium motu petuntur, ſeveriſſime prohiberi. Hinc vero patet, non levis etiam criminis apud Deum ſe facere reos, qui cum vulgo de cometis ſentiunt. Quorum error ut penitus refellatur, ſolicite in ejus cauſas inquiritur. Primum inter eas locum obtinet incuria & negligentia noſtra circa ordinaria Dei opera, & ſtupor quo percelli nos patimur, ſimul ac aliquid præter ordinem contingere judicamus. Naturalis inde ac propria nobis timiditas, ſuperſtitio, rerum novarum ſtudium, atque credulitas vanis hominum rumoribus confirmata, haud parum ſibi hic vindicant, ut & vaniſſimum iſtud, ex Autoris ſententia, quam examinandam aliis relinquimus, præjudicium, omnia propter hominem eſſe condita: cum tamen Scripturæ loca, quæ innuere iſtud videntur, nil aliud innuant, quam humanis oculis omnia iſta eſſe expoſita, ut ſpectaculo ſuo hominem delectarent, non ut aliis ejus uſibus unice inſervirent. Longe enim plura eſſe & majora, ad quæ cœleſtium v. g. corporum uſus ſeſe extendat, ex ipſa eorum natura probare nititur. E quibus omnibus cum ſatis conſtare putet, vana eſſe quæ a cometis deſumuntur vaticinia, verum uſum, quem eorum pariter ac reliquorum corporum cœleſtium contemplatio præſtare poteſt, oſtendit. Tandemque toti operi enarratione eorum, quæ proximos cometas ſecuta ſunt, ſignificari tamen ab iis non potuerunt, adeoque a nemine etiam ex iis prædicta ſunt, bellorum ſcilicet cum Turcis & Gallis, Magnæ Britanniæ fatorum, & aliorum inſignium eventuum, finem imponit.

p. 63. p. 67. p. 70. p. 74. p. 77. p. 82. p. 89. p. 93.

Deſcriptio methodi Lud. Will. de Graaf, in inveniendis locorum longitudinibus duabus literis abſolvitur. Earum priore ſimpliciter narratur, quomodo ille iſtam methodum ſuam Ordinibus Belgii Fœderati proponi curaverit, licet, qua in re illa conſiſtat, nemini unquam aperire voluerit; niſi quod Tabulis Waſmuthianis & Aſtronomicis obſervationibus eam inniti, faſſus fuerit. Fraudem ſubeſſe, Franequeranus Mathematicus *Fullenius* epiſtola publice monuerat, utpote qui imperitiam Viri illius, nauticæ rei alias addicti, problemate

quo-

quodam propoſito, e tabulis Waſmuthianis ſolvendo, deprehendiſſe ſibi viſus fuit. Epiſtolæ Fullenii tria mendacia objecit *Lud. Wilhelmus* ille *de Graaf*, quam tamen accuſationem ab eo Autor noſter ſolicite defendit. Non expectabunt autem a nobis Lectores prolixam iſtorum enarrationem, cum ad rem, de qua præcipue agendum erat, vix pertineant; quemadmodum & alteram Epiſtolam, qua rationes exponit Bekkerus, quibus motus literis Grafii, ſuperiori ſuæ epiſtolæ oppoſitis, non reſponderit, ideo attingimus ſolum, quod, ut ipſius Autoris verbis dicamus, ad famam Fullenii tuendam magis, quam ad rem ipſam & artem, quæ occaſionem dedit omnibus iſtis, illuſtrandam pertinere videatur.

EXCERPTA EX COMMENTARIIS MATHEMATICIS & Phyſicis Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis. A. 1692. p. 161. ſeqq.

DOminus *Tournefort* conjecturas circa *uſum vaſorum* in quibusdam *plantis* non improbabiles protulit, poſtquam obſervavit microſcopio, vaſa illa in plerisque plantis plerumque eſſe medulloſa & quaſi ſpongioſa, aut potius compoſita ex multis ſacculis aut veſiculis cavis, ſecum invicem communicantibus, tranſitumque præbentibus ſucco nutritio, eodem fere, quo filum craſſius ex goſſypio liquorem filtrandum tranſmittit, modo. Cenſet enim, vaſa illa plena medulla aut veſiculis alios adhuc uſus habere, quam apportandi ſuccum nutritium, neque tantum partes plantæ fortiores reddere ac ſuſtentare, ſed ſæpe abire in fibras tenſionis capaces, quando partes, in quibus ſunt, ſatis jam creverunt, neque nutrimento amplius opus habent; imo in nonnullis plures quandoque ſua diſpoſitione concurrere ad eundem motum, veroſque muſculos formare; contrahi autem fibras illas, quando planta exſiccari incipit, neque veſiculæ amplius tenduntur a ſucco nutritio. Id vero cumprimis conſpicuum eſt in ovariis hellebori nigri, aconiti & coronæ imperialis, quæ ubi planta maturitatem adepta eſt, a fibris illis diſrumpuntur, partim ut ſemina ab aëre alterentur perfectioraque reddantur, partim, ut hinc inde diſpergantur.

Dominus *Caſſini* ex ſuis obſervationibus concluſit, *Conjunctionem*

nem Veneris cum Sole accidiſſe die quarto Septembris, mane 7 hor. 7 min., adeoque 36 hor. 33 min. tardius quam Ephemerides Argoli, ſed 14 hor. 13 min. quam Tabulæ Rudolphinæ indicant. Maxima Veneris latitudo apparuit 8 grad. 48 min. Eandem conjunctionem Dominus *Sedileau* ex ſuis obſervationibus determinavit, quoad aſcenſionem rectam contigiſſe d. 2 Septembr. mane hor. 1. min. 14. in gradu 161, min. 53, ſecund. 10; quoad longitudinem verò d. 4 Septembr. mane hor. 7. min. 35, in grad. 12, min. 33, ſec. 35 Virginis, cum Veneris latitudo eſſet 8 grad. 45 min. Dominus *Homberg* oſtendit modum ſequentem extrahendi *ſal volatile acidum minerale in forma ſicca*, quod ſolutum in ſpiritu vini probe rectificato & in pavimentum effuſum inſtar aquæ fortis ebullit. Recipe duas uncias argenti puri, easque ſolve in 5 unciis ſpiritus nitri, effunde hanc ſolutionem adhuc calentem in pintam aquæ fluviatilis, in qua tantum antea ſalis communis ſolutum, quantum ſolvere poteſt, & argentum præcipitabitur inſtar coaguli albi. Lava ſæpius hoc argentum præcipitatum aqua calida, donec inſipidum evadat, & probe ſicca; habebis duas uncias & dimidiam calcis argenti. Deinde in vaſe ferreo igni valido calcina duas aut tres libras ſtanni, cui nullum aliud metallum admixtum, & de hac calce ſtanni bene ſicca unam cape unciam cum dimidia, exacteque miſce cum $2\frac{1}{2}$ unciis calcis argenti bene quoque ſiccatæ. Hanc mixturam inde matracio lutato, ita ut ejus duæ tertiæ partes remaneant vacuæ, illudque expone igni aperto, ita ut collum ejus deorſum inclinetur; defluet in hoc materia nigricans, quæ ſtatim coagulabitur in lapidem valde durum coloris ferruginei dilutioris, cujus pondus erit circiter unciæ unius & dimidiæ. Hic lapis eſt calx ſtanni ſoluta a ſalibus, quæ erant in calce argenti concentrata, & caput mortuum, quod inſipidum reſtat in fundo matracii, eſt argentum in calcem redactum a ſalibusque liberatum, quæ retinuerat ex ſuo diſſolvente in præcipitatione, poteſtque in maſſam ope capellæ ordinariæ ſine damno redigi. Tandem lapidem illum in pulverem contunde, eumque bene ſicca valde exiguo calore, immiſſumque vaſi ſublimatorio (verres de rencontre) ſublima ſecundum legem artis; nanciſceris dimidiam unciam ſalis volatilis, id quod ſi rectifices bis aut ter igne admodum exiguo, habebis ſal volatile acidum, valde album & transparens. Caput mortuum eſt calx ſtanni, idque ſi exponatur aëri 2 aut 3 menſes, denuo imbibit

bibit novum ſal acidum plane ſimile illi, quod ſublimationis ope ſeparatum fuit. Ita ut adhuc ſemel, vel etiam tertia vice, pluriesque ſublimari poſſit.

Dn. *de la Hire* ex obſervationibus in regio obſervatorio peractis, & cum Tabularum Rudolphinarum calculo comparatis concludit, in Tabulis *Jovis* Rudolphinis epocham anni 1600 augendam eſſe 6 minutis, ut fiat 5 ſign. 10 grad. 0 min. 43 ſecund., locum autem Aphelii eſſe promovendum 1 grad. 40 min. ita ut ſit pro anno 1600, ſign. 6, grad. 8, min. 32, ſecund. 0. Idem oſtendit *Veneris* locum in nodo ſuo ex jam dictis tabulis non exacte poſſe haberi, ſed contra potius obſervationes evincere, quod hoc minimum ſeculo nodus Veneris locum non mutarit. Dominus *Homberg* varia circa rupturam *lacrymarum vitrearum* in vacuo fecit experimenta, quibus comperit, longe majori vi diſſilire illas, & in minora quoque fragmina, quam in aere, & ſi frangantur in tenebris, aliquid de ſe luminis ſpargere. Supponit autem, hæc phænomena ut explicet, lacrymam fere eſſe induratam, ut lamina chalybea, dum aquæ immergitur, temperari ſolet: atque uti hæc, ſi nimium curvetur, in plura fruſta diſſilit, quia incurvatione partes ejus exterius nimis diductæ, interius nimis compreſſæ, maximaque celeritate ad ſitum priſtinum revertentes ſe invicem percutiunt atque ſeparantur; ita eodem modo, dum cauda lacrymæ abrumpitur, eandem confringi. Quod autem majori hoc ſit violentia in vacuo, id ideo contingere putat, quia demtus eſt aer, qui debilitat vim percuſſionis, dum in eum fragmina incurrunt; atque hinc quoque fruſtula fieri minora, quia ſtatim alliduntur ad latera recipientis & denuo comminuuntur. Luminis explicationem alii occaſioni reſervat. Dominus *Pothenot* regulam communicat cum publico inveniendi *poſitionem* alicujus *loci*, qui videri nequit ex punctis principalibus, in quibus peragitur obſervatio. Nimirum aſſumendæ ſunt duæ diſtantiæ trium aut quatuor punctorum jam notæ, & ex puncto, cujus poſitio quæritur, capiendi ſunt anguli, quos illæ diſtantiæ ſubtendunt; deinde vero ſuper lineas illas cognitas deſcribenda ſunt ſegmenta circulorum angulos inveſtigatos capientia; horum interſectio dabit loci poſitionem quæſitam, ſi puncta, prout Auctor præcipit, aſſumta fuerint. Tandem Dominus *Varignon regulas motus* in genere deducit ex principio ſuo univerſali: quod omnibus in motibus, ſive provolvendo ſive recta protrudendo fiant, ſive in linea recta ſive curva, ſive

ſint

ſint uniformes, ſive accelerati aut retardati, in omnibus proportionibus & variationibus imaginabilibus, ſumma virium motû efficientium in omnibus inſtantibus ſuæ durationis ſit ſemper proportionalis ſummæ viarum aut linearum, quas percurrunt omnia puncta corporis moti. Hinc enim, quod ad rotationem attinet, efficit, (1) plus requiri virium ad corpus aliquod, v. g. globum, volvendum ſuper planum mathematicum, quam ad efficiendum, ut recta procurrat eadem velocitate in reſpectu ad eundem motus terminum, & quidem tanto plus, quanto major eſt ſumma linearum, quas deſcribunt omnia corporis illius puncta, quam productum ex eodem corpore & via ſui centri gravitatis. Quoad reliquos motus ex eodem principio colligit, (2) quicquid virium omnino requiritur ad illa motus genera, ſive accelerati, ſive retardati ſupponantur, uno verbo, variati in omnibus proportionibus imaginabilibus, ſemper eſſe proportionale producto ex maſſa corporis moti, & via, quam ejus centrum gravitatis percurrit. In ſpecie autem, ſi corpus uniformiter moveatur, (3) productum ex duratione motus & vi, quæ ipſum inchoavit, eſſe ſemper proportionale producto ex maſſa corporis moti & longitudine viæ, quam percurrit, hoc eſt, via ſui centri gravitatis. Ita, ſi vires *a* & *b* ſemper eædem ſeu uniformes protrudant corpora M & N, quorum maſſæ ſunt *e* & *g*, per ſpatia *f* & *h*, temporibus *c* & *d*, ſemper eſſe:

$$ac \,.\, db :: ef \,.\, gh. \quad \text{ac proinde:}$$

$$1.\ a \,.\, b :: efd :: ghc$$
$$2.\ c \,.\, d :: efb \,.\, gha$$
$$3.\ e \,.\, g :: ach \,.\, bdf$$
$$4.\ f \,.\, h :: acg \,.\, bde$$

Has autem quatuor regulas ad varias hypotheſes Varignonius accommodat, ex iisque principia Statices tum Galilæi, tum Carteſii deducit.

EXTRAIT D' UNE LETTRE ECRITE A Mr. REGIS &c.

i. e.

Excerpta ex literis ad Dominum Regis, unum ex illis quatuor, quibus cura Ephemeridum Eruditorum injuncta eſt, de pilorum ſtructura perſcriptis a Dn. Chirac, Conſiliario Regis ac Profeſſore Medicinæ Monſpelienſi.

Monſpelii, apud Gontierum, 1688. in 12. plag. 6.

QUamvis Leeuwenhoeckius, in Obſervatione *Actis A. 1683. p. 511.* inſerta, filamenta ſive fibras non prorſus deneget pilis, nec crinium cum pennis avium comparatio e Borelli Obſ. microſc. 23. curioſos fugiat, ejusmodi tamen aſſertis lucem multo majorem fœneratur pilorum ſtructura, quam Autor clariſſimus hic evolvere, variaque ex ea ſolvere phænomena nititur. Etenim quoad texturam pilorum, ante omnia radices horum, æque ac plantarum bulbos, fibroſas deſcribit, cum fibrillæ ab Hookio Microgr. Obſ. 32. fruſtra quæſitæ in pilo e barba bovis *Fig. 1.* delineato a cute ipſa omnino interius producantur ac in firmum quendam bulbum oblongum ſive ovalem evidenter conglomerentur. Quem bulbum quidem in nullas diſcerpi potuiſſe pelliculas fatetur, in eodem nihilominus ſecundum longitudinem ſubtiliter absque contentæ partis læſione diſſecto, ac *Fig. 2.* repræſentato planius conſtitiſſe, quod bulbus ipſe non modo mera membrana ſeu capſula potius cartilaginea ſit ex inferiori fibrillarum tendinoſarum cutis faſciculo contexta, ſed & interne membrana quadam glanduloſa cooperiatur, quæ inferius tantum, circa radicem internam ſive principium pili, ſpatium aliquod ſatis capax ſanguine turgidum relinquat. Hinc remoto involucro tali glanduloſo, pili principium inhærens rotundum ac medio fibrillarum ſubtiliſſimarum cum exterioribus continuarum fundo capſulæ adnexum conſiderat, illudque e capſula ipſa exemtum inferne adinſtar caulis pennæ cavum ac medulla quadam veſiculas minimas comprehendente ad pollicis fere extra cutim diſtantiam refertum, atque *Fig. 3 & 4.* expreſſum admiratur, cavitatem in iis pilis, qui ſolidi magis apparent, haud difficulter detegi poſſe obſervans, ſi vel medulla ipſa, e corpuſculo quodam glanduloſo pellucido in *Fig. 3. lit. I.* notato emergens, prout in portiuncula pili canini *Fig. 5.* depicta factum, vel ſuccus ſaltem transparens craſſior, qualis in juniorum etiam avium plumis continetur, cultelli dorſo exprimatur. In nutritionis quippe gratiam arteriolas pili bulbum inferius una cum fibrillis ingredi, ac partim ad integumentum glanduloſum, partim ad glandoſum iſtud corpuſculum, a quo medulla enaſcitur, diſpergi cenſet; licet & ſanguis ipſe circa internam pili radicem extravaſatus nutritioni videatur aptus, modo portio ejus ſeroſa a tunica glanduloſa imbibatur, ac intervenientibus meatibus inſenſibilibus ad reliquum pili contextum fibroſum nutritionis ergo


TAB. VIII. Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3. 4.

Fig. 5.

TAB. VIII. ad Tom. II. Supplement. pag. 436. ſqq.
Sect. IX.



ergo eadem ratione, ac in medulla cerebri, oſſibus, tendinibus & ligamentis, transmittatur. Totum nempe pili truncum revera fibroſum exiſtere continuatum ipſis fibrillis tendinoſis, in bulbum quæ colliguntur, e pilorum denique fiſſuris atque ſecundum longitudinem findendi aptitudine, fibroſis ſolum corporibus propria, non tam hariolatur, quam ad oculum monſtrat in *Fig. 6.* pili duas in partes diviſi faciem internam fibroſam exhibendo, coſtæ balenæ diſcerptæ plane conformem; ex eo namque fibrillas tales negandas haud eſſe, quod non ſemper oculis pateſcant, cum nec oſſium textura fibroſa in adultis æque diſtincte ac in recens natis deprehendatur. Sed diverſa pilorum phænomena e ſtructura hactenus indigitata porro explanaturus, initium facit eorum, quæ in plica Polonica intricatiſſimo pilorum affectu occurrunt, qualia imprimis ſunt ſanguinis e cirris amputatis profluvium, extraordinaria pilorum complicatio & cohæſio, cœcitas, paralyſis, oſſium ac unguium conformatio vitioſa iis ſupervenientes, quibus capillitium horridum fuit reſectum. Sanguinem ſiquidem a cirris amputatis, usque a frigido ſiſtatur aere, effundi reputat, quia glanduloſum pariter integumentum ac corpuſculum, cui medulla adhæret, ab humore nutritio aquoſiori ſimulque corroſivo relaxata, præter lympham ſanguini ipſi tranſitum ad caulem concedant; quin ſanguinem interdum e pilis quoque prope eorum extremitates reſectis, quousque nec caulis, nec medulla elongatur, promte ſtillare, quod a ſanguine intra conicum pili caulem ſemel admiſſo ac ratione commercii cum reliquo ſublati corrupto neceſſario ſerum ſecedat, fibrillasque caulis parietes integrantes comprimendo relaxet ac inflet; fibrillæ autem ſic relaxatæ & inflatæ majus longe in medio ſpatium efficiant, quam in ſtatu naturali fuerit, ſicut quinque bacilli ſubtiliores in cylindrum *Fig. 7.* collecti minus intervallum P relinquunt, quam habetur Q e majoribus bacillis cylindri *Fig. 8.* reſultans; per conſequens conus, demonſtrante *Fig. 9,* ad eam proportionem, qua fibrillæ nutriuntur ſive grandeſcunt, evadat amplior, ejusque apex a baſi recedat, præſertim dum ſanguis contentus ab eo, qui radicem pili alluit, ſine mora propulſus majorem in coni latera impetum exerit, inſtar fluidi omnis, quod e majori ſpatio movetur in minus. Complicationis autem & cohæſionis pilorum cauſam nunc inſerum idem, quod per fibras relaxatas transſudando in ſuperficie pi-

TAB. VIII. Fig. 6.

Fig. 7. 8. 9.

lorum poſt volatiliores particulas evaporatas glutinis naturam viſcidam contraxit, rejicit unice, quando nempe pilos absque cincinnis in chordam vel faſciculum quendam rectum interdum ſatis longum contingit uniri; nunc vero & frequentius pro cauſa ſocia admittit extraordinariam pilorum intorſionem ab inæquali fibrarum nutritione factam, quatenus in pilo, qui v.g. in *Fig. 10.* e duabus tantummodo fibris *cc.* ſupponitur compoſitus, truncus *ddd.* rectiſſimus quidem formetur, quamdiu ipſarum fibrarum pori & filamenta æqualia perſiſtunt, ſtatim vero ac alterutra fibra quacunque de cauſa in *e.* magis laxatur magisque nutritur, hinc inde criſpari & incurvari is debeat, quoniam fibra eadem in *e.* relaxata tum portionem vicinam continuam *g.* ad ſe trahit porosque ejus arctat, tum fibram quoque alteram contiguam ex oppoſito circa *f.* conſtringit & circa *h.* dilatat. Pathemata demum reliqua, ægros poſt capillitium demptum vexantia, e. g. cœcitatem, paralyſin, oſſium ac unguium conformationem depravatam, ab humore excrementitio plus minus acido deducit, qui per pilos excerni præpeditus in maſſa ſanguinea remaneat, coacervatusque hanc vel in partem glutinoſam ſeu caſeoſam & ſeroſam præcipitet, vel ſaltem absque ſeri ſeparatione inſpiſſet. Receſſus namque partis ſeroſæ ubi ſupponatur, paralyſis generationem in promtu eſſe, in quantum ſerum copioſius partium molliſſimam cerebrum relaxando conſuetam ſpirituum ſecretionem ac diſpenſationem ſufflaminet; aſt ubi ſanguinis ſolum incraſſatio ſeu conſiſtentia major concipiatur, cœcitatem non minus ac oſſium & unguium configurationem perverſam induci, quod lympha craſſior ſpiculisque acidis inſtructa humoris cryſtallini vel vitrei pelluciditatem evertat, in oſſium autem cellulis diutius ſubſiſtens magisque coagulata figuram illorum, cumprimis ſpongioſorum, v.g. ſpinæ & coſtarum, depravet, unguesque inæqualiter pariter nutriendo difformes reddat, quamvis aliquando unguium vitium nimiæ potius ejusmodi ægrorum contabeſcentiæ debeatur, dum in *Fig. 11.* unguis *ii* digiti pulpæ *kkk* ſtricte adnexus fortius omnino ad inferiora trahitur magisque verſus *m* flectitur, quo magis fibræ pulpam *kkk* conſtituentes exſiccandum inter ſeſe contrahant & ad *ll* recedant. Reliquis plicæ ſymptomatis omisſis, ad alias de pilis quæſtiones enodandas progreditur, v. g. cur pili barbæ ſemel evulſi renaſcan-

(Margin: TAB. VIII. Fig. 10. — Fig. 11.)

ſcantur? cur craſſities pilorum augeatur, quo ſæpius amputantur? cur in cadaveribus pili non minus ac ungues creſcant? cur pilorum defluvium patiantur, qui ex morbis vehementibus convaleſcunt? cur in cute pili non ubique æqualiter proveniant, nec æqualis longitudinis? quomodo nonnulli ex affectu animi unica nocte caneſcant? tandem quomodo pili in iis, qui inopinato lupum cernunt aliove terrore opprimuntur, poſſint erigi? Novos in ſpecie pilos evulſis eadem ratione ſuccedere tradit, ac arbor denuo ex unica radicis portiuncula in terra relicta exſurgit, propter mechanicam videlicet partium in capſula reſiduarum diſpoſitionem, qua fibrillæ glanduloſum medullæ corpus circumſtantes aliquod in medio ſpatium creſcendum inter relinquere, adeoque caulem eo craſſiorem, quanto magis fibrillæ ab affluxu humorum inflantur, formare coguntur. Pilos itidem ſæpe reſectos in craſſitie ſimili modo augeri oſtendit, ac arborum ramos in extremitate amputatos, quia ſuccus eadem vi eademque quantitate ad pili truncum diſtributus, per extremitatem vero exſiccatam egredi impeditus, fibrillas eadem proportione, qua tonſura reiteratur, inflet augeatque. Pilorum vero atque unguium in mortuis etiam corporibus incrementum putrefactioni humorum, particulas non ſolum ſeroſas, ſed & oleaginoſas ratione ſalis volatilis exaltati ad fixiores ſive conſtantiores pilorum & unguium poros diſpenſanti, adſcribit, ultro tamen concedens, absque putrefactione quoque incrementum dictarum partium fieri poſſe a pauco qui ad radices earum ſemper habetur ſucco, veluti liquido & ab aere externo compreſſo promte ſeſe in poros inſinuante. Quod capilli defluant iis, qui graves ſuperarunt morbos, culpam diverſo cutis adſignat ſtatui, quatenus cutis ex febri durante exareſcens nullum ad radices pilorum nutrimentum admittat, febri autem ceſſante fibroſæ pilorum radices denuo emollitæ majusque nutrimentum capientes pilos ipſos exſiccatos foras protrudant. Ut inæqualem vero pilorum proventum explicet, cutem tanquam campum fundi inæqualis nec ubique vegetationi pilorum apti computat, quemadmodum & plantæ non in quavis terra æqualiter progerminent. Canitiei una nocte ex animi pathemate accidentis rationem ab alteratione ſanguinis adeoque & lymphæ intra pilorum poros contentæ deſumit, ſive hæc ab acido quocunque coagula-

coagulata, ſive etiam rarefacta & in bullulas redacta ſupponatur. Erectionem denique pilorum, ſi occaſione terroris præter ſpem incuſſi certo contingat, ipſis fibrillis radicum tendinoſis a copioſiori ſpirituum influxu æqualiter undique contractis fert acceptam, non ſecus ac baculus plano incumbens ſupra alteram extremitatum ſoleat elevari, quando a multis potentiis oppoſitis, ſed æqualibus, trahitur. Tandem uti caulis pilorum in plica elongationem declarare voluit ope Mechanicæ, quod liquida ex auguſtiori canali in anguſtiorem mota virtutem ac velocitatem majores acquirant, ita de ipſo Mechanicæ hujus fundamento, cumprimis in Nota literis adjecta, eſt ſolicitus. Idcirco quippe primo canonem a nonnullis pro univerſali venditatum, quod corpus æquali vel minori motus quantitate ac alterum gaudens nequicquam motus huic in occurſu communicare poſſit, non niſi ad certum caſum, quo duo corpora æqualia ac eadem motus quantitate prædita cum iisdem determinationibus ſibi obviam fiunt, i. e. unum eorum alterum inſequitur, reſtringit, cum experientia ſecundum *Fig. 12.* monſtret, globum chalybeum *n* ſupra tabulam planam ab *o* ad *p* pergentem mox curſum mutare, eumque ad *t* dirigere, ubi globus æqualis *q* ab *r* verſus *s* tendens occurrat. E diverſo dein huic ipſi principio, quod corpus motum ab alio æquali vel minori motus quantitate inſtructo aliquid motus recipere poſſit, modo utrumque cum differentibus determinationibus mutuo ſibi occurrat, dictam liquidorum mechanicam ſuperſtruit, in quantum, ſi juxta *Fig. 13.* in alveo *uu* æqualis capacitatis, ſaltem ubi flumen declive eſt, i. e. circa *z* arctato, tres aquæ columnæ æquales *xyx* æquali motus quantitate verſus *z* progredi ſupponantur, laterales omnino columnæ *xx* ab anguſtatis canalis lateribus ad mediam *y* reflexæ huic aliquam & forſan dimidiam motus ſui portionem communicent, effluxumque ejus notabiliter intendant.

TAB. VIII. Fig. 12. Fig. 13.

Explicatio Figurarum.

Fig. 1.

A. Deſignatur bulbus pili e barba bovis multo naturali major.
B. Radices pili.
C. Truncus pili.

Fig. 2.

D. Capſula cartilaginea radicem pili includens.

E. In-

E. Integumentum glandulóſum radicem pili immediate tegens.

†† Parvum interſtitium partem capſulæ inferiorem ac involucrum glanduloſum intercedens, quod ſanguine repletum deprehenditur.

F. Radices pili.

GG. Filamenta ad capſulam conſtituendam tendentia.

Fig. 3.

H. Medulla pili, ſicut in barba felis apparet.

I. Parvum corpus glanduloſum, cui medulla deprehenditur adnexa.

K. Filamenta cum capſula cohærentia & fibrillis exterioribus continuata.

Fig. 4.

L. Apertura caulis pili e barba felis.

Fig. 5.

M. Portio pili e canis barba.

N. Portio medullæ ultra planum ſectum egrediens, poſtquam pilus ſcalpelli dorſo probe fuit compreſſus.

Fig. 6.

O. Facies pili interna, ubi in duas finditur partes.

Fig. 7. quinque bacillos rotundos in unum faſciculum collectos repræſentans.

P. Interſtitium parvum a bacillis his ibi loci relictum, ubi laxitas totius cylindri locatur.

Fig. 8. eosdem quinque bacillos, ſed paulo majores, exprimens.

Q. Intervallum a bacillis his eo loci inter ſe relictum, ubi laxitas totius cylindri locatur, ſed multo majus, quam P Figuræ præcedentis.

Fig. 9.

RRR. Planum pili una cum caule ſuo in ſtatu naturali.

RRS. Planum caulis pili.

S. Apex coni a caule formati.

a a R. Planum ejuſdem pili una cum caule ſuo, poſtquam in nimiam craſſitiem excrevit.

a a b. Apex coni protenſus verſus R ſive extremitatem pili, cum ſanguis latera caulis RRS vi diſtenderit.

Fig. 10.

c c. Duæ fibræ in craſſitie & longitudine æquales, ad pilum efformandum invicem junctæ.

d d d. Truncus rectus, quem duæ hæ fibræ conſtituerent, ſi craſſities eorum in tota extenſione perſiſteret æqualis.

e. Portio alterius harum fibrarum, cujus pori ampliores redditi.

f. Pars oppoſita, cujus pori ab alterius inflatione fuerunt ſtipati.

g. Continuatio partis e, cujus pori ſunt conſtricti.

h. Pars oppoſita g, cujus pori dilatati ſunt.

Fig. 11. planum pollicis una cum ungue repræſentans.

i i. Unguis.

kkk. Fibræ pulpam digiti in ſtatu naturali conſtituentes, unguisque extremitati adhæreſcentes.

l. l. Eædem fibræ conſtrictæ & quaſi in ſe ipſas regreſſæ, poſtquam pulpa digiti extenuata fuit.

m. Extremitas unguis deorſum tracta & incurvata.

Fig. 12.

n. Globus chalybeus ab o recta ad p tendens.

q. Alius globus chalybeus æqualis eadem motus quantitate ab r ad s pergens.

n. t. Linea declinationis a globo n, dum globus q in eum impingit, deſcripta.

n u. Al-

Fig. 13.

uu- Alveus ea parte, qua flumen declive eſt, arctatus.

x x. Columnæ laterales aquæ verſus y columnam mediam reflexæ.

y z. Columna fluminis media.

EXCERPTA EX TRANSACTIONIBUS PHIloſophicis Anglicanis,

A. 1693. Num. 196. 197.

MOdus Boyleanus conficiendi Phoſphorum deſumtus ex charta, tradita Regiæ Societatis Secretariis A.1680. d.14. Octobris, & aperta poſt ejus mortem, ita ſe habet: Sumta fuit quantitas conſiderabilis urinæ humanæ, (liquor enim hic parum tantum exhibet quintæ eſſentiæ deſideratæ) hujusque bona pars per non contemnendum temporis ſpatium digeſta fuit, antequam ad uſum adhiberetur. Poſtea liquor hic deſtillatus fuit moderato calore, donec ſpirituoſæ & ſalinæ partes fuerunt ſeparatæ; quo facto ſuperflua humiditas quoque fuit evaporata, usque dum ſubſtantia remanens redacta fuit ad conſiſtentiam denſioris ſyrupi aut tenuioris extracti. Deinde probe incorporata fuit hæc ſubſtantia cum triplo pondere ſubtilis arenæ albæ, mixturaque indita in validam retortam lapideam, cui amplum recipiens, magnamque partem aqua repletum, ita fuit adaptatum, ut retortæ roſtrum fere tangeret aquam. His autem cum cura luto obductis, ignis apertus gradualiter adminiſtratus fuit ſpatio 5 aut 6 horarum, ut omne phlegmaticum aut volatile primum tranſiret; deinceps vero ignis auctus fuit per horas 5 aut 6 tantum, quantum in fornace non male exſtructa poterat, (quæ ignis violentia circumſtantia eſt in hac operatione non omittenda.) Hoc pacto tranſcendit magna copia fumorum alborum, quales apparent in deſtillatione olei vitrioli, hisque ceſſantibus & recipiens vas non amplius obſcurantibus, paulo poſt ſucceſſerunt alii, qui videbantur in recipienti lumen debile & ſubcœruleum edere, ſimile fere lumini accenſorum ſulphuratorum. Ultimo tandem loco, cum ignis valde eſſet vehemens, alia tranſcendit ſubſtantia priori gravior, per aquam nimirum fundum recipientis petens, unde exemta (& aliquatenus quoque, cum adhuc ibi eſſet) p.583. ſeq.

ex effectibus pluribus aliisque phænomenis, talis ſubſtantiæ ſpecies nobis viſa eſt, qualis deſiderabatur & expectabatur.

p. 627. ſeqq. Num aquæ admixtum ſal ſit, optime indagari poſſe cenſuit R. Boyle affundendo fortem & probe filtratam ſolutionem argenti puri, factam ope claræ aquæ fortis, vel etiam ſpiritus nitri. Si enim aquæ, cui vel milleſima pars ſalis admixta, inſtillentur paucæ guttæ ſolutionis, ſtatim alba nubes apparet, fundum ſenſim petens. Idem etiam contingit, quando ſpiritus ſalis cum aqua eſt commiſtus. Dominus Dr. Hoocke autem aliam methodum hydroſtaticam oſtendit, partem bis milleſimam ſalis aquæ admixtam inveſtigandi, ope bullæ vitreæ B, collo CC inſtructæ, ita ut illius diameter 3 digitorum, colli vero CC dimidiæ lineæ magnitudinem non excederet. Erat autem injecto minio ita onerata, ut parum tantum eſſet gravior aqua pura, colloque ſuo ſuſpendebatur ex jugo A, ſubtili admodum agilique ita, ut a parva grani parte commoveretur; deinde vero immittebatur aquæ puræ, contentæ vaſe EE, usque ad notam D, atque in hoc ſitu contrapondio in lance F poſito detinebatur. Admiſſa huic aquæ parte bis milleſima ſalis, ſtatim emerſit ex aqua ſalſa collum dimidii circiter digiti altitudine.

TAB. VIII. Fig. 14.

p. 650. ſeqq. Dominus Halley, thermometrorum ut diviſionem accuratiorem efficeret, varia refert experimenta, circa expanſionem fluidorum a calore, a ſe inſtituta. Aqua nimirum vulgaris ægre expanditur a calore, niſi ita incaleſcat ut ab ebulliente aqua ſolet, quo facto ſubito expanditur, ſed licet calor augeatur, terminum ad quem pervenit non tranſit, occupatque expanſione ſua $\frac{1}{26}$ ſpatii prioris. Mercurius leni expanditur calore, ſed vix acquirit $\frac{1}{74}$ ſpatii prioris, licet aquæ bullienti immergatur. Hinc tamen patet, non omnino exacta eſſe Mercurialia barometra, cum calido tempore Mercurius expandatur leviorque fiat, requiraturque adeo cylindrus altior ad æquilibrium cum aere conſtituendum in æſtate quam in hyeme, ita ut, ſi ſupponamus, tempeſtatum extrema efficere tantum $\frac{1}{150}$ differentiæ, ut probabile eſt, effectus hujus in barometro futurus ſit $\frac{1}{10}$ digiti ſupra & infra medium, vel in univerſum digiti pars quinta. Spiritus vini gradualiter aſſurgit creſcente calore, tardius tamen principio, citius poſtquam probe incaluit, certum autem attingens caloris gradum tactui tolerabilem ebullire incipit, & quidem eo citius,

tius quo ſpirituoſior eſt, neque certi quid ultra hunc terminum de ejus expanſione ſtatui poteſt; adquiſivit autem cum ebullire inciperet, $\frac{1}{12}$ prioris molis. Aer autem ordinarius ab æſtatis calore expanditur circiter $\frac{1}{13}$, a maximo vero frigore in Anglia condenſatur $\frac{1}{20}$, ita ut ſumma ex illis partibus deſignet ſpatium per quod aer a frigore hyemali liberatus ab æſtatis calore tandem expanditur, probetque hoc fluidum ad thermometrorum conſtructionem eſſe aptisſimum.

DE HUYS-HOUDING GODS IN SYN KERKE &c.
h. e.
Oeconomia Dei in gubernanda Eccleſia ſua temporibus poſtdiluvianis ad nativitatem usque Iſaaci, expoſita a PETRO VAN STAVEREN V. D. in Eccleſia Lugduno-Batava Miniſtro.

Lugduni Batav. apud Frideric. Haaring, 1694. in 4.
Alph. 4. plag. 10.

Ejusdem Oeconomia Dei in gubernanda Eccleſia ſua temporibus, quæ inter nativitatem Iſaaci & reconciliationem Jacobi cum fratre Eſauo interceſſerunt. ibid. 1695. in 4.
Alphab. 4. plag. 1.

Continuatio hæc eſt operis, cujus prima pars, tempora antediluviana complectens, ante annos non adeo multos prodiit, quod ipſe Reverendus Autor publici quidem juris facere cœperat, morte tamen præventus duarum, quas nunc exhibemus, partium curam, filiis relinquere fuit coactus. Videtur autem totius V. T. œconomiam ita enarrare in animo habuiſſe, ſed iſtud filum mors etiam abrupit; quamobrem id ſaltem, quod a parente elaboratum invenerunt, in privatis ſcriniis tineis abſumendum filii relinquere noluerunt. Methodus hujus operis nulla alia eſt, quam quod filum textus Moſaici a capite Geneſeos VIII ad caput usque XXXIII *κατὰ πόδα* ſequatur, illumque oratione a plebis Chriſtianæ auribus non aliena luculente exponat. Criticas equidem & philologicas meditationes fruſtra hic quæras, & eſſent illæ etiam ad ſcopum, quem Autor propoſitum habet, parum conducentes; interea tamen non deſunt quæ nove dicta videri, eoque Lectori etiam *Φιλομαθεῖ* ſe com-

p. 78. mendare queant. Tale eſt quo faciem terræ poſt diluvium longe meliorem, quam ante diluvium fuit, redditam exiſtimat, utpote quæ nec maledictioni amplius vi promisſionis divinæ ſit obnoxia. p. 243. Talia quæ contra Abydenum & Joſephum de turri Babel diſputat, & quæ de urbis Babylonicæ originibus & incrementis profert. Talia quæ de Cainane in verſione LXX interpretum & Græco Lucæ p. 241. textu in Abrahami genealogiam intruſo commemorat; ut alia p. 248. quamplurima taceamus: quamvis fatendum, in his omnibus eam p. 286. non adhiberi ἀκρίβειαν, quam adhibuiſſet forte Clarisſimus Autor, ſi cum populo ipſi non fuiſſet agendum. Cæterum nihil in hoc opere occurrit, quod ad Coccejanorum, (qui ingenioſi, ubi de œconomia Dei ſermo eſt, eſſe ſolent & elegantes) partes propendere Autorem noſtrum ſuadeat; quod ideo ſolum monemus, ne ex titulo, iſtarum alias partium Theologorum libris valde familiari, tale quid Lectores noſtri ſuſpicentur.

HET EERSTE BOEK DER PSALMEN, BEGRYPENDE LXI Snaar-Liederen des Konings en Prophete Davids &c.

h. e.

Pſalmorum Liber primus XLI Regis & Prophetæ Davidis Hymnos complectens, quorum divina, qua ſcatent, ſapientia explicatur, verusque uſus breviter oſtenditur. Auctore Salomone a Til V. D. apud Dordracenos Miniſtro Scholæque Illuſtris Profeſſore. Accedit horum Pſalmorum Metrica Paraphraſis, Autore Nicolao vander Meer.

Dordraci Anno 1693 in 4.

METhodo utitur Rev. Autor in hac ſua Pſalmorum explicatione ad ædificationem plebis Chriſtianæ perquam accommodata. In ſingulis enim illuſtrandis ita procedit, ut introductione quadam Lector primo ad rectiorem ejus intelligentiam præparetur. Illi accurata Pſalmi ἀνάλυσις in tabula ſubjungitur. Cui brevis difficiliorum verborum & phraſium ſuccedit explicatio. Si propheticus eſt Pſalmus, eventus Prophetiæ ex Hiſtoria demonſtratur, poſtremo vero uſus Pſalmi, quem ſub utroque fœdere conſtitutis præſtare poteſt, oſten-

oſtenditur, ut ſcilicet eorum eradicetur opinio, qui Pſalmorum Propheticorum nullum in V. T., eorum vero, qui res ad antiquum fœdus ſpectantes complectuntur, nullum in Novo eſſe uſum exiſtimant. Cæterum id forte Autori noſtro peculiare eſt, quod omnes fere Pſalmos Dialogorum forma ſcriptos exiſtimet, ita ut vel anima cum Deo, vel Chriſtus cum Eccleſia, vel cum Patre &c. loquens inducatur. Unico id exemplo oſtendiſſe forte ſuffecerit. In Pſalmo ſtatim ſecundo, qui Chriſtum regnum ſuum, nequicquam contradicentibus hoſtibus occupaturum nobis ſiſtit, Legati ejus loquendi faciunt initium, eosque, quos ſolicitos habent hoſtium Chriſti furores, ſolatio demulcent, vel inſaniam illorum ob oculos ponentes, & irritos fore eorum, contra Jehovam & Unctum ejus, conatus prædicentes. Ipſe inde Chriſtus Rex eorum ſermones confirmat, ad ſe ſpectare regnum oſtendens, Patremque ſuum certo id ſibi eſſe aſſerturum promittens. Quo facto Legati iterum ad hoſtium principes verba faciunt, eosque ad debitam obſervantiam graviter hortantur.

In Metrica ſua Paraphraſi religioſe Tilii interpretationem ſequitur alter Vir clariſſimus, quæ cum elegantia & puritate ſua ſe ſatis commendet, linguæ Belgicæ peritis non poteſt non eſſe longe gratiſſima.

CLAVIS ECCLESIASTICÆ DISCIPLINÆ, SEU Index univerſalis totius Juris Eccleſiaſtici. Opus a Godofredo Hermant Doctore Theologo & Socio Sorbonico, nec non Cathedralis Eccleſiæ Bellovacenſis Canonico, ingenti labore concinnatum, operâ & ſtudio Petri Auger in lucem prodiit.

Pariſiis apud Antonium Dezallier 1693. in fol.
Conſtat 8. alphab.

OPE hujus clavis ſive indicis levi negotio inveniri poſſunt, quæ de præcipuis materiis eccleſiaſticis conciliorum generalium & provincialium canones, nec non Pontificum vel Imperatorum reſcripta & edicta definiverunt. Tituli materiarum in quinque claſſes digeſti ſunt, quarum prima de religione & fide, nec non de hierarchia eccleſiaſtica & perſonis eccleſiaſticis; ſecunda de eccleſiæ ſacramentis; tertia de perſonis ab eccleſia alienis; quarta de rebus eccleſiaſticis variisque ritibus & cerimoniis; quinta denique de foro eccle-

eccleſiæ & jurisdictione eccleſiaſtica agit. Tres priores claſſes primam, duæ poſteriores ſecundam hujus Clavis partem, cui nonnullæ doctiſſimi Autoris annotationes admiſtæ ſunt, conſtituunt. Non autem eum in finem Hermantius hunc indicem collegit, ut typis exſcriberetur, ſed tantum ut privato uſui inſerviret. Veruntamen cum viri quidam eruditi hunc canonum theſaurum oculis uſurpaſſent, eum publici juris fieri exoptarunt. Quorum deſideriis morigeratus Petrus Augerus nullum laborem detrectavit, ut hæc diſciplinæ eccleſiaſticæ clavis cum conciliorum tomis collata & recognita ad communes uſus evulgari poſſet.

***LETTURA SOPRA LA CONCIONE DI MARFISIA a Carolo Magno, contenuta nel Furioſo al Canto trenteſimo ottavo, fatta da* GREGORIO CALOPRESE.**

i. e.

Explicatio orationis Marfiſiæ ad Carolum Magnum, quæ extat in Arioſti Furioſo, Hymno XXXVIII. Autore GREGORIO CALOPRESE, in Academia INFURIATORUM Neapolitana Anno 1690 dicta.

Neapoli 1691. in 4. plag. 13.

QUæ in Italia ab eruditis magno hactenus numero inſtitutæ fuerunt Societates, ſive Academiæ, a majoribus illis tamen, quæ & Univerſitatum nomine gaudent, plurimum diſtinctæ, eum ſibi fere omnes præfixere ſcopum, ut, qui iis intereſſent, docti viri vel meditamenta ſua, quod apud Romanos etiam moris fuiſſe Plinius Junior teſtatur, recitarent, ſociorumque libero ſubjicerent examini, vel facultatem dicendi exercerent, vel etiam quid canendo verſusque efficiendo in vernacula lingua valerent, oſtenderent. Cumque cæterarum exemplum ſequi videatur iſta, cui Autor nomen ſuum adſcripſit, Infuriatorum apud Neapolitanos Academia, is quoque eo, quod allegavimus modo, ſpecimine egregii enarratoris partes explens, ſenſum carminis Arioſtiani explanavit prolixius, & quæ in Poeta conceptuum ubertas & dictionis elegantia ſit, patefecit.

(o)

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II. Sect. X.

CAROLI RENALDINII EX MONTAGNOLI COMITIBUS, Sereniſſimi COSMI III. M. Ducis Etruriæ Philoſophi ac Mathematici & in Patavino Lyceo Philoſophi primæ ſedis,

NATURALIS PHILOSOPHIA.

Patavii ex typographia Seminarii, 1694. in fol. Alph. 17, pl. 9.

TRes jam prodierunt Tomi, atque adeo dimidia fere pars illius operis, quo Philoſophiam naturalem explicare conſtituit celeberrimus, & aliquoties in Actis Eruditorum non ſine laude commemoratus Renaldinius. Ac *primus* quidem *Tomus* (cui in univerſam Phyſiologiam Præfatio, quæ præcipue methodum tradit, qua procedendum in indagandis rerum naturalium cauſis, præmittitur, nec non de Phyſiologiæ laudibus Oratio inauguralis) diſſertationes viginti complectitur, in quibus de Phyſices natura & conſtitutione, de principiis rerum naturalium, de motu, loco, ſpatio, vacuo, continuo, infinito, & duratione rerum ita agitur, ut doctiſſimus Auctor cum doctoribus, quos Scholaſticos vocamus, ingenii & ſubtilitatis certamen inſtituiſſe videatur. *Secundus Tomus* decem diſſertationes comprehendens verſatur in declaranda natura corporis ſimplicis ejusque ſpecierum, multa tradendo de corporibus cœleſtibus eorumque accidentibus, operationibus & influxibus, ita ut Aſtrologiæ judiciariæ ſyſtema quaſi integrum exhibeatur; ultimo autem loco de corporibus ſublunaribus & de elementis, tum abſolute inſpectis, tum in ordine ad univerſi conſtitutionem, diſquiritur. *Tertius Tomus* in duas diſpeſcitur partes, quarum *prior* duodecim habet disſertationes elucidantes corpus mixtum perfectum, atque adeo agen-

tes de elementis in ordine ad mixtum, de naturalium corporum actione & reactione, alteratione, rarefactione & condenſatione, generatione & corruptione, de corporibus mixtis inanimatis, de corporum naturalium loco, motu locali, virtuteque motrice, de motu violento, de foſſilibus mixtis perfectis ſimilaribus, & corporum mixtorum homogeneorum affectionibus. *Poſterior* doctrinam de corpore mixto imperfecto exponit, ſedecim diſſertationibus, agendo de meteoris in genere, de cometis, meteoris ignitis, ignibus ſubterraneis, igne uſuali, meteoris aereis, ventis, terræ motu, iride, meteoris aqueis, mari, fontibus & fluminibus. Hos tomos totidem alii inſequentur, & *quartus* quidem in contemplatione corporis viventis, ejusque ſpecierum, nec non principiorum & affectionum hujusmodi corporum verſabitur; *quintus* præcipuam Phyſiologiæ partem complectetur, variis experimentis mathematicisque demonſtrationibus probe ſuffultam, ibique de motu generatim ejusque ſpeciebus, & aliis cum eodem connexis, ut ſubeuntibus rationem menſuræ & menſurabilis, tractabitur, tandemque in *ſexto* de ente in univerſum ac ejus affectionibus, deque ejusdem decem generibus, ac poſtremo de ſubſtantiis abſtractis, ſeu nullum habentibus cum materia commercium, agetur. Quamvis autem doctiſſimus Auctor viſus ſit nonnullis pertinaciter Ariſtotelis veſtigiis inſiſtere, atque hinc adjecerit primo Tomo proteſtationem tribus expoſitam foliis, ne forſan eum alienæ & præſertim Ariſtoteleæ doctrinæ, neglecta veritate, nimis addictum exiſtiment: ipſa tamen operis inſpectio, eum a Peripateticorum ſententia non infrequenter diſcedere, ſatis edocet. Id quod luculentius ut appareat, ex ſingulis Tomis nonnulla delibabimus, ex quibus Auctoris doctrina intelligi poſſit. Ex *primo Tomo* hæc ſufficiant: Dari vacuum diſſeminatum, idque probari poſſe ex atomorum contextu, quo componuntur corpora fluida; probabile eſſe, dari primam materiam & ſubſtantialem formam, in ſenſu Ariſtotelis; excepta ſimplicis corporis forma & anima, nullam aliam formam ſubſtantialem reperiri, & v. g. foſſilium formam ſubſtantialem ἀναλόγως tantum talem eſſe; non diffundi actionem ſine diffuſione ſubſtantiæ; non omnes qualitates de medio eſſe tollendas, ſed parce tantum concedendas, quando ſcilicet ratio convincit & experientia teſtatur;

aërem

aerem ſua qua conſtat mole & elaſtica facultate, & non gravitate, ſuſtinere hydrargyrum in barometro; dari partes actu in continuo, & partes continui tam proportionales, quam æquales indeterminatas & communicantes non eſſe actu, categorematice, & ſimpliciter infinitas, ſed poteſtate, ſyncategorematice & quodammodo ita ut non ſint tot, quin plures exiſtere poſſint. In *Secundo Tomo* ſequentia tradit: Aſtra non eſſe unum ex noſtris elementis, nec aliquid conflatum ex illis, eſſe tamen in eis naturam mixtam ex elementis alterius rationis ab his, unde & generationi & corruptioni ſint obnoxia; lumen eſſe corpus, & lucidum effluvium non a Sole produci, neque a Sole disjungi, ſed eſſe ejusdem ſubſtantiam quaquaverſus effuſam, ſemper tamen cohærentem ſuo principio; globum Lunarem non eodem modo reflectere lumen ac globum terraqueum, ob diverſitatem ſubſtantiæ, ſed illum quaſi abſorbere lumen, hunc non item; atque ideo Lunam mutuatum a Sole lumen ſic retinere, ut quamvis e longinquo videatur, non propterea colorem cæruleum, ut mons nive conſperſus, induat; orbem quendam denſioris ſubſtantiæ reliquo æthere circumfundi corpori Lunari, & a radiis in hac atmoſphæra refractis provenire colores, qui in Luna eclipſata adparent; maculas Solares eſſe effluvia Solis in atmoſphæra ejus congregata ad inſtar nubium, & ferri ab hoc æthere in orbem, non ab ipſo Sole, cujus vertigo ſit velociſſima, ut in omnem partem effluvia propriæ ſubſtantiæ jaculetur; Solis magnitudinem non eſſe majorem ea, quam Ptolemæus determinavit; quamvis in præceptis Aſtrologorum plurimum ſit nugarum, & corpora tamen cœleſtia in hæc inferiora operari, & ex eorum poſitu formari poſſe prædictiones; potentias ad agendum, calorem, frigus, lucem, pulchritudinem, ſanitatem, formam, figuram, motum ad locum, & alia hujus generis multa, minime eſſe qualitates, qualitatis nomine intelligendo accidentariam formam ſubſtantiæ ſuperadditam, & appellatione accidentariæ formæ intelligendo actum perficientem id, cujus eſt actus, cum quo unum quid ſecundarium conſtituit; calorem eſſe quid poſitivum, frigus non item; ignem eſſe ingenerabilem & incorruptibilem; veroſimilius videri, Deum O. M. terram perfecte globoſam efformaſſe, ut aquis poſſet eſſe circumfuſa,

 dein-

deinde vero terram, tertio creationis die, in varios montes extuliſſe, & ſimul campos ac valles efformaſſe, & aquas collegiſſe in unum locum; inanibus inniti rationibus, qui terram in medio univerſi poſitam eſſe putant. Cenſet quoque doctiſſimus Auctor, ſyſtema Copernicanum naturæ primordiis eſſe conſentaneum, & objectiones Ariſtoteleorum tum ex natura, tum ex Scriptura ſacra petitas refellit. In fine tamen hujus tomi proteſtatur, quæ de quantitate, & influxibus ſtellarum, nec non de terræ mobilitate aliisque ſimilibus, dixit, ſe tantum naturæ lumine ductum eſſe locutum, alioquin (verba ejus referimus) quidquid contra Sanctam Romanam & Apoſtolicam Eccleſiam videri poſſit, deteſtatur, & ejusdem decretis infallibilibus ſubjicit. In *tertii tomi parte priori* hæc docentur: Elementa eſſe corpora ſimplicia, neque in ſe invicem transmutari; ea eſſe innumerabilia, non tamen infinita; ab Auctore enim naturæ productas fuiſſe primas quasdam & ſimpliciſſimas ſubſtantias, ſpecie differentes, fere innumeras, ut e particulis hiſce natura, figuratione, ordine & poſitione diſſidentibus mutuo complicatis elaborentur mixta, ita ut horum ortus & obitus ſola hujusmodi ſubſtantiarum congregatione & a quibusdam ſecretione abſolvatur; minus gravia a gravioribus extrudi, ut æquabili motu aſcendant; attractionem magneticam non ſequi motus æquabiliter accelerati leges; gravia ut deſcendant, habere a cauſa, ſeu ab interno principio, ipſis a naturæ Auctore indito; motum projectorum a projiciente eſſe tanquam a principio *quod*, ab impulſu vero ipſis a projiciente impreſſo, tanquam a principio *quo* a medio, non equidem neceſſario, ſi tamen adſit tanquam ab *adjuvante*; foſſilia carere anima, quosdam autem lapillos ad vegetabilia pertinere, qui augentur conſtantem retinentes figuram; gemmas omnes ex materia plus vel minus fluida originem habere. Ex *poſteriori parte*, quæ ſequuntur, allegaſſe ſufficiat: Cometas caudam ex radiis Solis per Cometæ corpus trajectis refractisque, & materiam, quam Cometa poſt ſe trahit, illuſtrantibus oriri; Cometas motu proprio juxta medii agitationem percurrere lineam admodum irregularem & tortuoſam, quæ nec recta nec circularis; calorem a luce lumineque reipſa differre; ignem a Sole produci, quatenus effluvia calida exſpiret, quibus ſimilia in mixtis latitantia excitet & excutiat; cibi con-

concoctionem in ventriculo fieri per elixationem; ætherem nihil aliud eſſe, quam puriſſimum ignem, defæcatum omni alieno corpore; majorem eſſe copiam exhalationum, quæ ex imo terræ fervore ignis educuntur, quam quæ ex ejusdem ſuperficie actione Solis elevantur; halitus elevari, quia ſpiritus igneus illos pervadens ſecum eos defert, extruſus a corpore ambiente, utpote graviori gravitate ſpecifica; mare ſalſius eſſe in imo quam in ſummo, propter aquas dulces influentes. Coronidis loco adjiciemus *conſtructionem Thermometri* in Diſſertat. XVI. Sect. 12. traditam, quod proportionem unius caloris ad alterum deſignat, cum vulgaria thermometra ſolum incrementum ac decrementum ejus oſtendant. Capiatur tubus gracilis, longitudinis circiter 4 palmorum, cum annexa bulla, eique infundatur ſpiritus vini tantum, ut ſphærula glacie circumdata omnino repleatur, neque tamen aliquid redundet, orificiumque tubi ſigilletur Hermetice. Deinde parentur ſex vaſa, quorum quodlibet aquæ libram & aliquid amplius poteſt recipere, & in primum infundantur aquæ gelidæ unciæ 11, in ſecundum unciæ 10, in tertium 9, & ſic porro. His peractis thermometrum mergatur in vas primum, eique affundatur aquæ ferventis uncia una, obſerveturque, quousque adſcendat ſpiritus in collo, & locus unitate notetur; porro transferatur in vas ſecundum, cui injectæ aquæ ferventis unciæ duæ, denuoque notetur locus ad quem adſcendit ſpiritus, noteturque binario, & ſic deinceps. Quod ſi cui placeat ulterius procedere, donec tota aquæ libra ſit inſumta, perfectius erit inſtrumentum elaboratum, nempe duodecim numeris aut aſteriſcis diſtinctum, quibus caloris termini denotantur.

HISTOIRE DE HENRY III, PAR MONSIEUR VARILLAS.
i. e.
HISTORIA HENRICI III REGIS FRANCIÆ, AUCTORE ANTONIO VARILLASIO.

Hagæ Com. apud Jac. Van Ellinckhyſen, 1694. in 12.
Alphab. 2. plag. 9.

QVod de nonnullis magnis Principibus, & antiquis temporibus obſervatum, & recentiori ætate ſubinde comprobatum fuit, illos o-

omnium mortalium & poſteritatis maxime judicio atque confeſſione dignos futuros fuiſſe, qui gentium diſpenſarent fata, regnarentque, ſi nunquam regnaſſent; id in Henrico III. quoque Galliæ Rege tam luculenter patuit, ut an illuſtriori argumento hoc unquam firmatum ſit, aut firmari quoque poſſit, merito dubitemus. In ipſa enim pueritia, priusquam militiam noſſet, imperator belli effectus, adeo feliciter arma tractavit, ut, quanquam adverſarum partium duces & dignitate regii ſanguinis illum æquarent, & diuturno bellorum uſu longe anteirent, nunquam tamen cum illis congreſſus ſit, quin ſuperior ex acie diſceſſerit. Hinc non tantum apud ſuos clarus magnusque haberi cœpit, ſed virtutis ejus fortitudinisque adeo omnis orbis perſonuit fama, ut Poloni, longiſſime remota gens, eum ſibi depoſcere Regem nulli dubitarint. Sed vero poſtquam Galliæ rebus præfectus ipſe fuit, fortis ſtrenuique viri, quod ſibi paraverat, decus adeo non tuitus eſt, ut omnem animi magnarum rerum cupidi opinionem amitteret, quin ob ſegnitiem luxuriamque ab omnibus contemneretur. Is vero tum Galliæ ſtatus erat, ut quantumvis accuratus & ſtrenuus Princeps vix tamen ex magnis, quæ undique ſuboriebantur, difficultatibus eluctari potuiſſet: incurioſum itaque & negligentem, voluptatumque blandimentis ita irretitum, ut quid faceret, quidve diceret, parum haberet penſi, rebus turbatis adeo nullam attuliſſe medelam, ut prope a pernicie extrema abfuerit florentiſſimum regnum, nemo miretur. Hæc omnia vero prolixe præſenti opere expoſuit, ipſis eventuum fontibus, ut ſolet, indagatis, non una vice nobis commemoratus Varillaſius.

Et in præfatione quidem aſſerit, propius a ruina abfuiſſe Galliæ regnum, rerum ſummam tenente Henrico III, quam cum genti huic præeſſet Franciſcus I, licet tum proxime ab ea abfuiſſe aſſeruerit in Hiſtoria Franciſci. Quod vero plane non iverit in præceps, ejus quidem rei duas potiſſimum eſſe cauſas. Per ipſos enim provinciarum hoc ſtetiſſe præfectos, qui in iſta regni Regisque orbitate, cum Henrico Valeſiam ſtirpem extinctum iri, probe intelligentes, eandem & ſe manere felicitatem ſperarint, quam provinciarum præfecti, cum Hugo Capetus rerum ſummam capeſſeret, experti ſunt, ſeque adeo, quibus præerant, provinciis plene potituros eſſe,

ſibi

ſibi perſuaſerint. In alteram vero cauſam ut penetraret, Homerum Tortoram effeciſſe ait, qui diſerte memoriæ prodiderit, noluiſſe Hiſpanos Philippo ſecundo Regi, ad ſubigendam Galliam, ſubminiſtrare ſumptus. Vidiſſe enim eos, fore, ut ſubjugata Gallia, Reges ſui rerum ſedem in ea ponerent, commodius cunctis imperii ſui partibus adfuturi: tum vero Hiſpaniam ita neglectum iri, ut non tam viciſſe Galliam, quam a Gallia victa eſſe, cenſeri poſſet.

Hinc Monlucii Epiſcopi Valentiæ, & Jacobi Faji Speſſei (D'Eſpeces) cujus in libro ſecundo non ſemel injicitur mentio, merita inter ſe contendit. Utrique cum Polonis res fuit: illi quidem, ut proceres ad Henricum noſtrum, Ducem tum Andegavenſem, in Regem eligendum induceret; huic, ut poſt Henrici in Galliam receſſum, iiſdem perſuaderet, e re illorum eſſe, Stephano Bathorio Tranſylvaniæ Principi regni habenas committi. Sed accuratius omnibus penſitatis, Speſſeum tanto ſuperiorem hic Monlucio fuiſſe, pronuntiat, quanto difficilius erat, Principi nullis facinoribus conſpicuo, quin rerum bellicarum rudi, bellicoſæ gentis favorem conciliare. Non minus quoque Galliæ tum interfuiſſe, ut Bathorius, ne Auſtriacus forte Princeps eligeretur, quam antea interfuerat, ut Andegavenſis Dux ad Poloniæ regnum perveniret.

Quæ ex Germignyi Legati Gallici ad Turcarum Imperatorem Commentariis Auctor excerpſit, Hiſpanorum, maxime Philippi II Regis ſollicitudinem ſolertiamque ſingularem, qua in occupando Portugalliæ regno uſus eſt, arguunt. Intellexiſſe quippe probe Regem ſolertiſſimum, ſe Portugallis, magno erga Caſtilianos odio flagrantibus, non futurum parem, ſi eodem tempore cum Turcis ſibi pugnandum eſſet. Hoſce ergo ut demulceret, pacemque ab iis impetraret, nihil feciſſe reliqui Hiſpanorum Legatum, immenſaque argenti vi Turcicorum procerum ſibi conciliaviſſe animos, voti tandem, fruſtra reclamante & renitente Legato Gallico, damnatum.

De Johanne Auſtriaco in quarto Hiſtoriæ hujus libro, multus Auctori ſermo eſt. Hic ergo quæ de nativitate ejus ac educatione reſcivit, ediſſerit. Suſceperat nimirum ex illegitimo thoro Carolus V Margaretham & Johannem, illam priusquam uxorem duceret, hunc ea jam defuncta. Vix in lucem editum Johannem Quichadæ aulicorum

rum

rum longe ſolertisſimo fidelisſimoque tradit, qui educationis curam, pro ſuo eum venditando filio, gereret. Quichada tanta in hoc negotio uſus eſt fide, ut propriæ uxori Mariæ d'Ulloa, ex qua nullos ſusceperat liberos, perſuaderet, hunc ex alia ſibi genitum filiolum. Maria quoque corporis pulchritudine capta, perfidiæ mariti fictæ poſtquam ignoverat, filii inſtar habuit Johannem. Sed indole pueri magis magisque ſe exerente, accedente & ſumma ac inuſitata Quichadæ pro ſalute & educatione pueri ſollicitudine, parum abſuit, quin reſciſceret fraudem, & vix ac ne vix quidem, ut pro notho mariti Johannem porro haberet, adduci potuit. Carolus adeo ſibi temperare poterat, ut ne videre quidem Johannem cuperet; Philippo filio tamen, rerum jam potienti, adhuc ſibi filium, ſed ex illegitimo thoro ſuſceptum eſſe dixit, cujus curam Quichada gereret; monuitque ut ſacro eum ordine diſciplinaque initiari curaret. Sed Philippo paternum monitum negligente, adolevit Johannes, ut invitum adſcribere ſacro ordini non potuerit: ſimul vero tam præclara in eo enituit indoles, ut omnium oculos animosque in ſe converteret.

De Genuenſibus negotiis dum diſſerit, Gallos fortunam habuiſſe in conſilio, & quod ſalutis ſuæ ratio poſtulabat, exacte perſpexiſſe, cum impedirent, ne Sabaudus Hiſpanicis adjutus copiis urbe Genuenſi potiretur, contendit. Sane quidem Gallis, quibus non ſemel a Genuenſibus graviſſima damna illata fuerant, ferociæ ſuæ dare eos pœnas, non poterat non gratum eſſe: ſed Hiſpanorum Auſtriacorumque vires ita auctum, quin Galliam ditionibus Hiſpanicis circumſeptum iri, intelligentes, utique e re ſua eſſe videbant, Sabaudi intervertere conſilia.

Memoratu vero cumprimis digna ſunt, quæ de conſilio Franciſci Andegavenſis Ducis (qui frater Regis Henrici III. erat) Antuerpiam ſibi ſubjugandi, libro ſexto diſſerit, quæque ad ſuam ſententiam defendendam firmandamque, hic in medium affert. Niti autem ſe documentis certisſimis teſtium, qui oculis auribusque cuncta uſurparunt, ſcilicet Mareſchalli de la Châtre & Domini de Richi, aſſerit. Cum vero Autores in partes abeant, aliis in Andegavenſem, in Belgas & Arauſionenſem aliis, culpam omnem conjicientibus, Varillaſius quidem ita cenſet, nec Andegavenſem, nec Arauſionenſem,

nec

nec Belgas ita omnis culpæ expertes eſſe, ut nihil commiſerint, quod reprehendi debeat. Pro Andegavenſi facere, quod promiſſis, quantum penes eum fuit, ſteterit accurate; Belgas autem egiſſe perperam, locum tutum, in quem urgente forte neceſsitate ſe recipere poſſet, migrata promiſſorum ſanctisſima fide, illi denegando. Jam ergo, niſi in diſcrimen maximum ſe ipſum conjicere voluiſſet Andegavenſis, non aliam illi fuiſſe viam, quam ut redacta in poteſtatem Antuerpia, ſaluti ſuæ conſuleret. Contra pro Belgis militat, quod tradita Antuerpia, magnum amittendæ libertatis, pro qua contra Hiſpanos pugnabant, adituri fuiſſent diſcrimen. Arauſionenſi vero ut ut Belgii imperium debuerit Andegavenſis, nihilo ſecius diverſa, quibus addictus erat Arauſionenſis, ſacra haud immerito eum in illam inducebant opinionem, quam diu Arauſionenſis viveret, pleno Belgii imperio nunquam ſe potiturum.

Mortem Andegavenſis Ducis ſiſtit ſeptimus liber. Hic vero iſtud de ea commemorat, quod nemini, ut putat, obſervatum fuit. Nimirum Galliam nunquam, ſi a primis initiis fata hujus gentis repetas, a ruina interituque abfuiſſe propius, quam cum præmatura morte, non relicta prole, mortalium rebus eriperetur Dux Andegavenſis. Alterum iſtud eſt, quod Guiſio, & Henrico Navarræ Regi, quorum alterutri plurimum emolumenti, ipſum videlicet Galliæ regnum, mortem Andegavenſis allaturam eſſe multi ſibi perſuadebant, plurimum ea potius damni, & Guiſio ipſam perniciem attulerit. Id quod prolixius perſequitur.

Sed plane nobis committendum non eſt, ut hic non legantur, quæ de Jacobo Bongarſio, doctiſſimo viro, Noſter memoriæ prodidit. Etenim huncce autorem eſſe ſcripti eruditisſimi, Romani Pontificis decreto, quo ſacris interdixerat Navarræ Regi Principique Condeo, oppoſiti, communi conſenſu traditur. Sed ſupra fidem videtur, quod cum conderet iſtud, Romæque affigeret, vix ſeptendecim annos fuerit natus. Et hoc quidem eſt, quod in dubium vocat Varillaſius. Tam profundam enim eruditionem, tam exactam legum conſuetudinumque Gallicarum notitiam, ſummamque utriusque, tum Civilis tum Canonici Juris peritiam, quam hocce ſcriptum redoleat, in teneram iſtam ætatem cadere negat. In erroris itaque

fontem inquirens, a Reformatis fictum iſtud contendit, ut haberent, quem Stephano de la Boiſſie, qui decimo ſeptimo ætatis anno ſatyram iſtam celeberrimam, maximorum Europæ Principum vitam moresque perſtringentem edidit, opponerent. Quæ an ita ſe habeant, & an ratio, qua nititur Autor, hoc rite evincat, alii judicent. Addit porro, undecies Legati munus a Galliæ Rege Bongarſio eſſe demandatum, quo etiam feliciter functus fuerit: ſed præter ultimæ legationis acta, quæ in Bibliotheca Regia extent, ut & quæ ad fœdus Henrici IV pro ſucceſſione in Clivenſem Juliacenſemque Ducatum ſpectant, nihil ſe vidiſſe fatetur. Bongarſium quoque edidiſſe *Geſta Dei per Francos*, obſervat.

Denique & de Henrico IV, ut & Gryllo, duce Gallorum fortisſimo, quædam ſubjicit, & Henricum quidem benignioris fortunæ propitium favorem ita ſubinde expertum fuiſſe aſſerit, ut an ullus unquam Principum eundem æque expertus ſit, dubitari poſſit. Namque octo prius Principibus moriendum fuiſſe, quam ad rerum ſummam pervenire potuerit Henricus. Præterea cum ſæpius graviter ab eodem erratum ſit, omnes tamen errores feliciter illi ceſſiſſe, ita ut pereundum illi fuiſſet, niſi talia commiſiſſet, quæ perniciem ſummam illi potuiſſent attrahere. Grylli vero vitam moresque prolixius hic ediſſerit, exemplisque luculentiſſimis comprobat, fortiſſimis viris eum omnino eſſe annumerandum. Quanta vero uſus ſit in loquendo libertate, inde patet, quod Henrico IV Regi primum inter orbis præſtantiſſimos duces locum illi deferenti reſponderit: *Mentiris Rex: Tibi enim primus, aſt mihi ſecundus debetur.* Atque hæc ex Præfatione delibaſſe ſuffecerit.

Jam ſi ipſam Varillaſii perluſtrare accuratius Hiſtoriam vellemus, inſtituti plane nobis migrandæ eſſent leges; adeo multa undique ſe nobis offerunt, quæ aut obſervaſſe, aut diligentius expendiſſe, & revocaſſe ſub examen, neminem pœnitebit. Juvat tamen paucisſima indicare. Ut ambitione, ita & calliditate ac ſolertia, omnes fœminas ſanguine & thoro illuſtres ſuperavit Catharina de Medices, Henrici mater. Non unum hujus rei documentum hæcce Varillaſii Hiſtoria exhibet: ſed luculentisſime tamen ex iis, quæ libro II de ea prolixe exponit, hoc patet. Aſt magis adhuc obſervatu dignum, quod

quod de odii inexpiabilis, in quod Henricus Rex Guiſiusque Dux exarſere, Noſter commemorat. Etenim & antequam regno Galliæ Henricus potiretur, & poſtquam illo potitus eſt, magna inter illos animorum erat conjunctio. Nec ambitio Guiſii, quæ undique ſe deinceps prodebat, nec manifeſta perfidiæ ejus documenta, quæ ab aliis Regi ſuggerebantur, ab illo impetrare poterant, ut alieno ab eo eſſet animo; donec tandem ſcripti iſtius haud incelebris, quod David, Advocatus Pariſienſis, perditisſimus mortalium, Romam perferre juſſus erat, compos fieret. Lepido ſcilicet commento, Romano Pontifici perſuadere volebant Guiſii, eorumque fautores, ad Lotharingicam gentem Galliæ regnum pertinere. Stephano nempe ſecundo Romano Pontifici, Pipini contra Longobardos auxilium imploraturo, in monaſterio S. Dionyſii, fata Gallici regni cœlitus fuiſſe patefacta ajebant: Pipinum & ejus poſteros, ut Galliæ regno eccleſiæque univerſæ conſulerent, a Numine deſtinatos eſſe, magnamque Gallorum fore felicitatem, quamdiu imperii ſumma penes Pipini progeniem futura eſſet; contra cum peſtilentia, inteſtinisque diſcordiis, aliisque graviſſimis malis, illis fore colluctandum, ubi aliis, quam ex hac gente oriundis Regibus paruerint; hiſce vero denuo rerum ſummæ admotis, priſtinam in orbem redituram felicitatem, hinc didiciſſe Stephanum. Jam & felicitatem, qua ſub Carolingicis Gallia uſa ſit, & peſtilentiam, Anglorumque invaſiones, litesque inteſtinas, quæ ſub Capeti gente Galliam vexarunt, vaticinio abunde feciſſe fidem. Nunc hoc reſtare, ut Guiſii, ex Caroli gente prognati, regni habenas capeſſant, omneſque Romanæ eccleſiæ decretis non ſubſcribentes extirpent; & tum quidem Galliæ regnum paci felicitatique priſtinæ reſtitutum iri. Alia multa, quæ Henricum regno regiaque dignitate indignum eſſe evincerent, addiderant. Hujus itaque ſcripti exemplum cum Regi traditum eſſet, abundeque illi conſtaret, rem omnem a Guiſiis profectam, tum demum recedere a priſtina amicitia, odiumque animo concipere cœpit, quod non niſi ſanguine Guiſii expiari potuit. Lib. III. p. 297.

Nec prætermittenda nobis eſſent, ſi accuratius cuncta excutere vellemus, quæ de mortis genere Johannis Auſtriaci prolixius Noſter diſputat. Veneno eum periiſſe, jubente Philippo II Hiſpaniæ Lib. IV. p. 400.

Rege, plerique tradunt: aſt abnuunt Scriptores, qui a partibus ſtant Auſtriacorum. Sane diſſectioni corporis intereſſe neminem voluerunt, carnemque calci vivæ conſumendam commiſerunt. Sunt qui tradunt, fictum iſtud ideo eſſe, quod Philippum magna inceſſerit cupido, ſceleton fratris conſpiciendi: ſed indignam Rege, & fratre, hanc cupidinem curioſitatemque fuiſſe, quin argumento id eſſe, a fratris cæde non poſſe liberari Philippum, Noſter contendit. Sed alias quoque rationes, quibus idem evincat, affert. Regis enim erga fratrem odium haud obſcure iſtud arguere, quod nec pecuniam, nec copias illi ſubminiſtraverit, infelicibus nihiloſecius rerum in Belgio eventibus illi imputatis. Sed & literas a Johanne hoc ad Johannem Andream D'Oria, & Franciſcum de Mendoza ſcriptas, interceptas autem a Belgis, publicæque luci expoſitas, hic autem commemoratas, quam infenſo erga eum Rex fuerit animo, ignorare neminem ſinere. Alterum tertiumque argumentum, quibus idem probat, commentarii Antonii Perezii & reſponſio Philippi ad hoſce commentarios, unde totam artium aulicarum ſeriem, quibus perniciem Johanni ſtruxerit Philippus, intelligere liceat, Auctori ſuppeditant.

Cum vero ſolenne ſit Varillaſio, omnia ea, quæ utcunque ad hiſtoriam Henrici faciunt, perſequi, hinc & in alia regna ſubinde animum lectoris avocat. Non contemnenda ſunt, quæ de ſucceſſione in regnum Portugalliæ, de qua, Sebaſtiano Rege interempto, plurimi Principes inter ſe contendebant, commemorat; ſane quæ Caramuel vaſto opere pro Philippo complexus eſt, in compendium ita ſe miſiſſe ait, ut aliquot paginas vix impleant. Quam periculoſum ſit, Aſtrologiæ ſcitis ſtare, Stroſſii exemplo comprobat, qui navali prælio, victa jam fugataque claſſe Hiſpanorum ſuperior, perſequi hoſtem victoriaque rite uti noluit, quod ſiderum poſitus neſcio quod malum illa die ei præſagiret. Atque ita omnino hominis aut ſuperſtitionem aut credulitatem effeciſſe, ut Gallorum pro Antonio Priori Cratenſi conatus ad eripiendam Hiſpanis Portugalliam, fuerint irriti. Sic & de Lotharingica gente, quo jure ad Carolum ſuam originem referat; de Carolo, Philippi II filio, Patris, ut ferunt, juſſu ſuffocato; de Truchſeſio; de morte Andegavenſis Ducis; de Maria denique Stuarta, juſſu Eliſabethæ obtruncata, talia ſubinde docet, quæ non ubivis

Lib. V. p. 24.

bivis

bivis obvia, prudentibus harum rerum exiſtimatoribus non diſplicebunt. Et de Eliſabetha quidem Angliæ Regina ita diſſerit, ut miretur, nemini veram cauſam, quæ ad Mariæ cædem eam impulerit, introſpectam fuiſſe, cum tamen tot præſtantiſſimi viri in eam inquiſiverint. Nimirum quamdiu Hiſpani in inſtruenda comparandaque contra Anglos claſſe occupati erant, ſuffeciſſe Eliſabethæ detinere in cuſtodia Mariam, omnesque nocendi vires illi adimere; aſt poſtquam jam parata claſſe, id agere Hiſpanos intellexiſſet, ut invaderent Angliam, jam tempus ratam eſſe, ut tolleret e medio Mariam, ne ſubditi Romanæ Eccleſiæ ſacris addicti, eam libertati redditam Principem ſibi conſtituerent, & cum Hiſpanis, ad ſe opprimendam, conſpirarent. Hanc ſi non veram, certe veroſimillimam eſſe rationem, contendit. Reprehendit hac occaſione Morerium & Maimburgium, exiſtimantes aſſerentesque, Galliæ Regem palam quidem per Legatum Mariæ cauſam apud Eliſabetham egiſſe, aſt aliis, iisque occultis mandatis imperaſſe Legato, ut Eliſabetham, ad interficiendam Mariam, impelleret & concitaret. Quod ſupereſt, dum & hocce ingenii ſui monumentum Galliæ Regi ſacrum eſſe voluit Auctor, legis, quam ipſe ſibi conſtituit, quamque hactenus obſervavit, rationem habuit. Cum Henrico III nempe hodiernum Galliæ Regem ita contendit, ut vitiorum, quibus famæ ſuæ labem æternumque dedecus adſperſit Henricus, immunem, virtutibus vero, quibus excelluit, ita præditum, ut non tantum jampridem adæquaverit, ſed infinitis eum ſuperaverit ſpatiis, aſſerat. Solum in eo Ludovicum Henrico inferiorem eſſe, non diſſimulat, quod hodie quidem eruditis in Gallia ſuis carendum ſit ſtipendiis (id quod ſuo exemplo comprobat) cum Henrico rerum ſummam tenente, etiam difficillimis temporibus, ſine mora fuerint perſoluta, aliisquoque præmiis, ad induſtriam virtutesque colendas, præclaris mentibus excitatis.

SAPIENTIA VETERUM HEBRÆORUM PER universum terrarum orbem diſperſa, quam exhibet
EHREGOTT DANIEL COLBERGIUS.
Gryphiswaldiæ, literis Danielis Benjaminis Starckii, 1694. in 4.
Conſtat pl. 22.

Diſſertationes ſex tractatus hic complectitur, quas Reverendus hodie Wiſmarienſium Paſtor, Colbergius, in Regia Univerſitate Gryphiſwaldenſi, cum ibi adhuc Moralium Profeſſorem ageret, publice ventilandas propoſuit. Et eæ quidem in unum collectæ faſciculum, diſperſæ per totum terrarum orbem veterum Hebræorum ſapientiæ titulum obtinuerunt, cum præcipua earundem contenta ad hunc ſcopum maxime colliment; quemadmodum e præſtando a nobis recenſu Benevoli Lectores haud obſcure intelligent.

In *prima* nempe famam, quæ de Judæis eorumque lege & doctrina orbem univerſum pervagata fuerit, imo quæ & Judæorum ætatem adhuc anteverterit, præcipuam Gentilibus ſtraviſſe viam reputat perveniendi ad aliquam rerum cœleſtium notitiam. Nullum enim eſſe dubium, quin poſteri Noachi, cum hiſtoria de diluvio & turris Babylonicæ ſtructura, veram quoque doctrinam poſteris ſuis inculcarint, quæ ab aliis diutius conſervata, ab aliis neglecta nihilique habita, ab iſtis inſuper ob temporis diuturnitatem & traditionis multiplicem iterationem non parum immutata fuerit. De diluvio certe quæ non aliqualem habuiſſe deprehendatur notitiam, vix nationem unam reperiri, teſtimonio Mornæi generatim probat, ac ſpeciatim de Americanis Roſlæum, de Græcis & aliis gentibus Hugonem Grotium teſtes advocat. Et quanquam Græci duo narrent diluvia, Ogygium & Deucalioneum, circumſtantias tamen, quæ occurrant in Hiſtoria, non ſinere nos dubitare ait, quin narrationis fundamentum ſit Noachicum diluvium. Lucianum quoque Deucalionem iis depingere coloribus, ut qui negatum iret, ſub illius perſona latere Noachum, riſu ſibiloque dignus videretur. Sic turris Babylonicæ memoriam & a Poetis ſub fabula gigantum oppugnatorum cœli propoſitam, & a Platone in Convivio allatam annotat. Eadem ergo ratione, qua relationes hæ conſervari potuerint, dogmata etiam divinitus revelata &, a Patriarchis in poſteros ſuos propagata, conſervari potuiſſe exiſtimat. Accedere, quod miraculoſa illa populi Iſraelitici eductio, ob ſuam ſingularem excellentiam, latere non potuerit gentes multum etiam remotas, ad quas, ſi non alia via, per relationem certe peregrinantium, in Ægypto tunc degentium & ad ſuos poſtea revertentium, notitia illius penetrarit. Quid? quod exteri Ægyptum adeuntes ab incolis hæc diſce-

diſcere potuerint, quos ſubleſta quidem fide cum illis egiſſe, dubium haud ſit. Præterea famam de Joſua & ejus bellis ac victoriis univerſum orbem perſonuiſſe, ex Joſ. VI, 27. probatum dat, neque id mirandum, cum Phœnices rei nauticæ peritiſſimos fuiſſe conſtet, unde liceat facillimo negotio colligere, nautas & mercatores populis peregrinis indicaſſe ſtatum ſuæ patriæ, ac bella in vicinis locis ardentia. Imo cum conſtet, multos ex incolis Phœniciæ ſedes ſuas ob Joſuæ metum reliquiſſe, (ita autem rem hanc ſe habere, multis teſtimoniis confirmat,) affatim patere, quod, quouſque Phœnicum ſe extenderint coloniæ, eo uſque etiam fama de Judæorum victoriis & doctrina propagata fuerit. Sequentibus temporibus Judæos commercia inſtituiſſe cum populis exteris, quæ & ipſa occaſionem de ſua patria ſuisque ſacris apud hos diſſerendi ſuppeditarint. Porro incomparabilem Salomonis ſapientiam, uti procul dubio alios longisſime diſſitos, ita Sabæorum imprimis advocaſſe Reginam. Undenam vero hæc advenerit, inter Auctores equidem adhuc diſceptari obſervat; theſi tamen ſuæ cum id nihil obſit, ideo nec certi aliquid determinat. Poſt Judæos in captivitatem abductos, quotidianam converſationem cum illis gentibus, inter quas hi ſervitutis neceſſitate vixerint, anſam præbuiſſe manifeſtiſſimam exponendi ſuæ legis arcana. Peregrinationes a Philoſophis gentilibus ad ea loca, ubi Judæos hoſpitari ſciverint, inſtitutas late probat exemplo Thaletis, Pherecydis, Democriti Abderitæ, Pythagoræ, Platonis, Orphei, Homeri. Admiſſos autem hos ad Sacræ Scripturæ lectionem, adverſus diſſentientes plures defendit. Cæterum quanquam ſapientiæ ſuæ rivulos ex Hebræo fonte derivarint Græci, ſtudioſe tamen eos id occultaſſe ait, ſive ex metu periculi, ſive ex ambitione quadam, ſive ex alia quacunque cauſa hoc factum fuerit. Non deeſſe interim talia in ipſorum ſcriptis indicia, quibus ſat manifeſte, etiam contra ſuam voluntatem, magiſtros ſuos genuinos prodiderint. Tacemus, quod & Diabolum quandoque, ut magis ſibi devinciret homines, quædam ipſis revelaſſe a vero haudquaquam aliena, demonſtret.

Sed cum de *origine Philoſophiæ* nonnulli quæſtionem moveant, aliique eam Patriarchis referant acceptam, alii gentibus extra Eccleſiæ gremium viventibus inventionem ejus tribuant, hinc iſti deciden-

cidendæ Auctor *ſecundam* Diſſertationem deſtinat. Et heic ſibi penitus perſuaſum habet, illam Philoſophiam, quæ ex Oriente ad Græcos pervenerit, & a Græcis ad Occidentem, & poſtea ope Religioſorum Pontificiorum per univerſum pene terrarum orbem diſſeminata fuerit, neque a ſolis Judæis, neque a ſolis Gentilibus profectam, ſed mixturam continere ſapientiæ humanæ, quam ratiocinando invenerint Gentiles philoſophantes, & doctrinæ Judaicæ, quæ revelationis ſit. Omnes certe gentes ſuam habuiſſe Philoſophiam, quam tamen diu integram non retinuerint, nempe propter converſationem cum populo Dei inſtitutam varias doctrinas, quas ratio ſibi relicta non cognoſcat, ei admiſcentes. Auſpicium ſumit ab Ægyptiis, & quomodo illi ſuam Philoſophiam veritate divina ab Hebræis accepta paſſim imprægnaverint, declarat. Equidem non per omnia adſtipulatur Euſebio, qui Joſephum ſecutus ab Abrahamo Ægyptios Sacerdotes Mathematicam accepiſſe perhibeat, cum nondum evictum ſit, quicquid de peritia Abrahami aſtronomica dici vulgo conſuevit. Potius ipſam Ægyptiorum Philoſophiam domeſticam ex Matheſi atque ex Hieroglyphica ſcientia conſtitiſſe notat. Verum heic acquieviſſe eorum ſapientiam inficiatur; ex Hebræorum contra informatione eam majora ſumſiſſe incrementa & perfectionem ſortitam aſſerit. Joſephum eos non tantum certas rationes œconomicas, ſed primario veritatem cœleſtem ſanamque religionem docuiſſe, ex Pſ. CV, 22. conſtare innuit, quamvis hanc poſtea ſuæ ratiocinationis quiſquiliis fœde inquinarint & corruperint; quo refert male explicatum Trinitatis myſterium, figmentum μετεμψυχώσεως, & alia eorum dogmata. Dehinc progreſſus ad Chaldæos, domeſticam eorum Philoſophiam Aſtrologia aliisque divinationum generibus abſolutam, ſed & doctrinis a Daniele ſuppeditatis poſtmodum illuſtratam fuiſſe, ac idem fatum expertos Perſas, idem quoque Phœnices Judæis propiores, oſtendit. His ergo præceptoribus, præter ipſos Hebræos, uſi cum legantur Gentiles, promtum hinc manare judicium, quod ſententiam ſuperius allatam abunde confirmet. Eam tamen inſuper prolixe, adducto Juſtini Martyris & Clementis Alexandrini ſuffragio corroborare nititur. Sub finem quædam diſſerit de Philoſophia Græcorum ad Romanos translata, imo & ante Romanorum tempora nonnihil ad occidentales populos penetraſſe

traſſe conjicit, Germanos puta, a Thuyſcone, qui Noachi filius credatur; Gallos a Gomero & Samotheo, Japheti filiis; Hiſpanos a Tubale aliisque informatos; ſi vera modo ſint, quæ opinio Scriptorum communis hoc de negotio hinc inde referat.

Tertia Diſſertatio *fabulas Poetarum Gentilium* conſiderat, primosque Poetas tam fabulandi modum, quam materiam fabulis obvelutam ab Ægyptiis didiciſſe perhibet. Probari enim hoc dicit Auctor ex Ægyptiorum more ſua ſacra occultandi, arteque hieroglyphica & ſymbolica tegendi; quæ procul dubio originem ſuam debeat cacozeliæ vanæ, qua Judæos imitari voluerint Ægyptii, obſervantes, dari apud iſtos in tabernaculo ſegregatum quendam locum, in quo arca fœderis repoſita & velamento tecta, quemque nemini, præter Sacerdotem ſummum, adire licuerit. Dum autem in ſenſu fabularum indagando occupatur, Olaum refellit Rudbeckium, qui populorum ſeptentrionalium, nominatim Sueonum & Gothorum, res antiquitus geſtas ſub iis latere aſſeruerit, ſupponens, Atlanticam Platonis eſſe Sueciam, e qua Poetæ Græci notitiam olim ſuam hauſerint. Viciſſim vero Noſter Platonem ſub Atlantica vel rempublicam in idea, vel inſulam quandam Africæ, vel, quod magis probabile, ſtatum antediluvianum deſcribere voluiſſe autumat. Mox, ut ſub iſtarum fabularum involucro ſacræ lateant hiſtoriæ, demonſtrat, exempli in locum adducens creationem ſub fabula Promethei adumbratam, ſicuti & Saturnus ipſe primus homo ſit, & Evæ creationem primus homo androgynus repræſentet. Statum integritatis depingi per aureum ſeculum, hortos Heſperidum & Alcinoi, ac per elyſios campos. Nectar & ambroſia, moly, nepenthes, ſymbola ipſi ſunt arboris vitæ. Fabulas de Ate & Pandora lapſum Adami referre ſtatuit. Cainum & Abelem ſub perſonis Jovis & Promethei introduci. Jubalem eundem eſſe ac Vulcanum. Diluvium Noachicum deſcribi in diluvio Deucalionis aſſertione iterata monſtrat, nec Deucalionem ſolum, ſed & Janum Bacchumque exhibere Noachum ſuperaddit, tandemque breviarium fabularum manantium ex perverſa ſacrarum literarum lectione, ad ductum Huetii ſubjungit. In Epilogo ſe definire nolle adjicit, an Homerus, quæ nonnullorum ſit ſententia, adventum Chriſti repræſentaverit? quamvis ad negativam magis ſe inclinare haud diſſimulet.

In *quarta* Diſſertatione *legislatores Græcorum & Romanorum Moſaizantes* in ſcenam producit, ac iſtud quidem minime defendit, quod omnes omnino leges, quæ apud populos quoscunque viguerunt, imprimis apud Græcos & Romanos, a Moſe originem habuerint. Nihil enim detrahendum exiſtimat naturæ legi omnium hominum cordibus inſcriptæ, a qua tamen abeuntes haud pauci propriasque ſuas inclinationes ac mores vitioſos ſequentes, impias quandoque, ſceleratas, turpiſſimasque leges tulerint. Earum aliquot enumerat, & mentis humanæ perverſitatem exinde ſatis elucentem moviſſe Deum aſſerit, ut legem naturæ in Decalogo repetitam ſolenniter promulgarit. Factum vero exin, ut Gentiles non tantum multas leges ceremoniales & forenſes, ſed etiam legis moralis præcepta nonnulla a Judæis hauſerint. Aſſerto huic fundamenti in locum ſubſternit antiquitatem Moſis, quem omnes legislatores anteire in propatulo ſit; prout & plures allegat rationes, quæ evincant, quod legislator Ægyptiorum antiquiſſimus, Mercurius, pro Moſe haberi debeat. Quibus ita deductis, ipſas leges atque conſuetudines, quas a Moſe mutuati ſint Ægyptii, recenſet, ac ut ab his Græci, & inter hos præcipue Athenienſes, opera Solonis ſuas leges acceperint, ut eadem felicitate beati fuerint Spartani per Lycurgum, declarat. In demonſtranda Atticarum Moſaicarumque legum convenientia, adducit pœnam bruti occidentis hominem; mandatum de ſemine fratri demortuo excitando; Solonis præceptum, ut victimæ integræ nulloque membro mutilatæ Deo offerantur, & alia hujusmodi; ac nondum in his ſubſiſtens, a Græcis Romanos plurimas leges transſumſiſſe indicat, & quomodo hi paria in multis cum Moſe ſanxerint, ex inſtituta ab Auctoribus magno numero heic allegatis inter utrasque leges collatione edocet. Nec iſtud prætereundum ducit, quod primi legislatores plerarumque gentium, Zoroaſtres puta, Minos, Rhadamanthus, Numa, colloquium cum Deo finxerint, & ex hujus ſuggeſtione leges ſuas profectas jactitarint. Iſtud vero conſilium non aliunde natum, niſi ex ſtudio imitandi Moſen, quem a Deo leges ſuas accepiſſe illi inaudiverint.

Quinta diſſertatio aliquam de *originibus moralibus* diſquiſitionem inſperſam exhibet, communiterque Socratem moralis Philoſophiæ auctorem conſtitui, ſed male, obſervat Noſter, quandoquidem

ante

ante hunc Poetæ non minus atque ſeptem illi Sapientes eandem tradiderint. Ideo autem ipſum ejus cenſeri inventorem, quod primus ſeſe totum illi ſtudio conſecrarit. Antiquiſſimum igitur omnium, de quorum doctrina morali quædam ad nos pervenere, Pythagoram facit, (ſua utique & in his ab Ægyptiis haurientem,) quem, ſi non in omnibus, tamen in plerisque, ſecutus deprehendatur Plato, ac proinde horum placita conjungit latiusque inter ſe componit. Platoni in plerisque adhæſiſſe oſtendit Stoicos, ſed ab illo receſſiſſe Ariſtotelem & Epicurum, cujus utriusque dogmata Lectori in compendio itidem ob oculos proponit. Archelai, Cyrenaicorum, Carneadis, & Pyrrhonis ſententiam, juſtum aut turpe nullum eſſe natura, e Socratis & Platonis diſputationibus, probabiliter ſolum de rebus philoſophicis inſtitui ſolitis, enatam arbitratur. Itaque uti hanc Philoſophiæ moralis faciem inter Ethnicos ſpectandam exhibet: ita iſtam, quam inter Chriſtianos adepta ea fuerit, conſiderans, ortam ait primis temporibus ex Ethica Pythagorico-Platonica Theologiam myſticam; poſt introductum Ariſtotelem, cujus principia moralia quidam exponant accuratius, & ad doctrinam Juris Naturæ & Gentium docte applicent. Epicuri dogmata expoliviſſe Gaſſendum, amplexumque Sharrokium. Hobbeſium Carneadis & Pyrrhonis caſtra ſecutum. Quosdam ſepoſito omni partium ſtudio Philoſophiam moralem tractare, & alios quidem mixturam facere Philoſophico-Theologicam; alios præſuppoſita Scriptura, moralia docere; alios ſequeſtrata Scriptura, ex ratione ſibi relicta in Moralium inveſtigatione progredi.

Naturaliſtæ articulos fidei, præſertim qui de perſona & officio Chriſti ac de beneficiis per ipſum acquiſitis agunt, ex naturæ lumine cognoſci poſſe; alii item, ſapientiores Gentiles divinitus inſpiratos & ſalvatos fuiſſe probaturi, inter argumenta reliqua ad libros Sibyllinos, ad Hermetis Triſmegiſti Pœmandrum & Aſclepium, & ad Zoroaſtris Oracula frequenter provocant, utpote in quibus ejusmodi doctrinæ ex ſolo rationis lumine propoſitæ inveniantur. Itaque de his quid ſentiendum veniat, in Diſſertatione *ſexta* Auctor exponit. Et ad *Sibyllina carmina* quod attinet, poſt recenſitas complures aliorum ſententias, ea diſtinguit in antiqua, a Tarquinio emta, & Syllani belli tempore cum Capitolio cremata; media, quæ deinceps un-

diquaque conquiſiverint Romani, & ex variis libris fatidicis ſelegerint, Stilico autem demum combuſſerit; & nova, hoc eſt, ea, quæ hodienum extent, & a Patribus primitivæ Eccleſiæ allegentur. Antiqua illa a Diabolo inſpirata aſſerit, ac rationes quorundam ſecus opinantium refutat. Media duplicis iterum eſſe generis ait, primo vere Sibyllina a Diabolo Pythiæ vel Sibyllæ dictitata; deinde Judaica, a Judæis Helleniſtis ſecundum ductum Sacræ Scripturæ Meſſiæ adventum promittentis elaborata, partim in ſui conſolationem, quod tempus adventus Meſſiani inſtare perſpicerent, partim in confirmationem fidei ac religionis ſuæ, ne inter gentes diſperſi ab illa deficerent. Ex his loca quædam apud Ciceronem, Heſiodum, Virgilium, & alios citata uberius examinat, eademque ex ſua hac hypotheſi illuſtrat. Hi vero libri Sibyllini medii an ad manus Patrum Eccleſiæ, Juſtini, Origenis, Lactantii &c. pervenerint? anquirit, & heic diſtincte reſpondendum eſſe cenſet. Nam alios a Sacerdotibus fuiſſe ordinatos, abjectis iis, quæ ſpuria viderentur, aut non Sibyllina, quos Auguſtus ſub Apollinis Palatini baſi cuſtodiri juſſerit; ac de iis libere pronunciat, non perveniſſe eos in conſpectum Chriſtianorum: ſolis enim eorum inſpectionem conceſſam legi Sacerdotibus. Sed hoc negari non poſſe, quod ex illis carminibus, quæ Legatis Romanis fuerint exhibita, & propterea, etſi neſciretur, utrum rejecta fuerint a Sacerdotibus, an vero probata ac recepta, Sibyllina audiverint, quædam ſancti Patres legerint, & ea quidem alii parvi æſtimarint, alii ex ſancta ſimplicitate rumori vulgari fidentes pro genuinis Sibyllinis habuerint. Animadvertentibus hinc quibusdam Chriſtianis, quod teſtimonia Sibyllinorum conſternerent Gentiles, nova ſubin veteribus ab iis juncta, ac tandem libros illos octo, qui hodie extent, procuſos. Poſt Hadriani tempora hoc factum eſſe, haud exiguam inter alia conjecturam facere, quod Imperatorum Romanorum nomina ordine recenſeantur usque ad Hadrianum. Sed orthodoxo cuipiam Chriſtiano hunc laborem neutiquam attribuit, quin potius hæreticorum inventum autumat. De perſona auctoris quod dicat, ſe non habere fatetur. Conjecturis ſi habenda ſit fides, quendam e Gnoſticorum grege huc fortaſſis accerſendum, niſi Montano, Pſeudoprophetæ Cataphrygum, aut Hermæ quis tribuere hoc opus ſuſtineat. Rationes porro, cur libros

libros Sibyllinos hodiernos ſuppoſititios faciat & recentiores, ſtrictim & ad alios potius Lectorem remittendo proponit. Ab his ad *Mercurium Triſmegiſtum* ſe confert, & extitiſſe antiquis temporibus quendam ejus nominis in Ægypto, haudquaquam abnuit, cum tot viri fide digniſſimi ad eum provocent. Iſtum vero numerum librorum, qualis ei tribuatur, ab uno homine profectum fuiſſe, penitus inter τὰ ἀδύνατα rejicit; quin antiquiſſimum illum ne unicum quidem librum ſcripſiſſe innuit, niſi forte ſub eo Moſes intelligendus ſit. Morem certe ſub Mercurii Trismegiſti nomine libros condendi, quosdam Platonicos primis poſt Chriſtum natum ſeculis introduxiſſe, ut Mercurii auctoritate ad Eccleſiam aut in partes ſuas pellicerent Lectores. Iis deinceps quoque uſos Patres contra gentiles κατ' ἄνθρωπον diſputantes, eo quod ſcirent, Mercurium ubivis magni fieri. Libros autem antea nominatos, Pœmandrum nempe & Aſclepium, ψευδεπιγράφους eſſe ac falſi nominis, ita probaſſe refert Caſaubonum, ut argumentis ab eo adductis vix quicquam addi poſſit; unde etiam in ſummaria eorum repetitione acquieſcit. Suam interim de auctore genuino ſententiam ſic aperit, ut hos libros circa idem tempus, quo Sibyllina carmina, fuiſſe conſcriptos cenſeat ab hæretico Platonico-Simoniano, cui volupe fuerit, Platonicam Philoſophiam & Theologiam puriorem miſcere, & hanc juxta illius principia torquere. Incidere eorum natales arbitratur ante ætatem Juſtini Martyris, qui Apologiam ſuam contra Gentes ſcripſerit anno poſt C.N. 150. Denique de *Zoroaſtris* Oraculis ſolicitus, quemlibet ſuo abundare ſenſu patitur, quot velit credere Zoroaſtres, modo hoc obſervet, quod Chaldæus aliquis Zoroaſtris nomine artium magicarum & aſtronomicarum inventor fuerit, a quo deinceps illi, qui has diſciplinas in alias regiones introduxere, aut eas exercuere, Zoroaſtres dicti ſint, ut ita plures omnino Zoroaſtres tradant Hiſtoriæ. Ea autem Oracula, quæ hodie ſub Zoroaſtris nomine proſtent, genuina eſſe, & Philoſophiam Chaldaicam continere negat, eademque poſt Chriſtum demum natum confecta adſtruit. Auctorem eorum dicit Prodicum, aut alium quempiam ex familia Gnoſticorum, ſuumque hoc effatum adverſus ea, quæ in contrarium moveri poſſint, dubia ſolicite corroborat.

Appendicis in vicem, ob materiæ affinitatem, nonnihil addit de

ſcriptis Orphicis, quæ vetuſto illi Orpheo tribui non poſſe ſtatuminat exin, quod & vitæ genus & ſtudia ejus a Philoſophia diverſa fuerint, ac præterea conſenſus auctorum antiquiſſimorum ea ipſi abjudicet. Quinimo nec dogma de S. Trinitate, nec alia fidei Chriſtianæ capita in iis contineri admittit, & Euſebiana Jovis Orphici explicatione allata, multis ſpeculationibus otioſis terminum figere laborat.

Hæc ſunt contenta tractatus hujus minime ineruditi, quæ paulo fuſius exponere placuit, quod jucunda legentibus futura arbitrati ſumus. Unicum tamen iſtud, ne quicquam reticeamus, indicandum ſupereſt, quod Auctor Diſputationi quartæ Corollarium ſubjiciat de Jubileorum inter Chriſtianos origine a Bonifacio VIII. derivanda, & poſt quintæ finem Jubilea a tempore renati Evangelii in Pomerania celebrata enumeret, occaſione illius, quod ante annos aliquot Auguſtiſſimus Rex Carolus XI. pro conſervatione veræ religionis in regno Succiæ per præterlapſum ſeculum indixit, quodque quartum inter reliqua diverſas ob cauſas celebrata conſtituit.

LA PRATIQUE DES ACCOUCHEMENS PAR MR. PEU.

i. e.

Praxis ſubveniendi Parturientibus, autore PHILIPPO PAUCO, *ſive* PEU, *Chirurgo Pariſienſi.*

Pariſiis apud Joh. Boudot, 1694. in 8. Alph. 1. pl. 15.

NOn eſt negandum, de adjuvandis parturientibus Gallos præ cæteris nationibus nos inſtruere poſſe, non ingenio, ſed occaſione, qua licet ipſis quam frequentiſſime partui adeſſe, feliciores. Ita enim moris apud ipſos eſt, ut poſito pudore, etiam recens nuptæ ad tactum atque explorationem omnem chirurgos admittant faciles, & partus tempore præſentes atque adjutores fœminæ quælibet eos expetant. Quod longe fit aliter apud ceteras nationes, ubi plerumque vix perſuaderi poſſunt uxorculæ, cumprimis nuper in matrimonium ductæ, ut obſtetricibus propriique ſexus amicis ſui faciant copiam, niſi doloribus ac neceſſitate victæ. Proinde libri ab ipſis de hoc argumento editi cæteris præferendi ſunt. Tametſi enim chirurgi ipſorum neque in corporis humani hiſtoria, neque in iis, quæ inde petuntur, ratiocinationibus texendis feliciores ſint aliis: ea tamen experimenta

&ob-

& obſervationes depromunt, quæ prudentes medicos mirum in modum juvare poſſint. Inter alia, quæ huc ſpectant & ab iis edita ſunt opera, præſens hoc Philippi Peu, Franciſcum Moricellum, cujus dudum in his præcipua laus fuit (conferantur Acta Erud. A. 1685. p. 149. & A. 1695. p. 42.) ut apparet, æmulantis non poſtremo eſt habendum loco. Neque enim præcipiti calamo, ſed tum demum, poſtquam 4000 ad 5000 fœminis laborantibus auxilio fuerat, opus ſuum edidit in publicum. Ex quo, quanta ſit experientia, facile conjectari poteſt. Nihilominus ſtatim in limine fatetur, tam varias hic ſubinde occurrere circumſtantias, ut vix unquam viderit parturientem, cujus partus non aliqua ratione a reliquis fuerit diverſus, & ſe quotidie novas difficultates invenire, quæ antea ſibi non fuerint obviæ. Ex quo rei amplitudo & naturæ varietas conſtare poteſt.

Diviſit totum opus in libros duos, quorum priori agit de partu naturali, in ſecundo de præternaturali & difficili: neque de partu tantum, ſed etiam iis omnibus, quæ præcedunt, malis, & quæ ſequuntur, ut opus de morbis prægnantium, parturientium, & puerperarum optimo jure inſcribi poſſit. Primo ſtatim loco docet cognoſcere fœtum, illumque a mola, veramque imprægnationem a falſa, diſcernere; ubi accuratiſſime deſcribit motum infantis in utero. Tum fœtum viventem diſtinguere docet a mortuo: ubi certiſſimum vitæ ſignum exiſtimat, ſi digito immiſſo in os, ſuctionem affectet infans; quod in parturientibus experiri liceat, ſi quis ſatis ſit peritus. Dehinc quomodo, immiſſa in uterum manu, partes infantis ſint dignoſcendæ, docet. Pergit ad ea quæ accidunt prægnantibus mala, ex quibus metus abortus eſt, & quantum ad eum promovendum conferat impotentia animi, ac commotiones ejusdem, memorabilibus exemplis docet. Gibboſas & claudicantes raro abortum evitare, habet perſuaſum. Miram & notabilem extracti fœtus hiſtoriam cap. 10. recenſet, ex utero mulieris, quæ crura deducere, & aditum ad uterum manibus obſtetricis dare non poterat liberum, feliciter tamen a ſe liberatæ. Poſt abortus cauſas & eum evitandi rationes, cautionesque in id obſervandas, de partu naturali, quam difficile ſit, ejus tempus cognoſcere, & quomodo id fieri poſſit, exponit. In eo promovendo ſuperſtitiones mulierum Gallicarum recenſet, & inter illas roſæ

roſæ Hierichunticæ dictæ fallacias. Cujus opinionis originem recenſet, paucis forte ex noſtratibus, cum hic nulla habeatur ejus cura, notam. Nempe propterea ad partum commendari ait, quia ſuper illum, ex quo carpatur, fruticem, Virgo Mater lintea aliquando extenderit, quibus Jeſum puerum involviſſet. Patet hinc vanitas rei, cum non in frutice creſcere, ſed ex ſemine naſci perexilis plantula in hortis noſtris quotannis jam ſoleat. Agit autem ſollicite de ſitu parturientis, aliisque in partu obſervandis, de cliſterum, & de venæ ſectionis uſu. Inter alia monet, elapſis aquis ne ſitum mutet puerpera, cavendum: periculum enim eſſe, ne caput infantis ad os pubis appellat, & partus difficilis ſequatur.

Porro quando membranæ fœtus rumpendæ ſint, docet. Refutat illorum ſententiam, qui quoties digito meconium adhæreat, infantem exſpiraſſe contendunt. Porro quo pacto adjuvandus ſit progrediens recte quidem, ſed difficulter, fœtus oſtendit, & quomodo, ſi gemelli ſint in utero, ſe gerere debeat chirurgus vel obſtetrix. De ligando etiam umbilico infantis ſollicitus eſt, & de hoc quidem nimium fortaſſe: nam non modo verſus infantem, ſed verſus matrem etiam nodum jubet fieri, metuens, ne ex hac omnis, niſi id fiat, ſanguis effundatur: cujus metus vanitatem norunt obſtetrices noſtræ. Subjungit, quo pacto exomphalos curari debeat.

De lacte dein diſſerit, ſed ex ſuæ gentis conſuetudine, qua vix ulla mater nobilis, vel ſupra plebis ſortem ſublata, ipſamet nutrit infantem ſuum, ſed in villam aut pagum amandant, ſtatim vero lac comprimere & diſſipare conſueverunt. Hinc ſe torquet noſter, quorſum abeat lac a partu oſtenſurus, & modo per uterum, modo per mammas, per urinam, per anum, per poros corporis ſudore elabi cenſet. Vetat etiam a partu cibum ſumere, ne lac generetur abundantius. Quin, ubi nihilominus affluit, omnibus modis occurrendum, illudque diſſipandum eſſe cenſet, ad quod nihil hydrargyro eſſe præſtantius ait. Denique quomodo puerpera ſit conſervanda, & a moleſtiis, quas affert partus, percuranda ſubjungit, & hic libri primi finem facit.

In alterius cap. I. ſtatim partus difficilis cauſas recenſet. Chirurgum, ſi vires videat ſufficere, neutiquam præcipitare opus oportere

portere monet, ſed naturæ locum dare, quæ ſæpe ipſamet inveniat remedium ac viam. Si hæmorrhagia uteri prolixa eveniat, quibus ex cauſis id fiat, docet, nullumque eſſe remedium, præter celerrimam fœtus extractionem. At quoniam hoc, niſi aperta matrice, fieri non poſſit, ſi ea ſit clauſa, naturæ opus relinquendum præcipit; nunquam enim bene cedere violentam apertionem: quod ſi fœtus ad exitum bene diſpoſitus ſit, nihil movendum; ſi male, approperandam extractionem, pedesque infantis quærendos & extrahendos: & ſimilia quidem multa utiliſſima monita ſubjungit, & tum unci uſum, (quem ſibi eſſe rariſſimum teſtatur) tum modum inquirendi pedes & extrahendi infantem, item quid agendum, ſi caput reſtet abruptum in utero, docet, quæ recenſere longum foret.

Cap. II. de partu agit Cæſareo, illumque prorſus diſſuadet.

Cap. III. quid agendum, ſi caput vel propter ſuam magnitudinem, vel loci anguſtiam egredi nequeat, & quomodo unco tum utendum, exponit. Jubet autem matre in ventrem collocata, genibusque innixa, per poſtica fœtum trahere.

Cap. IV. de inſtrumento tractorio a Moricello invento, & in Acta Erudit. A. 1684. pag. 195. transſcripto diſputat, illudque nunquam dicit eſſe admittendum: nullam enim certitudinem vitæ vel mortis eſſe, quamdiu caput oſſibus pubis impactum hæreat, ſeque in quintum quoque diem ibi hærentem infantem vivum extraxiſſe, memorat. Neque unquam licere infantem occidere, quo mater ſervetur, ſtatuit. Quam ſententiam, Sorbonenſium ac Navarrenſium Theologorum literis integris inſertis, tuetur.

Sequentibus capitibus (nam hæc in ſpecimen voluimus tantum recenſere) de ceteris partus difficilis a ſitu infantis depravato provenientis conditionibus, & quomodo in ſingulis ſe gerere chirurgus obſtetricans & accidentia mala averruncare debeat, deſcribit. Inter alia, remedia in gangræna uteri vulvæque contuſione proponit, ubique inſignes hiſtorias & obſervationes ex propria experientia ſubnectens, raraque cum alia, tum hoc tradit, Diaboli formam referentem infantem ſe extraxiſſe, quam uterum geſtans mater ex inſpectione imaginis, qua Michael Archangelus cum Diabolo pugnans deſcribebatur, ipſi impreſſerat: item ab infante anatem referente ma-

trem ſe liberaſſe. Deinde agit de ſecundinis extrahendis cap. 15, quo multa docet imperitos. Hinc de lochiis quoque ſollicitus, Orvietanum in periculum adduxiſſe, cliſterem adſtringentem momento interfeciſſe puerperam a partu, item nimiam ſtricturam lochia ſiſtere, animadvertit. Poſthæc quomodo falſum conceptum (Faux-Germe) quem a mola diſtinguit, tum quo pacto molam ipſam extrahere, vel deſtruere liceat, docet. Hinc de ſcirrho uteri, condylomate, fungo, tymis, verrucis, poris in partibus genitalibus vel circa illas natis, de hernia, ut partum impediant, & quomodo chirurgus ea reprimere & ſemovere debeat, ne obſint; de procidentia uteri poſt partum, tandemque de varicibus agit: ut hic liber, qvamvis ſuis nævis, quum de rebus agitur, quæ tranſcendunt notitiam chirurgi, non careat, ex præſtantiſſimis tamen eſſe, qui de hoc argumento prodiere, cum propria experientia omnia firmet, ſit exiſtimandus.

NOUVELLE BIBLIOTHEQUE DES AUTEURS ECcleſiaſtiques, T. VI. &c.

h. e.

NOVÆ BIBLIOTHECÆ SCRIPTORUM ECCLEſiaſticorum Tomus VI, complectens Seculi VII & VIII Scriptores, Autore L. E. Du Pinio, *Facult. Theol. Pariſ. Doctore & Profeſſore Regio. Accedit ejusdem ad Patrum Congregationis S. Vitoni (de Saint Vannes) contra Tomum I hujus Bibliothecæ Objectiones Reſponſio.*

Montibus Hannoniæ, impenſis Huguetanorum, 1692 in 4.
Conſtat Alphab. 1. plag. 9.

QVamvis non expectandos eſſe in ſexto hoc Bibliothecæ ſuæ tomo Scriptores, qui cum præcedentium ſeculorum Viris illuſtribus contendi mereantur, agnoſcat clar. Autor, utpote quorum potiſſima pars ultra compilatorum ſortem non aſſurgat; non tamen omnem eruditionem, judicium & eloquentiam eis abjudicandam eſſe exiſtimat. Tempus hoc eſt, quo ſicut aliæ ſcientiæ ac artes ad methodi regulas fuerunt exactæ, ita religionis quoque præcepta certis doctrinæ corporibus includi primum cœperunt. Diſciplinam quod attinet, eam velut per præcipitia declinantem, Hiſpanica & Gallica Concilia præcipue firmare canonibus ſuis & ſiſtere ſtuduerunt; quæ tamen in illa

illa ſeculi corruptione, niſi Principum edictis adjuta fuiſſent, parum potuiſſent efficere. Florebat Anglia hiſce temporibus imprimis literarum legumque optimarum ſplendore, qui in Græcia magis magisque extinguebatur. Quantum fabulis genius horum temporum indulſerit, Pratum Spirituale; quantum a critica peritia fuerit alienus, Concilii Nicæni Acta docebunt. Pœnitentialia, quæ conſervandæ deſtinata videbantur pœnitentiæ diſciplinæ, eam corrumpebant potius, pari ratione ac poſtmodum Caſuiſtarum libri moralem theologiam. Publica pœnitentia fere evaneſcebat, ſubſtitutis in ejus locum privatis & auricularibus confeſſionibus. Sacerdotes ſanctum ſibi opus præſtare videbantur, ſi Miſſam quotidie celebrarent. S. Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque quidem diſtribuebant ſpecie; minores tamen, quam olim, panes qui offerebantur, confici curabant. Romanæ Eccleſiæ ritus & ceremoniæ in omnes fere occidentales eccleſias invehebantur. Pontifices Romani per Pipini & ſucceſſorum donationes, ſecularium Principum faciem induebant; ſpiritualem vero etiam poteſtatem miſſionibus latiſſime circumferebant. Inter Epiſcopos & Clerum ignorantia & licentia regnabant, quos ad meliorem frugem reducere Principum quorundam cura nitebatur. Quin Epiſcopi quoque nonnulli medicamenta tentabant, qui propterea Clericos ſuos in monaſterio communi convictu Monachorum inſtar uti volebant; quod etiam Canonicis Regularibus originem dedit, quorum ſive inſtitutor ſive reſtaurator Chrodogandus Metenſis Epiſcopus fuiſſe videtur. Populum denique quod attinet, non religione, ſed ſuperſtitione ille ducebatur. Quæ omnia ita ſe habere, ex quamplurimis geſtis in libro hocce expoſitis, & ex modo imprimis, quo de incarnatione Chriſti, de imaginibus, & aliæ controverſiæ tractatæ fuerunt, abunde conſtare poterit.

Inter Scriptores hoc tomo enarratos, primum locum Isidorus Hispalensis occupat. Ejus Chronicon contra Harduini objectiones in Præf. tomi V ab Autore noſtro vindicatum fuit. Aſt abjudicat ei, quæ *ad Maſſanum de lapſu & reparatione ſacerdotis* ſub ejus nomine circumfertur, epiſtolam; cum in ea, contra quam in epiſtola ad Helladium & libro II Officiorum docuerat, poſt pœnitentiam ad officium ſuum iterum admitti jubeat clericum fornicationis cri- p. 4.

 mine

mine pollutum. Idem judicium fert de epiſtola ejus quarta ad Clau-
dium, in qua de Spiritu S. contra Græcos agitatur quæſtio: ut & de
quinta ad Redemptum, de qua Labbeum jam dubitaſſe videmus, ac
ultima ad Eugenium Toletanum, in qua de Papæ Romani autoritate
agitur. Illas enim epiſtolas omnes, poſt controverſias inter Græcos
& Latinos motas, adeoque poſt tempora Iſidori ſcriptas eſſe, mani-
feſtum exiſtimat. S. COLUMBANUM juvenem adhuc in Pſalmos com-
p. 5. mentatum fuiſſe, a Sigeberto Gemblacenſi habemus. Titulum hu-
jus Commentarii in vetere Bibliothecæ S. Galli catalogo extare dicunt,
ipſo tamen libro in ea non obvio. Sunt tamen, qui eum eſſe putent
Commentarium in Pſalmos ἀνεπίγραφον, qui in Bibliotheca Luxo-
vienſi extat; ſed cum ille nondum lucem adſpexerit, judicium de
eo ferre Autori noſtro non licet. Sunt, qui non integram ad ma-
p. 6. nus noſtras perveniſſe putant ejusdem autoris Regulam Monachalem,
quod in Concordia Regularum allegatum videant articulum ejus
XXXIII; verum errore laborare iſtam citationem, & nomen Columba-
ni pro alterius cujusdam nomine irrepſiſſe, noſter exiſtimat. De HE-
p. 9. SYCHIO, Commentariorum in Leviticum autore, iis aſſentit, qui
Presbyterum Hieroſolymitanum fuiſſe dicunt, & ad ſeculum VII
ætatem ejus referunt: quamvis eum poſtea ad Patriarchatum Hiero-
ſolymitanum evectum fuiſſe negare nolit; quod tamen alio, quam
quorundam manuſcriptorum & recentiorum autorum teſtimonio
haud niti, non diſſimulat. Ad ſeculum autem VII eum referendum
eſſe inde colligit, quod ſeculo nono Amalarius, Rabanus, Trecul-
phus & Walafridus Strabo eum citaverint, & ſeculo VIII Photius
ſermones quosdam ejus recenſuerit; ſi tamen idem eſt noſter cum eo,
quem Photius allegavit, Heſychio. Salonitano autem Heſychio
noſtrum juniorem eſſe, inde patere ait, quod contra Eutychianos &
Neſtorianos ſcribat, quodque Hieronymi utatur verſione; unde poſt
Gregorium M. eum vixiſſe, Cl. Dupinio manifeſtum videtur. Equi-
dem ad poſtremum reſponderi poſſe videt, non ab Heſychio, ſed ejus
interprete profecta videri, quæ ex Hieronymiana verſione allegantur;
verum plane ſibi perſuaſum eſſe ait, Latine primitus hoc opus ſcri-
ptum fuiſſe, utpote in quo vulgata verſio ſolicite cum LXX & aliis in-
terpretibus conferatur. Noſtrum Heſychium Sermonis de Reſurre-

ctione

ſtione Domini, qui Gregorio Nyſſeno vulgo tribuitur, & inter ejus
Sermones de Reſurrectione Domini ſecundum locum tenet, autorem facit Combefiſius: qui tamen, ſi Heſychii eſt, non noſtro,
ſed illi, qui ſub ſeculi V vixit initium, ex mente Du Pinii eſt tribuendus. Cujus etiam eſſe putat Κεφάλαια XII Prophetarum minorum & Eſaiæ, ab Hœſchelio una cum Introductione Adriani publicatos, nec non Tractatum de temperantia & virtute ad Theodulum,
& Hiſtoriam Eccleſiaſticam, cujus fragmentum in Concilio V.
collectione V. p. 470. citatur. Inter eccleſiaſticos JOANNIS PHILOPONI p. 12
libros, omittit Autor librum contra Severum, cujus Suidas memoriam conſervavit, ut & celeberrimum ejus opus, quod Διαιτητὴν
inſcripſit, in quo refutando Niciæ Monachi juxta Photium Cod. 50.
exercitata fuit induſtria, quodque Nicephorus H. E. XVIII. 47. ſqq.
prolixe commemorat. Operis illius fragmentum non contemnendum ex L. IV. c. 7. extare apud noſtrorum nonneminem novimus, prætermiſſum autem ab Autore noſtro ideo putamus, quod Photii mentem l. c. non ſatis perceperit. Cum enim ille dicat, κατὰ τῶν τοῦ φιλοπόνου κεφαλαίων ζ΄ ſcripſiſſe Niciam, ὧν διεμνημόνευσεν ἐν τῷ καλουμένῳ αὐτοῦ λογῳ διαιτητῆς, verba poſteriora, quæ ad Joannem
pertinent, ad Niciam retulit, cujus proinde operi contra Philoponum paulo poſt διαιτητοῦ nomen Photii autoritate perperam tribuit. p. 33.
De LEONE II Papa Romano agens, ſolicite contra Baronium Papæ hujus literas, quæ Conciliorum tomo VI exhibentur, vindicat. Ultimo p. 46.
denique loco inter ſcriptores, quos ad ſeculum VII refert, AUDOENUM poſuit, a quo ad Concilia hujus ſeculi enarranda ſeſe confert.
Solicite imprimis texit Concilii Lateranenſis in cauſa Monothelitarum p. 57.
coacti hiſtoriam, nec non Concilii III Conſtantinopolitani ſive gene- p. 61.
ralis ſexti, in quo eædem controverſiæ agitabantur. Non opus
eſſe exiſtimat, ut poſterioris hujus Concilii acta contra Pighii &
Baronii accuſationes prolixe defendat, quæ nulla alia de cauſa
jurati illi Curiæ Romanæ patroni tanto molimine impugnarint, quam
quod Honorii Papæ nomen inter hæreticos in illis condemnatum
invenirent. Quamobrem alterum aperte ea impugnare, corruptionis vero inſimulare alterum, irrito conatu auſos fuiſſe. Primum enim
nihil contra hoc Concilium proferre, quod pari jure Nicæno & Chalcedonen-

donenſi objici non queat, ſiquidem omnes ejus objectiones eo redeant, quod Imperator Conſtantinus præſens huic concilio fuerit, modumque & ordinem rebus gerendis præſcripſerit. Baronii vero hypotheſin quod attinet, ſupponentis Theodorum, Gregorii in Patriarchatu Conſtantinopolitano anteceſſorem, a Concilio condemnatum & depoſitum, ubique nomine ſuo in Actis eraſo nomen Honorii ſubſtituiſſe; eam etiam multis argumentis Autor exploſam dedit, quamve ad tuendam Honorii orthodoxiam imparatus acceſſerit Baronius, pluribus demonſtravit.

p. 86. Sed ad Seculum VII etiam eſt accedendum; inter cujus Scriptores Bedæ primum locum Vir doctiſſimus tribuit. Venerabilem eum dictum exiſtimat, quod eo adhuc vivo multum ejus ſcripta legerentur, autorque eorum magni fieret, quem tamen ſanctum vocare non auſi, venerabilis titulo cohoneſtarint. Romæ eum nunquam fuiſſe, argumentis ex ejus ſcriptis petitis, omnibus tamen negativis, oſtendit. Commentarium in Epiſtolas Paulinas, ex Auguſtini ſcriptis compilatum & inter opera Bedæ impreſſum, Floro autoritate manuſcripti Corbejenſis, alteriusque a Trithemio olim viſi, & tertii a Mabillonio prolati tribuit. Quod confirmat etiam Collectio manuſcripta Canonum, in qua Flori nomine Commentarius ille allegatur, & alia ejusdem ex XII Patribus in Paulinas epiſtolas compilatio, in qua plane Auguſtinus, alio nimirum opere jam compilatus, prætermittitur. Extant tamen manuſcripta 800 annorum, diverſum ab iſto in Paulum exhibentia Commentarium, Bedæ noſtri nomine præſcripto.
p. 94. Bonifacii Moguntini Epiſcopi ſtatuta, a Dacherio T. X Spicilegii edita, ei abjudicat, quod Imperatoris in illis mentio fiat, cum tamen
p. 96. Bonifacii tempore nullus in Germania Imperator fuerit. Gregorii III quoque non eſſe Canonum Collectionem, quæ ei tribuitur, exiſti-
p. 104. mat. Chrodogandi Epiſcopi Metenſis Regulam e Bibliotheca Vaticana puram plane edidiſſe ait Labbeum. Eam vero, quam Lucas Dacherius in Spicilegio ſuo vulgavit, nihil aliud eſſe dicit quam centonem e genuina illa Chrodogandi Regula, Statutis Concilii Aquisgranenſis, aliisque nonnullis monaſticis conſtitutionibus conſarci-
p. 114. natum. De Hadriani I Papæ Rom. epiſtola ad Tilpinum Remenſem Archiepiſcopum dubitat; plane vero ei abjudicat, quæ tribuitur illi,

illi Canonum Epitomen, e Dionyſii Exigui Collectione a Papa noſtro Carolo M. exhibita, confectam, ut & Capitula in uſum Ingilrami collecta, & Privilegium quod monaſterio S. Dionyſii dediſſe dicitur.

Inter Concilia hujus ſeculi attentionem præcipuam meretur Nicænum II, quod fuit generale VII, in cauſa imaginum habitum. Prolixus eſt in repræſentanda ex Actis Concilii hujus hiſtoria clar. Autor, cui ſubnectit hiſtoriam Synodi Conſtantinopoli anno 754 ob eandem controverſiam congregatæ, ut & recenſionem librorum in Gallia illo tempore ea de re publicatorum, literarumque a Pontificibus Romanis ſcriptarum. Notari hic imprimis merentur, quæ de libro, Caroli M. nomine & autoritate, de cultu imaginum edito diſſerit, quem ſuppoſititium ſtatuere plane abſonum exiſtimat, utpote cujus autoritatem Hincmarus Remenſis qui eum allegavit, Reſponſio Papæ Hadriani ad eum, conciliaque Pariſienſe & Francofurtanum ſatis tueantur. p. 146. p. 120.

De Reſponſione ad objectiones, quas contra primum Bibliothecæ hujus tomum fecerunt Congregationis S. Vitani Patres, etiam non nulla dicenda ſunt. In ejus capite I generaliora, quæ illi monuerunt, exponuntur; quæ non ſunt tanti, ut prolixe hic repetenda ducamus, niſi quod, quantum ad additiones, quibus opus hoc creſcere poſſe putaverant, fateatur Autor, ſibi ipſi eſſe ad manum quamplurima, quibus meliorem reddere editionem Latinam, quam in doctorum gratiam parare ſe ait, velit. In hac enim tam veterum quam recentiorum de unoquoque autore ſe adducturum teſtimonia, & exactam omnium vetuſtorum Patrum operum analyſin, una cum accurato dogmatum eorum examine, difficiliorumque locorum explicatione ſeſe exhibiturum pollicetur. Capite II. annotationibus adverſariorum ſuorum in diſſertationem præliminarem reſpondet. Concernunt illæ Philonem illum antiquiorem, quem libri Sapientiæ autorem Du Pinius fecerat, ſed qui doctrina non ita viſus eſt adverſæ parti inſtructus, ut ab eo liber ille profectus credi queat; quam ei proinde ex Euſebii Præp. IX. 20. 24. & Clementis Alex. Strom. I. p. 333. adſtruit Autor: Hiſtoriam item Suſannæ, Zachariam inter templum & altare occiſum, ultima Capita Eſtheræ, Librum Eſtheræ & Tobiæ, ut & reliquos libros apocryphos V. T. In illis quoque, quæ de rebus N. T. p. 2. p. 3. p. 4.

animad-

animadverterat Du Pinius, reprehendenda nonnulla Cenſores ejus in-
p. 12. venerant. Talia ſunt, quod Epheſinum Epiſcopum Joannem dixerit Evangeliſtam, cum tamen Timotheus illam cathedram primus tenuerit; item quæ de loco, ex quo priorem ſuam epiſtolam ſcripſit Petrus, de anno martyrii Petri & Pauli, autoritateque Epiſtolæ ad Hebræos & Apocalypſeos docuit. Et quod locum quidem, e quo priorem ſuam epiſtolam Petrus ſcripſit, attinet, quem Babylonem credit Du Pinius,
p. 14. fatendum eſt, exigui ponderis eſſe quæ ei objecta fuerunt. Ipſe tamen interea e Joſephi Ant. XIIX. cap. ult. ſibi opponit, omnes Judæos Caji Imperatoris tempore Babylone fuiſſe ejectos; quid itaque Petro Judæorum Apoſtolo ibi tunc fuiſſet negotii? poſt illud edictum enim eam epiſtolam ſcriptam eſſe, ipſe agnoſcit. Putat tamen, paucas forte ibi Judæorum remanſiſſe reliquias, quibus pariter ac reliquis loci incolis evangelium Petrus annunciaverit. Capite III proponuntur dubia, quæ circa doctrinam Patrum, prout ea ab Autore noſtro explicata
p. 16. fuit, mota fuerunt. Initium fit a doctrina de peccato originali, quam non adeo clare priorum ſeculorum Patres propoſuiſſe Du Pinius affirmaverat, ut non dubiis locum reliquerint; contra planiſſima videntur Juſtini, Irenæi, Tertulliani & Origenis loca adverſariis ejus,
p. 19. quorum proinde accuratum ſatis inſtituitur examen. Reprehenderant illi quoque in Du Pinio, quod fidem primorum Patrum exponens doctrinæ de purgatorio non meminerit, de quo luculenta teſtimonia apud eos extare putant; verum nullum pro illo poſitivum in trium primorum ſeculorum Autoribus occurrere oſtendit, profligatis o-
p. 21. mnibus, quæ ex illis adverſarii ejus producere fuerant auſi. Non majoris momenti putat, quæ de templorum & altarium antiquitate ſibi objiciuntur, & de libertate quæ concedebatur Chriſtianis, ut ipſi ſumerent de menſa S. Euchariſtiam: fruſtra enim ex mente ejus ſunt, dum explicare conantur locum Clementis Al. Strom. I. p. 281. de libertate, qua propius accedere ſaltem ad ſacra myſteria Chriſtianis permiſſum
p. 23. fuerit. Adduntur ea, quæ circa diſciplinam monuerant, quæ omnia ſingulatim referre nimis foret prolixum. Capite igitur IV de illis,
p. 27. quæ circa Apoſtolorum ſcripta adverſarii moverant, agitur. Diſplicuit eis abjudicatum fuiſſe Apoſtolis Symbolum, quod tamen nullis
p. 31. novis argumentis iis aſſertum iverunt. Nec majori ſucceſſu de Ca-

nonibus

nonibus Apoſtolicis litem ſibi intentatam, Du Pinius docet. Sibyllina ſuppoſititia eſſe, inter utramque partem convenit; de tempore diſſentiunt, dum ſeculo II Du Pinius, primo adverſarii ejus ea conficta eſſe ſtatuunt. Argumenta igitur denuo pro ſententia ſua affert, quorum præcipuum eſt, quod luculenta deſcriptione Hadrianus & uterque Antoninus in iis depingantur. Adverſæ partis potiſſimæ rationes ſunt, quod ab Herma citentur. (Id vero negat Noſter, Sibyllam quidem nominari ſub initium L. I. Paſtoris, nuſpiam vero Sibyllina allegari inquiens.) Quod ab Autore Quæſtionum, quæ S. Juſtini nomen præferunt, in Reſp. ad Qu. 74. Clemens citetur, qui in Ep. ad Rom. dixerit, Sibyllas de fine mundi eſſe locutas, allegaveritque adeo ſeculi I ſcriptor Sibyllina. (Verum Quæſtiones illæ non Juſtini, ſed ſcriptoris ſeculi V opus ſunt, nec fidem hic merentur; præcipue cum nihil hodie in priore Clementis Epiſtola hac de re occurrat, nec in ſecunda tale quid occurriſſe, Autor probabile reddat.) Quod Clemens Alexandrinus Stromatum l. 6. dicat, Paulum Sibyllina citaſſe. (Verum Clementem falli, aut, quod Cotelerius putat, ipſummet citare Sibyllina, non autem a Paulo ea citata affirmare, Autori noſtro certum videtur.) Omittimus reliqua argumenta & ad ea reſponſiones, potiorum non nulla adduxiſſe contenti. Capite VI, quæ ad autores I & II ſeculi animadverterunt Du Pinii adverſarii, confutantur. Parvi momenti ſunt, quæ de Dionyſii Areopagitæ ſcriptis monuerunt; fidem enim eorum & antiquitatem defendere auſi neutiquam fuere. In Ignatio iis diſplicuit, quod inter alia eo argumento contra priorem Epiſtolarum ejus editionem uſus Du Pinius fuerit, quod dicatur in iis, a Nicolao Diacono ſectam ſuam perperam deducere Nicolaitas: illud igitur pro viribus ab eo vindicatur. Monuerant quoque illi nonnulla circa rationem, qua locum Ignatii de σιγῇ Noſter vindicaverat, cujus dogmatis inventorem non Valentinum, ſed antiquiorem eo Simonem eſſe ſtatuerat, idque ex Euſebio, qui *principi hæreticorum*, per quem Simon omnino ſit intelligendus, illam doctrinam tribuit, dederat probatum. Excipiunt illi, apud Euſebium ἀιρεσιάρχην dici, quo nomine tam Valentinus quam Simon venire queat. Verum oſtendit Noſter, e non inſpecto Græco textu hanc objectionem eſſe natam; in Latina enim ſolum verſione *Hæreſiarcha*,

p. 31.

p. 34.

p. 35.

archa, in textu vero Græco τῶν ἀθέων αἱρεσιωτῶν ἀρχηγὸς inve-
nitur. Præterimus hujusmodi alia, quæ de Polycarpo, Juſtino,
de excommunicatione Aſiaticorum a Victore facta, ut & de Ire-
næo obſervarunt. De iis enim adhuc nonnulla dicenda ſunt, quæ
in Seculo III atro carbone notarunt, quibus caput VII Autor im-
pendit. Hic præter ea, quæ pro Evangelio Matthæi a Pantæno
apud Indos invento, & de Tertulliano, Hippolyto itidem & Minutio
attulerunt, prolixos eos imprimis in Origene invenimus. Revocant
p. 43. initio ad examen, quæ de Dialogo contra Marcionitas a Dupinio dicta
fuerant; ſed cum nihil afferant, ad quod ex ipſo ejus textu reſpondere
non liceat, eo lectores ſuos nunc ablegandos ducit. Fit hac occa-
ſione mentio MSi Origenis contra hæreſes, a Mabillonio Itineris Ita-
lici pag. 168. memorati, quod tamen Origenis non eſſe, a viro harum
rerum ſatis perito ſe habere Dupinius ait. Pelagianiſmi quoque ac-
cuſari Origenem, ægre Cenſores noſtri tulerunt; quam tamen dicam
p. 46. juſte ei impingi denuo oſtenditur. Ob Pœnitentiæ diſciplinam, pro-
ut ex Origenis ſcriptis ea fuit explicata, prolixæ controverſiæ Au-
torem involvere nituntur; verum eam prudenter ille declinat, ex-
preſſis Origenis verbis propoſitiones, quas ex illo deduxit, confir-
p. 51. mans. Non multo breviores ſunt in Cypriani rebus examinandis.
Notari hic præcipue merentur, quæ ex Ep. Cypriani 51. de libellati-
cis, poſt perſecutionem Decianam in pœnitentia conſtitutis, ad Ec-
cleſiam ſtatim (id enim ibi notari vult voce *interim*) admittendis, Du-
p. 53. pinius diſputat: item de eo, an durante Decii perſecutione, quod
paradoxum adverſarii ejus defendunt, nemo pœnitentiæ diſciplinam
ſubierit? Subiiſſe omnino, ex Ep. Cypriani 9. 11. 12. 14. 20. 30. &c. ma-
p. 55. nifeſtum Noſtro videtur, qui & Epiſt. 39. Cypriani enarrans, verba ejus
de *unitate Eccleſiæ* & *unitate cathedræ* epiſcopalis in Eccleſia, de cathe-
dra, quæ in unaquaque eccleſia eſt, interpretatus fuerat. Verum
de cathedra Romana illa accipiunt adverſarii, quos male exponere
h. l. Cyprianum e contextu ejus oſtenditur. Duo denique facta, quæ
p. 57. Dupinius, prout res poſtulaverat, expoſuit, ad ſtabiliendam Curiæ
Romanæ autoritatem pertrahere illis nitentibus obſiſtit. Alterum eſt,
quod Baſilides & Martialis Epiſcopatu ſuo exuti ad Romanum Epi-
ſcopum abierint, ejus communionem petentes; alterum ad Marcia-
num Arelatenſem Epiſcopum pertinet, de quo ſcripſerat ad Epiſco-
pum

pum Romanum Cyprianus, ut faceret ei, quod ipſemet facere potuerit, imo & fecerit; hoc enim a Dupinio ita referri ægre ferunt Cenſores, Epiſcopo Romano neſcio quam poteſtatem ſingularem hic a Cypriano tribui putantes. Plura de his, ut & de aliis, quæ circa literas Dionyſii Alexandrini, maxime Hæreticorum baptiſmum ſpectantes, ut & de Lactantio & quibusdam ad Concilia pertinentibus, ultro citroque disputantur, proferre hæremus, ne nimis prolixi Lectoribus videamur veriti, quibus ex hactenus dictis de controverſiis iſtis, quantum a nobis expectare poterant, percipere potuiſſe, plane nobis perſuaſum habemus.

DE LUDIS ORIENTALIBUS LIBRI DUO, AUCTORE THOMA HYDE, S.T.D. Linguæ Arabicæ Profeſſore in Univerſitate Oxonienſi, & Proto-Bibliothecario Bodlejano.

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1694. in 8vo.
Conſtant Alph. 1. pl. 16. & aliquot fig. æn.

NOn male ſucciſivas horas collocavit Reverendus Auctor, quando illas componendæ huic Ludorum Orientalium hiſtoriæ impendit: etenim plurima congeſta in eandem Lector inveniet, quæ prodeſſe non minus atque delectare poterunt. Equidem paulo amplior futurus fuiſſet hic libellus, ſi, quam ille ſimilem in modum conſignavit, Chartiludii, Culilæque, ceu vocat, ac Dimnæ hiſtoria acceſſiſſet, aut ſi tractatum addidiſſet de notis arithmeticis, in quo notarum numeralium originem prodidit, combinandique eas rationem a nemine hactenus traditam commonſtravit, varias quoque Chinenſium, Indorum, Turcarum, & aliarum gentium notas numerales exhibuit. At enimvero cuncta hæc & alia in futuram reſervavit appendicem. Hanc igitur dum expectamus, operam interea præſentem oculo aliquantum attentiore intuebimur. Partibus autem ea duabus abſolvitur, quarum prior *Shahiludium*, quod au-

dit, poſterior Nerdiludium ſeu trunculorum perſequitur. Et altera quidem hæc plures quosdam Arabum, Perſarum, Indorum, Chinenſium, Orientaliumque aliorum ludos, tam politicos quam bellicos, plerumque Europæis inauditos recenſet, expreſſisque, ubi opus, ſchematiſmis videndos concedit. Vocabula, quæ allegat, Orientalia Latine ſtatim Auctor reddit, ne qui iſtarum linguarum peritia imbuti non ſunt, iſtis absque interpretatione relictis a lectione libri deterreantur. Accedamus ergo propius ad hanc ludorum veluti pinacothecam, & quos ille inibi producit, modos contemplemur.

Exorſus videlicet a *Shahiludio*, prolegomenorum in vicem multa diſſerit de ejus natura & excellentia, utpote quod, ſecus atque ludi reliqui, neutiquam a caſu & fortuna, ſed ex peritia & cautela luſorum unice dependeat, ac inſuper perfectam belli ideam referat; unde mirum adeo non ſit, quod omni ævo viri quoque principes & alii quicunque honoratiores amore illius ducti deprehendantur, ejusque uſus hodienum apud plerasque nationes habeatur frequentiſſimus. Iſtud vero imprimis notatu dignum eſt, quod cœcos etiam, & (quod perinde,) coopertos oculisque velatos hoc ludo excelluiſſe, teſtimoniis non unis probat. Enumeratis autem ulterius, quæ cedere in laudem hujus ludi queant, obſervationibus, disquirit: an & quatenus hic ludus ex Orientalium ſententia putetur licitus? Ac uſum certe ejus legitimum neque olim neque nunc prohibitum, nec facile inſuper prohibendum aſſerit. Ipſam dehinc hiſtoriam a nominibus, quibus ille inſigniatur, inchoat, & ejus nullum inveniri ait nomen vere Latinum aut genuinum Græcum, cum veterum Græcorum Latinorumque temporibus inventus nondum cognitusque fuerit; unde nonniſi fruſtra huc trahantur claſſicorum ſcriptorum loca de latrunculis, quæ paſſim a viris doctis huic ludo applicari ſoleant. Originem autem vocis Schach exin derivat, quod inter ludendum apud Orientales frequentius uſurpetur monitorium vocabulum Shah, i. e. Rex, quippe quo Rex, ut ab imminente hoſte ſibi caveat & periculum evitet, excitari ſoleat. Europæos igitur inſuetis auribus hoc audientes, & operoſam gutturalis *h* in fine pronunciationem ægre imitantes, variis idmodis deformaſſe ſcribit, perperam nempe pronunciando Shach vel Schach, idemq; pro vero ludi nomine venditaſſe; præterea

terea gentem unamquamq; id ad ſuam pronunciationem & dialectum proprio quodam modo accommodaſſe. Mox genuina Orientalium nomina ludo huic indita producit atque explicat, & recentiora Græca ſubjungit, qualia ſunt Σαντράζ & Ζατρίκιον, deducta procul dubio a nomine, quo eum Perſæ indigitent, Satrangh, aut, ut ab Arabibus pronuncietur, Shatrangi, quæ vox Mandragoram ſignificet; nec male eam huc quadrare, ob ſculptiles hominum figuras, quas inter ludendum illi adhibuerint. Tacemus autem, quæ de hoc vocabulo mandragoram ſignificante porro inſpergit, omiſſisque nominibus, quæ coacervat, reliquis, ad Shahiludii inventionem properamus. Varias ille opiniones de autore ejus perpendendas ſiſtit, quas heic repetere nil attinet. Id potius referre lubet, quod ludi hocce genus inventum apud Indos, & ab his translatum in Perſidem, indeque in Arabiam deportatum autumet, inventoremque primum faciat aliquem, dictum ab Arabibus Siſſa IbnDâher, Indum, ſed meliori auctoritate dicendum Naſsîr Daher. Occaſionem inventi narrat hanc: Indorum Rex Mây filios duos moriens reliquit, Ghâv & Tálachand. Hi vero de ſucceſſione certantes prælio congreſſi ſunt, eo eventu, ut cæderetur Tálachand. Cum igitur mater amborum ſuperſtes nimis angeretur filii alterius internecione, inventum fuit in memoriam illius belli, & in quoddam iſtius ſolatium hic ludus, quod in eo modum belli filiorum ſuorum videre melancholiæ matris gratum eſſet. E collatis autem inter ſe cunctis narrationum circumſtantiis originem illius in ſeculum a C. N. ſextum rejiciendam arbitratur, quanquam, ſi Hibernorum Chronicis fides adhibenda eſſet, multo veniret adſcendendum altius: e quodam namque MSto locum excerpit, qui, quod circa A. C. 170. hic ludus jamjam innotuerit, oſtendat. Inde ſe ad Tabulam confert, in qua ſolet exerceri Shahiludium, quæ latino-barbare audit ſcaccarium, de cujus materia, quantitate, forma, (æri etiam inciſa,) quantum ſatis, diſſerit. Poſtmodum fruſtula, quorum in hoc ludo uſus, tractanda aſſumit, ſchachorumque ſeu militum luſoriorum nomina variis in linguis obvia examinat. Inter hæc cum elephantis quoque nomen occurrat, prolixe de hoc animali & ejus in bellis miniſterio diſſerit, nec pauca affert de Rucho, habito, ut putat, pro camelo dromate, unde etiam Ruch

in hoc ludo dromas ſit. Figuras ſchachorum, pro gentium varietate & pro diverſo temporum tractu, & ipſas ait extitiſſe varias; genuinas autem antiquiores, & ſecundum ludi hujus inſtitutum primarium, repræſentaſſe ait animalium imagines, quorum ſingula ſeſſores ſuos retulerint, nec non pedites decenter armatos; ceu ex prototypis, quæ ex ebore formata & curioſe elaborata ſe poſſidere dicit, quæque ære itidem curavit exprimi, ad oculum demonſtrat. Quæ de vocabulis luſoriis, de ſitu luſuum, ac ſpeciatim de Shahiludio Chinenſium commentatur, ea allegare nimis longum foret, aſt abbreviata recenſere nimis obſcurum; unde Lectorem ea noſcere deſiderantem ad Auctorem ipſum remittimus, ac ſaltim hoc indicamus, quod, cum in hocce ludo apud Chinenſes uſitato milites ſclopetis & pulvere pyrio inſtructi conſpiciantur, de inventione pulveris pyrii nonnulla in medium afferat. Denique de Shahiludio poemata duo ſat antiqua ſubjicit, quorum alterum tempore Saxonum carmine politico ſive pſeudo-trochaico exaratum in manuſcripto codice Bibliothecæ Bodlejanæ ſimilia alia complectente repererit, alterum e manuſcripto quodam exemplari Saluſtii, quod extet in Bibliotheca Daventrienſi, deſumtum a V. Cl. Jacobo Gronovio acceperit; poſt quæ elenchus auctorum ſequitur, qui libris integris hunc ludum illuſtrare dignati ſunt. Sed cum inter hos nulla Hebræorum mentio occurrat, idcirco eis in ſubſequentibus peculiare ſpatium largitur, librique primi partem ſecundam ex tribus Judæorum de ludo Schachorum ſcriptis componit, quæ inter primum locum occupat R. Abraham Abben-Ezræ Poema rythmicum de ludo Sháh-mât; ſecundum R. Bonſenior Abben-Jachiæ Oratio proſaica de ludo Scaque; tertiumque anonymi liber, titulum, *Deliciæ Regum*, præ ſe ferens. In ſingulis phraſis Biblica pertrahitur ad hunc ludum, eique figurate applicatur. Hebræum autem ſermonem punctis deſtitutum vocalibus invenit Auctor, quamobrem ea ſtudioſe addidit, verſionemque e regione aſſociavit. Prelo inſuper aptaverat notas aliquot in ſcripta hæc Hebraica, nec minus præfationem de carmine Hebraico Arabicoque, & de trium horum auctorum vita ac ſcriptis, ſed ſuas haſce meditationes apud ſe jam retinere coactus eſt, alio tamen tempore edendas.

Liber

Liber ſecundus Nerdiludium ſive trunculorum conſiderat, eaque occaſione alia ſimul populorum, quos ante diximus, ludendi genera illuſtrat, ita quidem, ut in ludis apud Orientales ſolum uſitatis modum ludendi docere ſatagat, ſed in iis, qui & Europæ noti ſunt, eundem non ſemper proſequatur, iſtum ſibi maxime præfigens ſcopum, ut ludorum, quos tractat, rerumque ad eos ſpectantium nomina exponat, artem circa illos criticam exerceat, veterum de iis loca explicet, ſingulorumque originem, inventorem & antiquitatem perſcrutetur. *Nerdsludium* nimirum iſtud ludendi genus eſt, quod tabulæ ludus, Germ. Bretſpiel / dicitur. Et hic non Latinas modo Græcasque & reliquas illius enumerat appellationes, ſed tabulæ etiam luſoriæ materiam formamque delineat; teſſeras dehinc ſeu aleas, trunculos luſorios, qui hodie orbiculi plani, apud antiquiores calculi dicantur, fritillumque & inſtrumenta ei inſervientia cætera commemorat. Nec omittit, quæ de teſſerarum jactibus & luſibus ut dicerentur inſtituti poſtulavit ratio. Agathiæ Scholaſtici epigramma Græcum obſcuriſſimum, quo inter Zenonis Imperatoris recreationes tabularum quoque luſus (in quo ille peſſundatus fuit,) refertur, dilucidat. Arabum Græcorumque varias de Nerdiludii primaria intentione opiniones indagat. Inventionem ejus adeo antiquam ſtatuit, ut & ultra aliquot ſecula ante Chriſtum natum excurrendum ſit originem illius primam ſpectantibus. A Perſis eam profectam ſatis indicare nomen Nerde e lingua Perſica petitum, autorem vero non incongrue fortaſſis dici Artaxerxem Longimanum, qui annis circiter quingentis ante Chriſtum natum obierit; quamvis nihil heic ſe definire velle aſſerat. A Perſarum Nerdiludio diverſum eſſe monſtrat Nerdiludium Chinenſium, cujus exercitium teſſeris & paxillis erectis perficiatur. Ad Nerdiludium propius accedere Indorum *Tchupur*, atque hujus rationes ex Indo quodam diſcere ſe voluiſſe Auctor narrat, ſed non ſatis commode hunc eas monſtrare valuiſſe fatetur; hinc pauca de eodem diſſerit, ulteriorem inquiſitionem mercatoribus in Indiam navigantibus relinquens. Prolixior eſt in deſcribendo magnatum Chinenſium ludo, qui Sinice *Shin quon tu*, i. e. promotionis Mandarinorum, (ita nempe audiunt omnis generis officiarii) tabula nuncupetur, in qua fere totius regni Chinenſis officia

cia & dignitates ludicro modo repræſentantur ac nominatim recenſentur. Ejus rationem in ampliſſimo ſchemate Noſter exhibet, ac deinceps fuſiori Commentario explicat. Sequitur paulo poſt exactior *alea* hiſtoria, cum disquiſitione: utrum Palamedes πεττείαν & κυβείαν invenerit? quam ita terminat, ut prioris quidem, ſed neutiquam poſterioris auctorem ipſum dici poſſe, huncque hodie incertum eſſe, ſtatuat. Judicia de luſu aleæ, licitone an illicito? qui pro utraque parte collecta intueri exoptat, is ſane vacuus ab Auctore noſtro minime dimittetur. Et ad modum hactenus recenſitum *Talorum* itidem, *Damiludii*, ſub latrunculorum etiam nomine propoſiti, *Triodiique* hiſtoriam pandit. Ut taceamus, quæ congerit de *circumveniendi ludo* Chinenſium, de *ludo ovorum*, de *nuciludio*, deque aliis, quorum vel triginta adhuc in medium adducit ſpecies. Sub finem, rurſus Scriptores haud paucos allegat, qui vel de quibusdam ex hactenus recenſitis ludis, vel de aliis ejusmodi, tractatus ſingulares concinnarunt, ac inter hos libri quoque de ludis puerilibus Græcorum meminit, quem Suidas, Tzetzes, Serviusque Suetonio attribuant.

Cæterum quia poſt præfationem & elenchum contentorum libri primi, vacuum reſtabat folium, non inutili quadam obſervatione id complevit Auctor, quæ licet ad præſens inſtitutum nihil conferat, a nobis tamen ſilentio prætereunda haud videtur. Concernit ea originem nominis *Oxford*, cujus nugatoriam & fabuloſam interpretationem (prout ignaris ſonare videatur,) per *boum vadum* ex prava vulgi pronunciatione natam perhibet. Cum enim in Oxonio præcipuæ olim notæ fuerit caſtellum ſeu fortalitium ad Iſidem fluvium vulgo *Ouſe*, ipſum illud una cum urbe antiquitus nominatum Ouſefort, quod vulgari incuria Normannorum tempore degeneraverit in Oxfort, & poſtmodum, ſumta minus recte voce *ford*, (quæ ſimpliciter poſita in communi uſu ſit vadum, in compoſitionibus autem veniat pro *fort*, i. e. caſtellum) boum illud vadum introduxerit.

JULII CÆSARIS PORTUS ICCIUS ILLUSTRATUS.
Sive:

1.) Gui-

1. Gulielmi Somneri *ad Chiffletii librum de Portu Iccio reſponſio, nunc primum ex MS. edita.* 2. Caroli Du Fresne *Diſſertatio de Portu Iccio. Tractatum utrumque Latine vertit, & nova Diſſertatione auxit Edmundus Gibſon.*

Oxonii, e theatro Sheldoniano, A. 1694. in 8.
Conſtat plagulis undecim.

Controverſia ſatis vexata inter Eruditos eſt de portu illo, quem Julius Cæſar ſuo inde in Britanniam trajectu celeberrimum effecit, quique paſſim Icius & Itius Ictiusque, at uſitatius tamen portus Iccius appellari conſuevit. Ubi enim de genuino illius ſitu orta fuit quæſtio, reperti ſunt, qui Caleti; reperti, qui Vitſandi, Porteti etiam, aut Stapulis, Brugis, Sluyſæ, aut ad fanum S. Audomari, alibique iſtum collocarunt. Verſatiſſimus, in re præſertim Geographica, Philippus Cluverius, Bononiæ eum ſtatuit. Hunc tamen ſibi poſtea impugnandum ſumſit Joannes Jacobus Chiffletius, edito tractatu, quem *Portum Iccium Julii Cæſaris* inſcripſit, demonſtrare potius conatus, quod ille nullus fuerit alius, præterquam ſitus Dunkirkam inter Gravelingamque portus, quem Mardicum vulgo nuncupant. Enimvero defendendum contra in ſe ſuſcepit Cluverium æſtimatiſſimus quondam apud Cantuarienſes Gulielmus Somnerus, concepto eum in finem libello ad Chiffletianas paginas ita adornato, ut octo, quibus penſum ſuum hic abſolvit, capitibus totidem ſectiones oppoſuerit, ac in iis, quam male ſuum is, quod dicat, Mardiccium ad iſtum Cæſaris portum trahere laboret, prolixe declararit. Viciſſim vero ſub finem oſtendit, bene ſe habere omnia, ſi Geſſoriacum, ſeu hodiernam Bononiam, pro veteri portu Iccio venditemus. Interim ex ſententiis ſupra allegatis iſtam, quæ Vitſandum ſeu Witſandum, oppidum Comitatus Bononienſis in littore maris inter Bononiam Caletumque poſitum pro hoc portu agnoſcit, fuſius aliquantum aſſerere dignatus eſt Cl. Vir, Carolus du Freſne, qui ſuas hac de lite obſervationes editis abs ſe grandioribus de vita S. Ludovici commentariis inſeruit. Occupatur autem is potiſſimum in eo, ut illos, qui pro Geſſoriaco, ſeu, quam eandem eſſe cum Somnero aſſeruimus, Bononia decertent, redarguat, teſtimoniiſque plurimis probatum det, Vitſandum pro illo loco habendum venire, unde ſingulis ætatibus e

Gallia in Angliam navigantes ſolverint, & in quem ex Anglia in Galliam remeantes appulerint. Utriusque ergo, Somneri puta & Du Freſnii, tractatus heic ſiſtuntur, & ille quidem ex manuſcripto a Decano Capituloque Cantuarienſi per Henricum Whartonum obtento primum editus, hic ex magno, quem modo diximus, Commentario decerptus, hic etiam ex Gallico, ille vero ex Anglico ſermone in Latinum translatus a doctiſſimo Edmundo Gibſono, cujus induſtriam hactenus non ſemel in his Actis noſtris commendavimus, celebraturi eam & inpoſterum, ſi, quod ſe facturum in Diſſertatione præliminari libellis his duobus præmiſſa eſt pollicitus, celeberrimi illius Angli, Henrici Spelmanni, Vitam una cum aliquibus ejusdem ſcriptis nondum hactenus vulgatis ediderit. Hac vice unice intenti operæ, quam his Duum-Viris navavit, memorandæ Lectorem latere nolumus, quod poſt derivatam Iccii portus a veteri vocabulo Saxonico Wic aut Wics, quod caſtellum, vicum, ſinum innuere obſervat, denominationem, ea ex ipſo Julio Cæſare adducat κριτήρια, quæ in portu Iccii nomen ſibi vindicante omnino reperiri debeant, atque juxta horum normam Somneri pro Bononia ſententiam tot tantisque, ac illam alteram, quæ Vitſandum ſubſtituat, difficultatibus nequaquam laborare exiſtimet.

LA VIE D' OLIVIER CROMWEL.

i. e.

Vita Oliverii Cromwelli, *a* GREGORIO LETI *Italico ſermone conſcripta, nunc in Gallicum translata.*

AMSTELODAMI apud Antonium Schelte, 1694. 12. Alph. 2.

NOn tacebit ulla ætas Oliverium Cromwellium, Angliæ iſtum Protectorem celeberrimum, Tyrannorum omnium, quotquot orbis unquam vidit, longe feliciſſimum, ſi modo in improbos felicitas cadit. Et certe occupavit vita ejus jam plurium calamos quibus dubiam tamen reddere palmam annititur non ſemel nobis commemoratus Gregorius Leti. Hujus ergo dum nunc ſiſtimus de Cromwelli vita commentationem, facere non poſſumus, quin nonnulla, quæ memoratu digniora viſa ſunt, paucis delibemus.

Cromwelliam gentem eidem oppido, videlicet Ipſvick, ſuam debere originem, quod & Thomam Volſæum Cardinalem, incon-

ſtantis

ſtantis fortunæ haud ignotum exemplum, dedit, non omnibus forte obſervatum eſt. Sed & ejuſdem Volſæi ope, Thomas Cromwell, qui ad aliquem honoris gradum ſuam gentem evexit, in lucem protractus, Regique Henrico VIII. conciliatus eſt. Thomæ hujus ex ſorore nepos fuit Richardus Williams, qui in gratiam avunculi Cromwellius appellitari voluit, & ex Martha d'Ashby illuſtri fœmina Robertum ſuſcepit, atq; hic filium reliquit Robertum, Oliverii Protectoris patrem. Hinc ergo illorum commentum refellit Noſter, qui Oliverii Cromwellii patrem cereviſiæ coctorem fuiſſe tradiderunt. Ut vero ſummorum virorum magnitudinem quibusdã præſagiis & ominibus præſignificari nonnulli ſibi perſuadent, ita forte non ingrata iis, qui minutias curant, ea erunt, quæ Leti noſter hic de Cromwellio congeſſit. Obſervat, eodem die, forte & eadem hora natum eſſe Cromwellium, qua mortalium ſedes deſeruit Eliſabetha: nimirum ita occidente demum feliciori iſto, quod Britanniæ affulſerat, ſidere, malignum aſtrum oriri oportebat. Qui vero ex ſiderum poſitu collegit, Cromwellium magnum Eccleſiæ columen fore, haud dubie aut ſuam imperitiam, aut artis vanitatem prodidit; niſi feſelliſſe hic ſidera dicat, ut documentum præberent, eo tempore natum toti fere orbi ficta virtutis & pietatis ſpecie impoſiturum. Iſtud vero præcipue memoratu dignum Autor exiſtimat, quod a Comite d'Angleſey, cui multum ſe debere lubens non ſemel profitetur, ſe accepiſſe perhibet: quod Cromwellius adhucdum teneræ ætatis puer ex pluribus, quos manu tenebat nummis, illum, qui Caroli I. Regis imaginem referebat, cæteris ſervatis, in ignem projecerit: imo quoties deinceps hujus Principis imaginem vidit, temperare ſibi non potuerit, quin aut dilaceraret illam, aut Vulcano traderet. Cum vero divina plane in eo ſe indoles proderet, multosque in admirationem raperet, præſertim eo in Oxonienſi Academia literarum ſacris ſumma induſtria operante, fuerunt ſubinde clariſſimi viri, qui futurorum augurium inde caperent, ſed non omnes eodem ſucceſſu. Committendum nobis plane non eſt, ut de Uſſerio, Viro celeberrimo, quæ refert, hic prætermittamus. Nimirum cum omnes attoniti Cromwellium ob ingenii præſtantiam mirarentur, & Eccleſiæ ac Reipublicæ neſcio quam felicitatem ab eo pollicerentur, Uſſerius contra viſo Cromwellio, auditaque ejus de rebus quibusdam ſacris ſententia, ab

hoc quidem juvene ingens malum Reipublicæ imminere, ſubmiſſa voce ad adſtantes dixit. Cromwellius de hoc magni Præſulis judicio certior factus, ore ad omnem modeſtiam compoſito, gratias ago, inquit, præpotenti Numini, quod per huncce Præſulem me docuerit, quam omnino mihi nihil tribuere debeam, ſi a virtutis deflectere tramite velim. Aſt dolorem iramque, in quam erga Uſſerium exarſerat, alto pectore preſſit, donec cum exercitu Hiberniam ingreſſus, Uſſerioque hoc præſagium in memoriam revocans, omnem furorem in optimum innocentiſſimumque Præſulem impune effunderet. Hinc vero, quam callide modeſtiam cæteraſque virtutes præ ſe ferre, quam profunde diſſimulare odium potuerit, utpote luculentiſſimo monumento, Noſter evincit. Quod vero porro addit, argumento forte fuerit, in claris viris fortuitos caſus ſæpius in futurorum omina rapi, quodque Gallico interpreti ejusmodi videtur, quo comprobari poſſit, multa ab Auctore commemorari, quæ alibi fruſtra quæſiveris. Nimirum cum ſæpius in Academia Oxonienſi publica eloquentiæ, quæ inſignis utique & excellentiſſima fuit, ſpecimina ederet Cromwellius, Regem aut Stuarticam gentem raro admodum laudabat, a voce Monarchæ aut Monarchiæ autem, quoties de Rege aut regno verba faciebat, ſumma cum diligentia ſe abſtinere videbatur; quod rurſus eo multi interpretabantur, ac ſi iniquo prorſus animo in eum adminiſtrandi civitatem modum fuerit, in quo penes unum rerum ſumma eſt. Cæterum poſtquam per omnes artes ac ſcientias animum diſcendi avidum circumtuliſſet, tantam ingenii & indolis exiſtimationem conſecutus eſt, ut ſoli Cromwellio nihil arduum, nihil impervium crederetur. Hinc Londinum delatus, ut corpus exercitationibus variis erudiret, ut hactenus mentem erudiverat, Regi Jacobo mirifice ſe probat, ejusque juſſu Doctoris honore ac titulo ornatur ab Academia Cantabrigienſi. Jacobi obitus eum valde afflixit, ſpem honores magnos conſequendi una intercidiſſe ratum. A Carolo autem ſtatim alieniori animo eſſe viſus eſt, cujus & cum Henrica conjugium adeo non probavit, ut neſcio, quod malum ex eo regno imminere auguraretur. Caſtra ergo ſequi ſecum conſtituit, fortunam armato forte propitiam fore credens, benigneque a Bukinghamiæ Duce, juſſu Regis Rupellenſibus auxilium laturo, receptus, fortitudinis ſingularis luculentiſſima documenta dedit: aſt morbo correptus, Londinum rediit. Recupe-

rata

rata ſanitate, cum Legato Angliæ Galliam petit, Pariſiiſque, quæ ad animi pariter ac corporis culturam faciebant, ſtrenue proſequitur, omnes eruditos mirifice ſibi devincit, ipſique Richelio Cardinali ſe ita probat, ut præclare admodum de eo ſentiret. Dixerat inter alia Cromwellius, ruere nunc in Britannia in pejus literarum ſtudia, eo quod mortuo Jacobo Mæcenate deſtituerentur Muſæ: ſed Richelius, tum demum, inquit, hoc credidiſſem, niſi tu mihi innotuiſſes. Præcipue vero cum Reformatæ Eccleſiæ, quæ tum in Gallia erat, Miniſtris non ſemel de rebus ſacris ſermones inſtituebat, eo quidem eventu, ut ingenium & doctrinam Cromwellii communem hominum excedere ſortem, omnes faterentur. In Angliam redux, de Mariæ Mediceæ Cardinaliſque Richelii litibus, libellum compoſuit, utriusque artes inſigniores referentem, ſed ſimul, quam funeſta regnis ſint Principum cum exteris fœminis matrimonia, edocentem. Et in hoc quidem caput & fontem prudentiæ ſuæ civilis ſe paucis complexum eſſe, ad amicos dicere ſolebat. Interim a matre ad ineundum matrimonium ſollicitatur, & vix multis precibus adducitur. Obſtabat nimirum ambitio. Etenim magnam animo conceperat ſpem, munus dignitatemque ſacram obtinendi: nec vero eum latebat, & facilius hanc obtineri ab illis, qui in cœlibatu vivunt, eosdem etiam apud omnes in majori eſſe veneratione. Sed tandem ſe expugnari paſſus eſt, forte, ne libidini denuo ſuccumbens, ut Pariſiis ei contigerat, in vitæ minus caſte actæ ſuſpicionem adductus, ſpe omni excideret. Quæ hic & alibi ſubinde de uxore Cromwellii ejusque indole & moribus, genio Cromwelliano plane attemperatis, Auctor diſſerit, vel ideo non negligenda eſſe ipſe autumat, quod & ipſa, ambitionis œſtro percita, ſimulatione & ficta pietate itidem ad honores & ſublimiorem fortunam, ad quam evectus Cromwellius fuit, ei muniverit viam: prolixiora tamen ſunt, quam ut hic commemorari poſſint. Cæterum hæc ipſa, præter corporis pulchritudinem & ingenium præſtantiſſimum, exiguum dotis ad Cromwellium attulit. Hinc ambitio rurſus in omnem eum verſabat partem, cum hinc nullo hactenus muneri ſe admotum, illinc re anguſta domi ſe eo magis premi, quo fœcundiorem nactus erat fœminam, videret. Mœrorem ergo ex hac fortunæ, ut putabat, iniquitate ortum diſcuſſurus, in legendis libris, ſtudiiſque variis tractandis animum occupat. Incidit autem inter alia in hiſtoriam Henrici IV Galliarum

Regis a Baptiſta Legrain conſcriptam, quam adeo ſibi ad palatum eſſe deprehendit, ut eandem in vernaculam linguam transferre inciperet: ſed mox, incertum qua de cauſa, ab opere deſtitit. Interim huncce Regem tanti fecit, ut omnia ejus facinora bellica in numerato haberet, ſæpiusque tantum Regem tam enormibus criminibus ſe obſtrinxiſſe, conquereretur. Nec minus plurimi fecit M. Antonium de Dominis, Præſulem illum longe doctiſſimum, ita ut itidem ejus vitam mandare literis ſuſciperet; aſt luci tamen eam non expoſuit: quæ vero de moribus Spalatini hujus Archiepiſcopi circumferuntur annotatio-
Lib. IV. nes, an Cromwellii ſint, Noſter dubitat. Tandē vero benigniorem faciem erga Cromwelliū induere videbatur fortuna. Innotuit quippe Guilielmo Lincolnienſi Epiſcopo, gratia Regis cumprimis ea ætate florenti. Nunc ergo viam ad Eccleſiaſticum munus, aut aliam dignitatem ſibi apertam credens, ut hunc Præſulem ſibi devinciret, pietatisque inſimul ſibi conciliaret opinionem, nihil fecit reliqui. Ut vero ad omnem fortunam paratus eſſet, altera vice militatum in Belgium abiit. Sed cum varia obſtarent, quo minus ſtatim voti damnaretur, ſuismet ipſe ſumptibus militis explere partes glorioſum ducens, interim haud vulgaris fortitudinis documentum omnibus præbuit. Aſt ſub Bergenſis Comitis ſignis militare diſerte renuit, adeo ſe perduellionis crimen exccrari aſſerens, ut neutiquam id a ſe impetrare poſſit. Aſt priusquam in campum educerentur copiæ, per hyemem Lugduni commoratus, doctorumque hominum commerciis delectatus, omnium animos mirifice ſibi conciliavit, & id demum obtinuit, ut Theologus miles communi conſenſu appellitaretur. Domum redux cum familia Londinum commigrat, ibique fortunarum ſuarum figit ſedem, Lincolnienſi Præſuli plane addictus, & omnem occaſionem in ejus gratiam magis magisque irrependi captans. Ut vero jam pridem egregii Theologi & fortiſſimi militis, ita nunc prudentiſſimi aulici famam ſibi paravit. Hinc deliteſcere amplius non potuit, quin protraheretur in lucem, rebusque gravioribus tractandis admoveretur. Faceſſebat Regi multum negotii Liturgia iſta Scotica, funeſtiſſimi belli fomes; hanc examinare Lincolnienſis Præſul cum aliis juſſus, Cromwellio munus literis mandandi, quicquid hac de re tractaretur, dedit. Eluxit & hic ſumma ejus indoles, ita ut mox in Scotiam ad litem hanc finiendam a Rege miſſus, novum ad ſublimiorem fortunam ſibi gradum ſtrueret. Sed propius
quam

quam putabat, ea ætate aberat a ruina. Lincolnienſis quippe Præſul ad Archiepiſcopatum Eboracenſem evectus, & gratia Regis, ſuaque auctoritate fretus, lites, quæ jam pridem inter Cantuarienſes & Eboracenſes Præſules interceſſerant, reſuſcitavit. Guilielmus Laudus Cantuarienſis Archiepiſcopus, eruditione & moribus integris clariſſimus, non minori contentione ſuam tuebatur cauſam, atque ut ſuperior evaderet, Cromwellium ſtrenuum Eboracenſis Præſulis propugnatorem, perdendum ſibi ſumpſit, Regique indicavit, favere huncce hominem Puritanis Regi exoſis. Sine mora ergo Cromwellius aula excedere juſſus, & favorem Regis & omnem ſpem ad honores magnos enitendi amiſit, ſimul vero in tantum erga Regem & Cantuarienſem Præſulem odio exarſit, ut non niſi utriusque ſanguine illud expiari potuerit. Et initio quidem per varia ſcripta, Regis & Guilielmi Laudi mores acerbe perſtringentia, omnem furorem effudit: mox turbato Angliæ ſtatu, & Parliamento contra Regem inſurgente, militiæ nomen dedit, & cum undecim audaciſſimis viris, per medios hoſtes, Hullum urbem a Regis copiis obſeſſam ingreſſus, omnium animos oculosque in ſe convertit. Erat ſane Cromwellio intrepidus animus, ingenium verſatile, indoles ſumma, & ambitione inſuper ad quidvis audendum concitabatur. Hinc autoritas ejus indies majora capiebat incrementa, donec tandem ſuprema bellicarum rerum adminiſtratio a Parlamento ei committeretur. Nec vero hic ſubſtitit ambitio hominis: quin, incredibile dictu, Rege ipſo per inexpiabile ſcelus cæſo, ſummam rerum ad ſe rapuit, ita ut ad poteſtatem regiam, præter nomen, nihil ei deeſſet. Sed hæc cum neminem fugiant, prolixius ea ex Autore commemorare merito ſuperſedemus. Nec vero quibus artibus, ut ad iſtud fortunæ faſtigium eniteretur, uſus ſit; quam habuerit, poſtquam regnum adeptus erat, fortunam ad extremum vitæ halitum ſibi faventem; quanta ejus fuerit ſimulatio, pluribus exponere non attinet, cum id perinde eſſet, ac res omnibus notas ſine neceſſitate referre. Saltem unum adhuc alterumve, quæ ut ſingularia Auctor obſervaſſe viſus eſt, attingemus. Quæ de Cromwellii cum Lamberti uxore adulteriis tradidit, omnes docebunt, nullum crimen tam nefandum eſſe, a quo pietas cum abſtinere potuerit; ſimul vero & prudentiſſimos, dum fœminis fidunt, turpiter falli, exinde conſtabit. Namque Cromwellius, dum aliorum arcana per huncce reſciſcere annititur,

Libr. V. & ſeqq.

Lib. VI. p. 359.

nititur, proditur ipſe Hollandiæ Comiti, parumque abfuit, ut ita datus fuerit præceps. Rerum ſummam tenens, non tantum in Anglia omnes ſibi obnoxios habuit, ſed & plerique Europæ Principes ejus ambiere amicitiam. Solus Moſcovitarum Imperator a ſe impetrare non potuit, ut ſceleſtiſſimũ parricidam pro legitimo Principe haberet. Hinc Legatos Cromwellii adeo non admittere voluit, ut vix fines Moſcoviæ ingreſſos, variis contumeliarum generibus affectos, excedere regno juſſerit. Contra Julius Mazarinus Cardinalis fœdera cum eo inire, colere amicitiam, nullus dubitavit. Quin connubiali fœdere Mazarinianam gentem cum Cromwellia jungere in animum induxit, utique in hac re voluit ope Chriſtinæ Reginæ Sueciæ Galliam ea ætate perluſtrantis. Hanc nimirum præcipuam rationem, quare Chriſtina, miſſo ad Cromwellium, qui ſibi a literis ſecretioribus erat, propenſum ſuum in eum animum declaraverit, Auctor aſſerit. Sperabat enim fore, ut a Cromwellio hiſce blanditiis delinito, in Angliam invitaretur. Aſt hac quidem ſpe excidit. Cromwellius enim verba verbis reddidit, in omnibus ita ſe gerens, ac ſi quid Regina ſibi vellet, plane non intelligeret. Nec iſtud prætermittendum, quod de Judæornm ad Cromwellium Legatione Auctor prolixe commemorat. Hi quippe in Aſia fama rerum a Cromwellio geſtarum commoti, in eam ingreſſi ſunt opinionem, hunc forte illum Ebrææ gentis liberatorem atque Meſſiam eſſe, quem tanto hactenus deſiderio expectarant. Miſerunt itaque celeberrimum Doctorem Jacobum Ben Azahel, qui per Bohemiam & deinceps Belgium iter faciens, Davidem Ben Eleazar & Manaſſem Ben Iſrael comites ſibi ſumpſit, ad Cromwellium, ſpecietenus quidem, ut de commerciis nonnulla proponeret, aſt revera, ut, poſſitne Meſſiæ nomen gloriamque ſuſtinere, diſpiceret. Benigne a Cromwellio recipiuntur, magno gaudio perfuſo, quod in Aſiam nominis ſui fama penetraſſet, & adeo omnia illis indulgente, ut manuſcriptos etiam libros, quos undiq; conquirebant, ex Bibliotheca Academiæ Oxonienſis & Cantabrigienſis illis promitteret; aſt dum incautius in gentem & originem Cromwellii inquirunt, rumor percrebuit, credere Judæos, Angliæ Protectorem ex ſua gente prodiiſſe: hinc dum multis irridendi & acerbe perſtringendi Cromwellium occaſio naſceretur, re irrita regno excedere juſſi ſunt. Sed cætera mittimus, id ſaltem monentes, Auctorem ſæpius quædam referre, quæ nonniſi oretenus ab aliis accepit, (quod nec ipſe diffitetur) cauteque adeo legenda erunt.

***

Lib. VII. p. 425.

Lib. VII. p. 446.

Lib. VII. p. 411.

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. II. Sect. XI.

HISTORIE CHRONOLOGICHE DELL' ORIGINE DEGL' ORdini Militari e di tutte le Religioni Cavallereſche. Opera dell' Abbate BERNARDO GIVSTINIAN.

Id eſt:

Hiſtoriæ Chronologicæ de Originibus Ordinum Equeſtrium tam Secularium quam Religioſorum, autore Abbate BERNARDO JUSTINIANO.

Venetiis apud *Combi & là Noù*, 1692. in fol.

Alph. 9. plag. 15.

QUi operam ſuam illuſtribus argumentis cum cura pertractandis impendunt, eo majorem laudem promereri cenſendi ſunt, quo major eſt copia difficultatum, quæ vel ex ſcriptorum in diverſa euntium ſententiis, vel ex obſcuritate dicendorum oriri ſolent, ſuperandarum. Itaque qui dignum & ingenio ſuo, & familiæ, ex qua natus eſt, apud Venetos dudum pacis belliq; artibus illuſtriſſimæ honore opus in ſe ſuſcepit, BERNARDUS JUSTINIANUS *S. Leonardi Abbas*, *Comes*, *Eques magnæ crucis*, nunc tandem id exſequutus eſt, quod ante ipſum nemo. Equidem jam ante hæc quatuor luſtra (velut ex Præfatione ad Lectorem patet, atq; porro teſtimoniis Diarii Eruditorum Veneti XIII. A. 1672. p.97, & Diarii Eruditorum ab Abbate *Franciſco Nazari* Romæ publici juris facti A. 1673. p. 155, tum *Gregorii Leti* in Italia Regnante P. IV. p. 186, qui & Autoris Hiſtoriam Hiſpaniæ A. 1674. Italico idiomate editam l.c. laudat, ac denique Thomæ Bartholini Act. Medic. Hafn. Vol. VI. p.66. confirmatur,) non dedit ille ſolum in lucem Ideam, quam in præfatione

 ne

loribus diſtincta, a quibusdam etiam figuris & imaginibus exornata. Ornatum vero & habitum integrum Sodalium della Calza, ex *Caſaris Vecellii* Opere de omnium Nationum Habitibus A. 1589 edito ita deſcribit: *Variis extitere temporibus Tibiales Sodalitates, ſed poſtremo ornatus magna fuit impenſa. In interiore cuculli oblongi cuneatique parte phrygiata propria cujusque ſymbola ſpectabantur. Conſocii rubrum vel nigrum pileolum oblique ad aurem inciſum capite geſtabant. Capillos prolixos, ſpiſſos, ſericaque aſtrictos faſciola accurate curabant. Thoraces erant vel bombicini, vel holoſerici, vel auro contexti, quorum manicæ in quibusdam in circuitu ſciſſuris, per quas aliquantiſper ſubucula prominebat, ligulis auro armatis erant aſtricti. Tibialia variis erant coloribus compacta; quorum alterum ad dimidiam uſque copioſe abundeque gemmis erat exornatum.* Ordinem Sodalium *Sempiternorum* A. 1541 inſtitutum ad Sodales della Calza pertinere, prolixe deinceps demonſtrat, adductis ejus legibus tabulisque publicis, paulo poſt tamen rurſus extinctum. Symbolum Equitum *della Calza* ait ſe deprehendiſſe tandem, non una licet ratione a pictoribus delineatum, ſiquidem quibusdam Equitibus addita fuerit Pallas, aves aliis, & aliis quadrupedes beſtiæ, nulla tamen inſcriptione notatum; uni vero adpictam Siren innatantem mari, cum epigraphe: *Con tempo.* Denique de pallio variis coloribus, atque de enſe gemmis auroque interſtincto, tunc de pompa eorum, ſi quam res poſceret, actibusve ſolennibus in Republica prolixe commentatur, & de *Equitibus ſtolæ aureæ* agere pergit. Hos inquit pluralitate ſuffragiorum a Senatoribus Reipublicæ ex Patriciis & de illa bene meritis Viris creari, & veſte uti holoſerica latis ac patentibus manicis, ſtatis autem temporibus aurea ſtola, quæ ſeſquipalmæ latitudinem exæquet, & ex utraque parte uſque ad genua promineat, ſupra humerum ſiniſtrum exornari; Tibialibus vero & baxis indui rubri coloris; veſtes item, quibus amiciantur per hyemem, pellibus albi muris, Scythiæ muſtelæ (Hermelin) lyncis, aliorumque magni pretii animalium citima parte muniri. Hunc iſtorum habitum A. 1631 d. 15 Martii autoritate publica, cum veſtium ratio civibus certa promulgaretur, fuiſſe circumſcriptum, & hujus Ordinis, quod notari meretur, dignitate, gentium Juſtinianeæ, Contarenæ, & Quirinæ primogenitos ipſo natalium jure ex antiquo privilegio gaudere refert Autor.

Margin notes: p. 116. — p. 110. — p. 111. — p. 15. — p. 116. — p. 117. — p. 118. — p. 119. — p. 120. — p. 119. — p. 120. 121. — p. 122.

p. 123. Ordinis Equeſtris, qui *di San Marco, di Collana ò Medaglia* conſuevit appellari, origo non æque patet, tametſi judice Noſtro, probabile ſit, eum cum ipſius Reipublicæ Principatu cœpiſſe. Solet autem Senatus hunc honorem tantum eo dignis conferre, ita tamen ut abs Principe conſcriptisque Patribus petatur. Nullo vero illi alio habitu,
Tab. IX. quam torque & metallione, ſive numo memoriali, cui impreſſus eſt
Fig. 1. Leo alatus cum nimbo, ab aliis Equitibus diſtinguuntur. Eſt ſiquidem iſte Leo S. Marci Evangeliſtæ, quem in Numinis tutelaris vicem colit Reſpublica Venetorum, ſymbolum, pede uno tenens librum aper-
p. 124. ſſ. tum, cui inſcripta leguntur hæc verba: PAX TIBI MARCE EVANGELISTA MEVS. Agit tum hac occaſione Autor de iſthoc ſymbolo amplius, ejusque originem refert ad cap. 1. Prophetæ Ezechielis, tametſi Leonis & ſitus & forma reliqua paululum jam ſecus repræſentetur, quam a Propheta deſcribitur; quandoquidem & humi procumbit interdum (*in maeſta*) & ſæpe etiam gradiens (*andante*) in tabulis ſta-
p. 125. tuisque publicis exhiberi ſolet; id quod porro ex monetis Reipublicæ antiquioribus modernisque, & ſigillis, (quorum tria obſervat tempora, quando videlicet Princeps throno inſidet, quando a morte ejus ille va-
p. 126. cat, & quando demum Princeps cum exercitu abeſt ab urbe) tum ex lapidibus monumentisque probat, ac ſimul oſtendit inde, ſæpiuscule ſine libro leonem, & absque etiam nimbo reperiri. Neque vero eundem etiam ſemper ait eſſe inſignium colorem, ſed leonem alatum aureum quandoque in campo cæruleo, & hoc interdum ſtellis aureis interſtincto exhiberi; quemadmodum etiam vexilla & ſigna Reipublicæ eundem colorem non ſemper præ ſe ferant, ſed belli potiſſimum tempore leonis iſta figura in illis conſpiciatur in campo rubro, eoque quaſi ſanguinis pro patria profundendi edendarumque inter hoſtes ſtragium indice, poſita ſimul in pedem dextrum aurea cruce cum epigraphe: *in hoc ſigno vinces*. Hi vero S. Marci Equites ut nobili proſapia ſint orti, opus non eſſe monet, modo alia ratione bene de Republica fue-
p. 127. a.b. rint meriti, crearique eos abs Principe loco publico, verbis iſtis, poſtquam gladio accinguntur: *Eſto miles fidelis*.

Gaudet autem Dux Reipublicæ Venetæ peculiares nomine ſuo Equites, *Cavalieri del Doge ò Prencipe di Venezia* dictos, creandi privilegio, quod privatim tamen in domo ejus ac non æque in loco ſolenni fieri affirmat Autor. Inſigne, quo illi utuntur, eſt Crux extremitatibus

cunctis

cunctis bifurcatis, cæruleo encauſto & auro ad marginem incruſtata, in cujus medio circellus imaginem Leonis ſupra deſcripti refert. TAB. IX. Fig. 2. p. 128.

Equitum Ordinis S. Marci Magiſtros ab anno 737 uſque ad annum 1688, CXII fuiſſe, oſtendit tabula chronologica, ut adeo, qui nunc Reipublicæ Dux præeſt, Sereniſsimus Sylveſter Valerius, centeſi-



ſanguine hic exhibemus. Ubi monet, Domum Ottomannicam nonniſi Fig. 4.

 poſt

p. 123. Ordinis Equeſtris, qui *di San Marco, di Collana ò Medaglia* conſuevit appellari, origo non æque patet, tametſi judice Noſtro, probabile ſit, eum cum ipſius Reipublicæ Principatu cœpiſſe. Solet autem Senatus hunc honorem tantum eo dignis conferre, ita tamen ut abs [illegible]

[illegible]

fieri affirmat Autor. Inſigne, quo illi utuntur, eſt [illegible]

cunctis

cunctis bifurcatis, cæruleo encauſto & auro ad marginem incruſtata, in cujusmedio circellus imaginem Leonis ſupra deſcripti refert. TAB. IX. Fig. 2.

Equitum Ordinis S. Marci Magiſtros ab anno 737 uſque ad annum 1688, CXII fuiſſe, oſtendit tabula chronologica, ut adeo, qui nunc Reipublicæ Dux præeſt, Sereniſſimus Sylveſter Valerius, centeſimi decimi tertii vices ſuſtineat. Ex hac vero Magiſtrorum ſerie ſimul patet, quot ab initiis propemodum ſuis Duces habuerit ea Reſpublica. p. 128.

Cum autem inſula regnumque Cypri, antequam in Turcarum veniret poteſtatem, quod factum eſſe conſtat anno 1572, adhuc Venetorum Reipublicæ ſubeſſet, Ordo in eo Regius Equitum Silentii (*Cavalieri dell' Ordine Reale di Cipro detto del Silentio*) floruit, cujus originem ad Principes iſtius inſulæ ex gente Luſignana, tametſi aliter ſentiant quidam, autoritate aliorum refert Autor, ejusque inſigne inquit eſſe torquem aureum gemmis & figuris aliquot tortuoſis literæ S intertextum, a quo deorſum dependeat gladius, faſcia in formam literæ S circumvolutus, cui inſcripta ſint hæc verba: *pro fide ſervanda*. Silentium vero eſſe Equitibus in negotiis pro Regno ſuſceptis literæ S ſigno injunctum, & gladium appenſum vel in peccantes animadverſionem ſeveram comminari, vel argumentum eſſe religionis & legum ſanguine & animo forti vindicandarum. Hujus Ordinis ab anno Chriſti 1195 usque ad 1688 LII recenſentur Magiſtri, qua dignitate Duces Reipublicæ præ cæteris gaudent. P. II. p. 536. p. 537. 539. 546. TAB. IX. Fig. 3. p. 539. p. 547. 548. 549.

Qua vero ratione Autor iſtorum Ordinum Equeſtrium hiſtoriam exſequutus eſt, ea pertractat quoque reliquos, per Europam non ſolum, ſed & Aſiam celebres, eosque vel noſtra adhuc ætate vel olim florentes, atque ita quidem, ut Magiſtrorum nomina ſerie chronologica, autoresque ex quibus profecit, indicet. Nosque adeo, ſi recte calculum ſubduximus, CXV ab eo exponi Ordines toto opere, deprehendiſſe videmur, atque eos inter non a Regibus ſolum & Principibus, ſed a Fœminis quoque Sereniſſimis inſtitutos, qualis eſt Ordo *dell' Amaranta*, qui A. 1645 Chriſtinam Sueciæ Reginam autorem habuit; Ordo Servarum Virtutis (*delle Schiave della Virtú*) & Ordo ſociatæ venerationis crucis, (*Radunanza nobile della Crociera*) ab Imperatrice vidua Eleonora Gonzaga anno 1662 & 1668 erecti, ut alios taceamus. Memorat & Equeſtrem apud Turcas Ordinem *Della Luna*, (Lunæ) cujus inſigne hic exhibemus. Ubi monet, Domum Ottomannicam nonniſi p. 834. ſ. 849. 853. TAB. IX. Fig. 4.

Digitized by Google

poſt captam Conſtantinopolin Lunam creſcentem in ſymbolum ſuum adſciviſſe, nec aliam ob cauſam, quam quod ea antiquiſſimum urbis illius ſeu Byzantii inſigne fuiſſet; quod ex numiſmatibus comprobatur, & vulgo notum eſt. Nec id ſilendum, quod Selimus II Turcarum Imperator non dubitaverit Equeſtrem hunc Ordinem, ſub inſigni trium Lunarum creſcentium, ſuamet effigie ſubjecta, famoſiſſimo pictori *Gentili Belino*, quem Venetiis accerſerat, conferre. Confer Fig 5. Tab. IX. Fig. 5.

Quantamcunque jam adeo induſtriam in enarranda Ordinum iſtorum hiſtoria adhibuerit illuſtriſſimus Autor, tamen quosdam eorum ab eo omiſſos fuiſſe, vel dudum celebres, vel recentiori ætate atque non abhinc diu conſtitutos, quos perinde non ignorare non potuit, patet: ut adeo ægre ipſum non laturum eſſe perſuadeamur, ſi indicium quorundam breviter a nobis fiat. Monemus tamen ante omnia, argumentum hoc eleganter, ut ſolet ſua, tametſi non admodum prolixe, pertractaſſe *Claud. Franc. Meneſtrerium* in libris: *Les Diverſes Eſpeces de Nobleſſe, & de la Chevalerie ancienne & moderne*, quorum excerpta dedimus in Actis Erud. 1683. p. 51. 250. & 1685. p. 113. Equidem
p. 759. Ordinem Elephanti, qui in Dania floret, percenſet Autor; verum eundem, quem Leonhardus Voigtius A. 1673 ſingulari opere Germanico deſcripſit, anno 1694 d. 5 Julii reſtitutum, atque nova tunc legum acceſſione auctum fuiſſe, ſcire non potuit. *Danebrogicum* autem, minoris licet Elephantino dignitatis Ordinem plane præteriit. Hujus hiſtoriam tradidit Thomas Bartholinus Filius, tum in peculiari opere de Origine Equeſtris Ordinis Danebrogici, Hafniæ A. 1676 edito, tum in Epiſtola ad Angelicum Aproſium d. 20. Nov. A. 1676. ſcripta, & Actis Medicis Hafnienſibus Vol. VI. p. 66 ſeqq. inſerta, Sed illud quidem ad celeberrimum Autorem noſtrum non pervenit, quod & hodieque in paucorum manibus verſatur: in Actis autem illis Medicis quod Militaris Ordinis Hiſtoriam quærere non ſuſtinuerit, vitio ipſi verti non poteſt.

Ex Germanicis Ordinibus Johannitici Hiſtoriam expoſuit peculiari tractatu vernacula lingua ſcripto Vir celeberrimus *D. Joh. Chriſtoph. Becmannus*, cujus nos quoque meminimus A. 1693. p. 521.

Ex Gallicis commemorandus quoque erit anno 1693 menſe Aprili a Rege inſtitutus *Ordo S. Ludovici*, quo excitare ad honorem decusque fortitudine parandum ſuos voluit, legibus ſimul & præmiis liberaliter promulgatis. Deſcripſit ipſum ſatis prolixe ac diſſertatione

pecu-

peculiari Vir celeberrimus Joh. Joachimus Zentgrafius P.P. in Academia Argentoratenſi.

In Saxonia cum glorioſiſſimæ memoriæ Princeps, Elector noſter JOHANNES GEORGIVS IV, Sereniſſimū ac Potentiſſimum Electorem Brandenburgicum FRIDERICVM III Torgaviæ A. 1692 menſe Januario exciperet, utrique Ordinem Equeſtrem, amicitiæ ſuæ mutuique atque conſtantis amoris arrham conſtituere, cujus ſymbolum eſt monile aureum, rubeo ligamine brachio dextro annexum, cujus una parte manus duæ armatæ ſibi junctæ, & ſub iis gladii duo decuſſatim poſiti, palmæ ramis circumvoluti, cum epigraphe: *Uny pour jamais*, repræſentantur. Altera parte nominum Sereniſſimorum initiales literæ J. G. 4. C. & F. 3. C. (C ſignificat Chur-Fürſt / ſive Electorem) leguntur, cum inſcriptione: *Sincere Amitié.*

Hiſtoriam Ordinis Equitum Cypri inſulæ habet quoque exactam P. Lambecius in Diario ſacri Itinerarii Cellenſis anno 1666 Vindobonæ edito.

Eorum vero qui in Suecia celebres extitere, Equitum nempe *Nominis Jeſu, vel Seraphinorum*, S. *Brigittæ, ab Agno Dei, Gladii & Balthei, Salvatoris*, & Equitum *Amarantæ*, promittit *Elias Brennerus* in Theſauro Nummorum Sueo-Gothicorum. Ordinem denique antiquum *Temperantiæ*, cui quoque nomina ſua dedere Fridericus III. & Maximilianus I. Imperatores, deſcribunt P. Lambecius Biblioth. Vindob. L.II. p. 960, & Dn. Baro de Valvaſor cum Eraſmo Franciſci in Deſcriptione Ducatus Carniolenſis T. III. L. IX. c. 3. & 4. (quibus addi quoque debet Hubertus Thomas Leodius in Vita Friderici II. Palatini) ubi mentio ſimul fit Ordinis S. Chriſtophori A. 1517 a quibusdam Ducatuum Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ Proceribus, cujus ſcopus fuerit potiſſimus abrogatio vitiorum, quæ compotationibus & jurandi libidine occupantur, ſalutari conſilio inſtituti. Adhuc addimus, Ordinem Aurei Velleris a celeberrimo Viro *Jacobo Wilhelmo Imhofio* in Notitia Procerum Imperii editionis noviſſimæ A. 1693, f. 15. - 19, ab eodemq; utrumque Eleonoræ Auguſtæ Ordinem fol. 7, 8, tum quoque porro *Ordinem Teutonicum* L. III. cap. II. fol. 61-65: Ordinem denique *des Sophis* in Perſia adhuc celebrem abs *Sanſonio* in ſuo Itinerario Perſico, Gallica lingua ſuperiori anno Pariſiis edito, deſcribi.

THE GENUINE EPISTLES OF THE APOSTOLICAL FATHERS. Hoc eſt: Epi-

Epiſtolæ genuinæ Patrum Apoſtolicorum in Anglicum ſermonem translatæ a GVLIELMO WAKÆO D. & R. R. M. M. Sacell.

Londini, apud Rich. Sare, 1693. in 8. Alph. 2.

APoſtolicæ antiquitatis monumenta, a doctiſſimo Wakæo Anglice converſa & hoc volumine collecta, in duas partes diſtinguuntur, quarum prior *primam Clementis ad Corinthios epiſtolam*, & *Polycarpi epiſtolam ad Philippenſes*, nec non *ſeptem Ignatii epiſtolas* Euſebio memoratas, una cum *actis martyrii Ignatii & Polycarpi*; poſterior *Barnabæ epiſtolam*, *Hermæ Paſtorem*, & *ſecundam Clementis ad Corinthios epiſtolam* complectitur. Præmiſſa ſunt huic Apoſtolicorum Patrum collectioni erudita Interpretis prolegomena, in quibus de his Autoribus eorumque ſcriptis diſſerit. Vitas autem illorum Scriptorum ſic recenſet, ut brevitati ſtudeat, cum eas celeberrimus *Caveus* prolixe non minus quam accurate expoſuerit, cujus Vitas Patrum & Primævum Chriſtianiſmum in omnium Anglorum eſſe manibus exoptat. De Clementis ad Corinthios epiſtola agens, ejus autoritatem veterum teſtimoniis confirmat, neque dubitat quin Autor hujus epiſtolæ ſit idem ille Clemens, quem in Paulina ad Philippenſes epiſtola IV, 3. commendatum legimus. Quo tempore Clemens Eccleſiæ Romanæ Epiſcopatum adeptus fuerit, & quem proximum anteceſſorem in illo Epiſcopatu habuerit, inter incerta referendum eſſe judicat; cujus rei argumentum eſſe dicit, quod celeberrimi Duumviri exacte in hoc negotio verſati, *Pearſonius* & *Dodwellus*, in definiendo illo tempore minus inter ſe conſentiant. Martyrium Clementis ipſi ſuſpectum eſt, cujus famam e martyrio Flavii Clementis Romani Conſulis exortam, cum *Dodvvello* ſuſpicatur. Epiſtolam, de qua agitur, paulo poſt extinctam Neronis perſecutionem a Clemente ſcriptam, & ad Corinthios miſſam, cum eodem *Dodvvello* ſtatuit, obſervante, quod inter eos, qui hanc epiſtolam ad Corinthios pertulerunt, Fortunatus nominetur. Supponit enim, quod hic Fortunatus idem ſit cum Fortunato, quem Paulus 1. Cor. XVI, 17. cum Stephana & Achaico conjungit. Hunc ergo Fortunatum a Corinthiis Romam miſſum conjicit, ut Paulum de Eccleſiæ ſuæ ſtatu certiorem faceret; Paulo autem interim e vivis per Neronis gladium ſublato, Clementem Eccleſiæ Romanæ nomine Corinthiis hac epiſtola reſpondiſſe. Addit Wakæus, ſi hæc epiſtola ſub Domitiani de-

demum imperio, ut nonnulli exiſtimant, ſcripta foret, vix fieri potuiſſe, ut Fortunatus jam ſenex tam longinquum iter ſuſciperet, cum Paulus domum Stephanæ Achajæ primitias v. 15. appellet, atque hinc etiam de Fortunati ætate conjectura capi poſſit. Etſi vero Clementis ad Corinthios epiſtola jam pridem etiam a *Gulielmo Burtono* Anglice verſa fuerit; verſionem tamen illam, quæ A. 1647 Londini cum uberrimis ejusdem Burtoni ſcholiis prodiit, a ſe non ante viſam ſcribit, quam ſua translatio typis jam tradita fuiſſet. Polycarpi epiſtolam Ignatianis a ſe præmitti monet, non quod ante Ignatianas ſcripta ſit, ſed quod Polycarpus Ignatii epiſtolas in unum faſciculum collegerit, & ſuæ ad Philippenſes paulo poſt Ignatii martyrium ſcriptæ adjunxerit. Refutat præterea eorum ſententiam, qui vel integram Polycarpi epiſtolam, vel ultimam ſaltem ejus partem, quæ epiſtolarum Ignatii mentionem injicit, eo nomine ſuſpectam habent, quod in ea Philippenſes rogentur, ut ſi quid certi de Ignatio ejusque ſociis cognoverint, ſignificent. Nihil enim obſtare doctisſimus Wakæus obſervat, quo minus Polycarpus & certam de Ignatii morte notitiam habuiſſe, & plures illius circumſtantias a Philippenſibus explorare potuerit. Diſſentit etiam a clariſſimo *Tenzelio*, qui in Exercitationibus ſuis ſelectis Polycarpi epiſtolam ab eodem impoſtore, qui Ignatii epiſtolas corrupit, interpolatam ſtatuit. Etſi vero hæc Polycarpi epiſtola elegantiſſimo *Cavei* ſtylo Anglice pridem reddita, & inter vitas celebriorum Patrum ab eodem edita fuerit; denuo tamen Wakæo eandem in Anglicum ſermonem transferre placuit, quia inconveniens ipſi viſum eſt, ſolam hanc epiſtolam intactam relinquere, cum cætera omnia antiquitatis Apoſtolicæ monumenta genuina ſe interprete Anglice prodirent. Circa Ignatii epiſtolas iterum a clarisſimi *Tenzelii* ſententia recedit, qui poſt Uſſerii & Voſſii editiones Ignatii epiſtolas nondum ſinceras extare arbitratur. Tempus martyrii Ignatiani cum *Wilhelmo Lloyd* in annum 116 conjicit, quo Antiochia graviſſimo terræ motu laboravit. Martyrium autem Polycarpi ſub Antonino Pio A. 147 contigiſſe, cum *Pearſonio* judicat. In epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis de martyrio Polycarpi, pro: ἐξῆλθε περιστερὰ, cum *Stephano le Moyne* legendum ſuſpicatur: ἐξῆλθ' ἐπ' ἀριστερᾷ. Minus enim veriſimile videtur, quod columba ex perfoſſo ſancti martyris corpore provolaverit. Barnabæ epiſtolam, Hermæ Paſtorem, & ſecundam Clementis ad Corinthios epiſtolam, quæ opu-

 ſcula

ſcula in ſecundam collectionis ſuæ partem rejecit, non ejusdem fuiſſe apud omnes autoritatis cum illis monumentis, quæ in prima parte exhibet, non diſſimulat; neque tamen dubitat, quin ſcripta hæc genuinis Apoſtolicæ antiquitatis monumentis accenſeri debeant. Cætera autem Clementi vulgo attributa ſcripta, nec non quæ Prochori, Dionyſii Areopagitæ, & aliorum quorundam Virorum Apoſtolicorum nominibus ſuperbiunt, ſuppoſita eſſe cenſet, nec aliud quicquam ex genuinis Apoſtolicæ ætatis monumentis ſupereſſe arbitratur, quam quæ nunc Anglicano ſermone donata conjunctim exhibet. Quæ etſi canonicis libris æquiparare nolit, eccleſiaſticis tamen omnibus anteferri cupit, perſuaſum ſibi habens, quod ſcripta illa majori quadam quam humana autoritate polleant, cum communi veteris Eccleſiæ, quæ donum diſcernendi ſpiritus habuit, ſuffragio in publicis conventibus lecta fuerint, illorumque autores, quippe Apoſtolorum coætanei & diſcipuli Spiritus Sancti dono inſtructi, a veritatis tramite nec aberraverint, nec aberrare potuerint. In qua ſententia eruditorum plurimi eum nonnihil excedere putabunt, uno autem ore omnes fatebuntur, eum in vertendis iſtis Patrum Apoſtolicorum ſcriptis non pœnitendam operam locaſſe, & de Anglis ſuis, quibus ea familiaria reddidit, præclare meruiſſe.

MYOTOMIA REFORMATA:

Or, a new Adminiſtration of all the Muſcles of Humane Bodies.

Sive

Adminiſtratio nova cunctorum Corporis humani Muſculorum; in qua veri uſus muſculorum explanantur, errores ſuperiorum Anatomicorum circa eosdem confutantur, ac muſculi diverſi hactenus ignoti deſignantur, una cum figuris ad vivum expresſis. Auctore GVILIELMO COWPER, Chirurgo.

Londini, apud Sam. Smith & Benj. Walford, 1694. in 8.

Conſtat plagulis 20. & figuris 18.

Præfat. INduſtrius *Autor* ex repetitis cadaverum humanorum diſſectionibus probe cognovit, a *Veſalii* & *Fallopii* temporibus parum hucuſque incrementi acceſſiſſe Myologiæ, a multis licet pertractatæ ſcriptoribus, ſed veterum circa muſculos aberrationes multiplicari magis, quam corrigi

corrigi a recentiorum plerisque, nec ſympatriota ſuo Johanne Brown excepto, dum autopſia accuratiori neglecta potiſſimum alios exſcribunt. In gratiam proin publici univerſam muſculorum doctrinam utiliſſimam in præſens reformare voluit, eamque tum ab Autoribus excultam emendare genuina muſculos ſecandi ratione ſubnexa, tum obſervationibus novis locupletare, tum figuris denique illuſtrare, quæ non modo muſculos novos a ſe inventos, ſed & notos nonnullos, verum a *Veſalio*, *Caſſerio*, & *Bidloo* minus exacte repræſentatos, ad vivum ſiſterent, atque ſceleti deſuper conformationem & a pectore, & a tergo, pro muſculorum ortu, progreſſu & terminis deſignandis exprimerent. Quemadmodum vero obſervationes novæ vel muſculos novos, vel aliorum ſcrutinium diligentius quoad originem, progresſionem atque inſertionem, vel uſum denique muſculorum concernunt: ita potiores earum ſpeciminis ergo promiſcue hic excerpemus, figuramq; apud Autorem quartam transſcribemus. Scilicet, poſtquam *Introduct.* muſculorum texturam motumque in genere explanavit Autor, ab ab- Cap. I. dominis muſculis incipiens, obliquos horum, cum deſcendentem, tum aſcendentem, a proceſſibus lumborum tranſverſis ex parte oriri, contra communem Autorum ſententiam pernegat. Acceleratorum penis Cap. 3. ſive urinæ principium ab ipſius urethræ penis parte ſuperiori, dum ſub oſſibus pubis progreditur, derivat. A levatoribus ani, quatenus pro- Cap. 5. ſtatas & veſiculas ſeminales ſimul comprimere valent, ſeminis quoque emiſſionem in coitu promoveri aſſerit. A muſculo oculorum obli- Cap. 8. quo ſuperiori poſteriorem bulbi oculi partem verſus trochleam moveri, hacque ratione & globum quodammodo antrorſum trahi & pupillam deorſum dirigi, e contrario ab obliquo inferiori poſteriorem partem bulbi ad externum angulum palpebræ inferioris adduci, ſicque pupillam ſurſum, globum vero integrum quodammodo extrorſum ferri, ex ſitu trochleæ atque obliqui inferioris exortu colligit; ſicuti oculum ab utroque obliquo non ſolum recta antrorſum moveri, ſed & in ſitu detineri, quando ab aliquo recto is retrahitur, annotat. Buc- Cap. 10. cinatorem, ordinibus fibrarum diverſis haud inſtructum, nec ea figura præditum, quæ vulgo ipſi tribuitur, anterius ab acuto maxillæ inferioris proceſſu, qui corona audit, deducit, terminum ejus ſuperatis gingivis, quibus utrinque adhæret, in labiorum angulo quærens. Inter proprios labii inferioris muſculos non ſolum depreſſores, verum ele-

vatores quoque recenſet, a nemine adhuc deſcriptos, intra labium inferius ita locatos, ut principio carneo inferius a gingivis ad dentes inciſores pertinentibus recta ad inferiorem cutis menti portionem, cui
Cap. 12. inſeruntur, deſcendant, ac in *Fig. lit. F. F.* repræſentatos. Auris internæ quatuor numerat muſculos, unum ſtapedis & tres mallei, externum videlicet *Aquapendentis*, externum *du Verney* a ſitu obliquum vocan-
Cap. 13. dum, & internum *Euſtachii*. Muſculi ſterno-hyoidei originem non tam a ſterno juxta vulgarem opinionem, quam ab interna claviculæ
Cap. 16. parte prope ſternum arceſſit. In vicem duplicis muſculorum pharyngis paris, quod cephalopharyngeum & ſphænopharyngeum dici ſolet, unicum par ſubſtituit intuitu principii pterigopharyngei titulo inſigni-
Cap. 22. tum. Muſculis capitis, in ſpecie anterioribus, novum adjungit muſculum, eumque nunc a ſitu rectum internum minorem, ad differentiam recti interni majoris ante *Bidloum* a multis aliis obſervati, nunc ab uſu annuentem appellat, quod interveniente hoc muſculorum pari, ſub recto interno majori, a prima cervicis vertebra juxta proceſſus hujus transverſos ad exteriorem oſſis occipitis appendicem aſcendente, caput imprimis flectere ſive annuere liceat, pariter atque ope rectorum
Cap. 23. minorum poſteriorum renuere. Præter notos colli muſculos, inter bifidas hujus ſpinas quinque nova parvorum muſculorum ſub nomine
Cap. 24. interſpinalium deſcribit paria. Sub muſculo ſacro, quem non minus transverſalem lumborum, ac ſemiſpinatum transverſalem dorſi nominat, aliquando ſpinalem quendam lumborum occurrere innuit, ſpinali cervicis omnino ſimilem, a quatuor ſpinis oſſis ſacri ad vertebra-
Cap. 25. rum lumbarium ſpinas protenſum. Muſculum humeri teretem minorem interdum cum infra ſpinato confundi, alibi diſtinctum apparere tradit; in quibus vero is deficiat, latiſſimo dorſi peculiares fibras carneas ab inferiori ſcapulæ angulo æque accreſcere, ac alias faſciculi ejusmodi carnei a coſtarum parte inflexa ſoleant accedere. Circa hume-
Cap. 26. rum pariter aliquod ligamentum latum perpendit, a tendinibus immerſi, ſupra ſpinati, infra ſpinati & teretis minoris concinnatum. Muſculi bicipitis initium alterum exterius a margine acetabuli ſcapulæ petit, illudque ipſum in lotrice quadam, quæ de humero luxato conquerebatur, unice dislocatum fuiſſe teſtatur. Inſertionem autem ejusdem non ſolum tendine robuſto ac rotundo in ſuperius radii ſub condylo tuberculum, ſed & alio externo tenuiori ac inſtar membranæ expanſo
in

in communem muſculorum membranam, cunctos externos radii carpi ac digitorum muſculos involventem, obſervat fieri, quo a faſcia ejusmodi tendinoſa, in phlebotomia pro ſymptomatis perverſis evitandis non niſi ſecundum longitudinem incidenda, tum flexio cubiti, tum actio muſculorum, quos inveſtit, adjuvetur egregie. Ortum palmaris brevis nec in membrana carnoſa cum *Columbo*, nec in octavo carpi oſſiculo cum *Fallopio*, ſed in externa parte oſſis metacarpi digiti minimi atque carpi oſſiculo quodam, terminum vero in octavo oſſe carpi conſtituit. Cap. 27. Lumbricalium in manu principium neutiquam a tendinibus perforantis, ſed commune cum ipſo perforante exin ſuſpicatur, quod in corpore ultimum diſſecto ejus lumbricalis muſculi partis, quæ ad indicem pertinet, exortum carneum diſtinctum porroque tendinem tenuem longum viderit. Cap. 28. Ab uſu, quem lumbricales muſculi potiſſimum in Muſicis inſtrumentalibus exerunt, dum parvas digitorum motiones edunt, fidicinales appellat. Flexorii tertii internodii pollicis duplex ſæpe eſſe principium advertit, quorum alterum ſuperius ab interno humeri tuberculo inter perforatum & perforantem, alterum inferius duplici fibrarum ſerie inſtructum a radio ſuperius emergat. Cap. 29. Membranoſi muſculi terminum haud unice in ſuperiori fibulæ proceſſu quærit, verum ab eodem cum ſimili tendinoſa expanſione glutæi magni juncto faſciam pariter latam efformari aſſerit, quæ omnes tibiæ externos aliosque tarſi muſculos inveſtiat, eorumque actionem corroboret. Cap. 33. Extenſori pollicis in pede longo, a fibula anterius & ſuperius oriundo, alium extenſorem brevem aſſociat vulgo neglectum, aut ſaltem pro portione extenſoris digitorum brevis habitum, ab antico calcanei latere ad ſuperiorem ſecundi oſſis pollicis excurrentem. Cap. 35. Flexorem itidem pollicis brevem in duos ſubdividi muſculos arbitratur. Lumbricales pedis non tam a tendinibus perforantis, quam a maſſa quadam carnea in planta pedis derivat. Cap. 36. & ult. Tandem, ut evidentius conſtet, qua ratione muſculi penis deſcripti hunc erigant, ſtructuram penis e partibus cum externis, tum internis reſultantem deſcribit, deſcriptamque figuris aliquot exornat. *Append.* Miſſis vero iis, quæ a *Graaffio* atque *Ruyſchio* imprimis mutuatur, eam cuticulæ portionem, quæ glandem ſtipat, microſcopii adminiculo villoſam innuit. Cum ſuſpicio ſit, vaſa penis lymphatica, quæ mercurio præparato in alterutrum vaſorum ſanguiferorum injecto primum detexit ſoliciteque depinxit, in-

ſtar, aliorum lymphaticorum partium inferiorum ad glandulas inguinales ferri, viam patentem ſatis reputat, qua in lue venerea materia morbifica hiſce ſpeciatim glandulis communicetur. Circa præputium, ubi penem contingit, parvas memorat glandulas a *Tyſone* ſub titulo glandularum odoriferarum obſervatas. Præter frænulum præputii aliud ligamentum conſiderat, quod ſuſpenſorium penis vocat, anterius ab oſſibus pubis ad dorſum penis protenſum. Venas totidem arteriis continuatas uti duplicis generis conſtituit, ita externas præputii, internas vero penis ipſius denominat. Superiorem corporis cavernoſi urethræ partem, quæ duo corpora nervoſa penis interjacet, propter figuram bulbi nomine indigitat, erectionem penis ſanguini acceptam ferens, quatenus ille a muſculis non ſolum verſus glandem urgeatur, ſed imprimis per venas refluere impediatur, dum erectores, penem ad oſſa pubis interventu ligamenti ſuſpenſorii adducendo, truncum ipſum venoſum, qui per dorſum penis fertur, æque comprimunt, ac muſculi acceleratores venas cavernoſi corporis urethræ coarctant. Ne tamen hac ratione ſanguis omnis ſubſiſtere cogatur ac congrumeſcat, portionem ejus aliquam per venas præputii remeare, hinc in priapiſmo pertinaci aliquando ipſam venam penis cum ſucceſſu pertuſam fuiſſe edocet.

Tab. X. Explicatio Figuræ, quæ os maxillæ inferioris una cum muſculis inferioris labii propriis exhibet.

AA. Proceſſus, qui condyli dicuntur.

BB. Duo reliqui proceſſus maxillæ inferioris, qui coronæ audiunt.

CCC. Pars internæ membranæ os inveſtientis.

DDEE. Nervi ac vaſa ſanguifera e duobus foraminibus maxillæ ininferioris ad glandulas & muſculos labiorum & buccarum egredientia.

F,F. Muſculi elevatores labii inferioris proprii, a nullo hactenus Autorum, quantum conſtat, deſcripti.

GG. Superficies interna muſculi depreſſoris labii inferioris proprii.

HH. Glandulæ buccarum.

II. Portio muſculi ſphincteris labiorum.

TWO LETTERS OF ADVICE &c.

id eſt:

Epiſto-

TAB. X.
ad Tom. II. Supplem.
Sect. XI. pag 510.



E.A.S. sculps.

Epiſtolæ duæ: quarum prior ſacrorum Ordinum ſusceptionem; poſterior ſtudii Theologici, quod ſcientiam parit, rationem per modum conſilii expendit: una cum Appendice de Sanchoniathonis Hiſtoria Phœnicia, Autore HENRICO DODWELLO.

Londini, apud B. Tooke, 1691. in 8. Alph. 1. pl. 4.

TErtia jam eſt hæc editio epiſtolarum clarisſimi Dodwelli nobis multoties ob varia eruditionis profundæ monumenta laudati: quæ quidem, cum juſto ſerius in manus noſtras inciderint, ipſis Actorum menſibus inſeri amplius non poſſunt: merentur tamen in Supplementis locum vel ob ſolam de Sanchoniathone diatriben, quæ multum ab opinione communi de ætate Phœnicis hujus atque ſcriptis disſidet. Ut autem ordine procedamus, de ſingulis diſtincte aliquid dicendum eſt. In præfatione inquirendum ſibi putavit Auctor doctiſſimus in fontes prolapſæ adeo & apud plurimos nimium neglectæ religionis, irruente interim patulis foribus atheiſmo: atque eos præcipue e contemptu Miniſtrorum verbi ſcaturire perſuaſum habet, dum nempe ſub ſpecioſo Chriſtianæ libertatis titulo juſta illorum auctoritas ſubruatur: huic igitur malo quomodo ſuccurrendum ſit, in eadem præfatione diſquirit. Exinde prima epiſtola prolixe, ſolide, atque pie exponit, quæ ad miniſterium iſtud ſacrum pertineant, ſeu præparationem ſpectes in doctrina & moribus, ſeu executionem muneris demandati. Hic nihil eorum prætermiſſum eſt, quæ animum hominis Chriſtiani verbique miniſterio dicati horrore quodam ſacro percellant, & ad attentiſſimam rerum ſuarum curam iterum iterumque inſtigent: ſollicite quæcunque in ſtudiis, in vocatione, in vita & moribus obſervanda, non ſine multo rationum pondere deſcripta: ut vere Dodwellus inſigne judicii theologici, & infucatæ pietatis ſpecimen hac ſua epiſtola exhibuiſſe credi queat. Non minor verborum rationumque vis in poſteriori epiſtola occurrit. Deprehendet ibi Lector, quæ ad ſcientiam theologicam ſolidam acquirendam faciunt; quis uſus rationis ac theologiæ ſcholaſticæ; quid philoſophorum, præcipue Stoicorum (quos præ aliis commendat ac defendit) ſedula lectio conducat; quid omnis poetarum & reliquæ eruditionis profanæ apparatus: e quibus haud ſane pauca ad illuſtrationem ſacri Codicis depromi queunt, & multa alia

quæ

quæ ad utilitatem ſtudii Theologici ſumme faciunt. Inprimis autem in utraque epiſtola Patrum lectionem inculcat, eorum ante omnia, qui tribus primis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis floruere; hanc Theologo & Miniſtro Eccleſiæ omnino neceſſariam ratus. Eum in finem non ſolum in epiſtola priore, quam commode ea poſſit inſtitui, paulo prolixius oſtendit, ſed & eidem catalogum annectit ætatem, ſcripta, editiones Patrum e tribus prioribus poſt C.N. ſeculis reſiduorum erudito compendio ſiſtentem.

Cum vero in ſecunda epiſtola forte inter cæteros auctores profanos, quos legendos commendat, Sanchoniathonis mentione facta, ſe dubitare num genuinus ſit ille Phœnix hiſtoricus (cujus fragmenta apud Porphyrium de Abſtinentia & in Euſebii libris Præparationum ſuperſunt) innuiſſet; nactus inde occaſionem mentem ſuam uberius explicandi, in peculiarem diſſertationem conjecit, quæ contra auctorem illum dicenda habuit, ac de quibus jam ante publicationem libelli hujus cum clariſſimo viro Thoma Smitho amico ſuo aliquot epiſtolis
p. 2. concertarat. Antequam rem ipſam aggrediatur, circa nomen falli Theodoritum exiſtimat, cum ei Sanchoniathon *κατὰ τῶν Φοινίκων διάλεκτον Φιλαλήθης* eſt: potius attendendum putat Euſebium, quem Theodoritus transſcribens hic non adverterit, & cui Sanchoniathon non vi nominis *Φιλαλήθης*, ſed *Φιλαλήθως συναγαγὼν* & *συγγράψας* hiſtoriam ſuæ gentis dicatur: fatetur interim, etymologi-
3. 4. am Bocharti ad ferendas Theodorito ſuppetias aptam eſſe. Eundem tamen Bochartum carpit, quod Abibalum Beryti Regem, cui Sanchoniathon ſuam hiſtoriam nuncupaſſe fertur, ab Abibalo Tyri Rege Hiromi e ſacris literis noti patre diſtinguit: cum & temporum ratio Sanchoniathonis Abibalum eundem cum Hirami patre fuiſſe fere ſuadeat, nec argumentum Bocharti, quod Dodwellus diluit, quicquam evincat. Refert dein, quam circa ætatem Semiramidis, cui coævum Phœnicem
5. hunc Porphyrius facit, priſci chronographi diſcordent: tum monumenta, e quibus eum ſua hauſiſſe ajunt, recenſet, ſacra Taauti ſive Mercurii ſcripta, *ἀπόκρυφα Ἀμμωνέων γράμματα*, *ὑπομνήματα* Hierombali Sacerdotis Dei Jevo, *ὑπομνήματα* Phœnicum urbium, atque *ἀναγραφὰς* templorum. Hæc omnia tamen falſi inſimulat, & factum poſteris fucum perſuaſus eſt.

6. Primo igitur obſervat, omne pro Sanchoniathonis auctoritate argu-

argumentum maxime in Porphyrium revolvi, vaſrum hominem, atque ob id ipſum haud immerito ſuſpectum: hunc enim, ſi non commentus ipſemet hiſtoriam eam ſit, (quod quo minus credat Dodwellus, Athenæus facit, qui ante Porphyrium eam allegaſſe videtur,) certe poſt neglectum inde ab Adriani tempore, quo id Philo Byblius confinxerit, nomen illud, primum non ſine ſtrepitu e tenebris id produxiſſe, quod tamen, ſi genuinus Sanchoniathon fuiſſet, longe notiſſimum eſſe opor-
tuerit. Probabiliorem reddere ſententiam hanc putat Pythagoræ & Pla- 7. 8.
tonis, quorum diſciplinam maxime ſequebatur Porphyrius, de falſis, ubi ſanandis hominum mentibus ea inſervirent, licite committendis principium; & propoſitum ipſius Porphyrii, quod erat Sanchoniathonis auctoritate ſacras Literas convellere. Quum itaque uſque ad ætatem Porphyrii adeo ignotus fuerit ſcriptor ille, ut ii etiam, qui vel maxime vicini Phœniciis erant, vel ſeduli antiquitatum harum indagatores, ne verbo quidem ejus meminerint; non Juſtinus Martyr Samari-
tanus; non Tatianus Aſſyrius, qui alias vice plus una Phœnicum hiſto- 14.
ricos allegat; non Theophilus Alexandrinus, non Tertullianus, non Origenes: imo ne quidem poſt Porphyrium ullus Patrum, uno Euſebio excepto, Sanchoniathonis ſcripta viderit; haud vanum illud eſſe
ſuppoſitionis argumentum contendit. Et quamvis Theodoritus ac 9.
Cyrillus Alexandrinus ad ea provocent, nil tamen aliud eos, quam excerpta Euſebii vidiſſe perſuaſus eſt: quod de Cyrillo certe manifeſtiſſimum ſit, qui memoriæ nimis fidens Clementem Alexandrinum alleget, ubi Euſebius allegandus fuerat; Joſephum Sanchoniathonis libros in Græcum idioma tranſtuliſſe ſcribat, quod fecit Byblius Philo; Philonis quoque præfationem pro ipſo Sanchoniathonis ſcripto inſigni memoriæ lapſu alleget. Ceterum Philonem hunc, quem de rebus Hadriani ſcripſiſſe, adeoque ſub illius imperio adhuc vixiſſe, auctor
Suidas eſt, Herennium Philonem non ab Origene tantum L. 1 contra 16.
Celſum, ſed in MS. etiam quodam ipſius in Metaphyſicam Ariſtotelis commentario (Iſaaci Voſſii κτήματι) vocari notat; idque nomen celeberrimum Lloydium ab Herennio Severo Conſule derivare ait, a quo nempe Philo libertus, more illius temporis, in familiam adſcitus ſit: Herennium vero patronum Philonis eundem eſſe ſuſpicatur cum eo, quem Plinius Epiſt. L. IV ep. 28, ut literarum æſtimatorem atque
virum doctum commendet. Reverſus hinc ad Sanchoniathonem Au- 18.

ctor miratur, quod, cum multi adeo veterum ſcriptorum, Hierony-
mus Tyrius, Menander Epheſius, Dius, Heſtiæus, Philoſtratus aliique
in conquirendis, Græce vertendis atque evulgandis Phœnicum monu-
mentis occupatiſſimi fuerint; imo cum Joſephus in ipſa uſque archivo-
rum Phœnicum abdita penetrarit, e quibus varias ἀναγραφὰς & αὐ-
τόγραφα epiſtolarum Hiromi & Salomonis citat; unus tamen iſte
Sanchoniathon ſummam & exquiſitam tot virorum diligentiam omni
20. etiam ſui parte effugerit: quod item tantus Philoſophus mundo per
tot ſecula eſſe potuerit ignotus, licet Plato & Pythagoras recondita
quæque Phœnicum ſint ſcrutati, & hic præcipue cum Mochi Phœnicis
poſteris familiariter converſatus ſcribatur: quod poſt expugnatam a
Macedonibus Phœniciam, cum ipſe Mochus, tum Theodotus & Hy-
pſicrates, ex abſtruſis archivorum jam patentium latibulis protracti,
Græce loqui ab Aſito ſeu Chæto edocti fuerint, unum Sanchoniathonis
nomen & memoria, tenebris plusquam cimmeriis obvoluta, latere ta-
men usque potuerint. Hæc certe ſuſpectum reddere auctorem, & νο-
θείας tantum non manifeſto convincere Dodwellus cenſet.

21. Jam quod commentarios attinet, & ἀναγραφὰς templorum, e
quibus edoctum ſua ſe Sanchoniathon profitetur: Dodwellus utique
magni ea fore momenti aſſerit, ſi modo genuina eſſent; neque etiam a
more temporum antiquiſſimorum alienum exiſtimat, acta gentis inter
23. ſecreta columnis templorum inſculpta aſſervare. Verum ſolennem
etiam ſcriptorum illarum gentium, quæ de antiquitate cum Judæis con-
tendebant, fraudem fuiſſe obſervat, ut ad priſcas hujusmodi inſcri-
ptiones provocarent, quæ tamen nuſpiam extabant: qua occaſione de
24. columnis Mercurii, Chami, Sethi & Taauti erudite diſſerit, easdemque
diverſis ſolum nominibus rem unam notare probatum it; aliaque
multa de iſtiusmodi monumentis notatu digniſſima inſpergit: quem-
admodum & contra Bochartum Ammoniorum philoſophiam non
32. Phœnicibus, ſed Ægyptiis vindicandam contendit. Interim non ad
perluſtranda ſolum, ſed & intelligenda atque deſcribenda ſecretisſima
Ægyptiorum hieroglyphica Sanchoniathonem, extraneum hominem
34. nec circumciſum, a Sacerdotibus regni ejus admiſſum, hoc vero incre-
dibile Dodwello fit, perpendenti, quam difficulter Pythagoras, etſi a
Polycrate viro potentiſſimo commendatus, admiſſus ſit, & quam pau-
ci ex ipſismet Sacerdotibus abſtruſos eos characteres intellexerint:
certe

certe enim adeo invidos fuiſſe, ut, ſi monſtrata quoque Sanchoniathoni myſteria illa ſint, dubia tamen ſemper interpretatio e ſola Ægyptiorum fide pendens maneat. Falſam vero eſſe Sanchoniathonis de Mercurio Phœnice, & a Phœnicibus dato Ægyptiis Rege relationem obſervat: nunquam enim ad tantum potentiæ faſtigium aſcendiſſe Phœnices, 36.
ut Ægyptiis Regem darent: neminem hoc ſcriptorum aſſerere, aut inter quatuor, quos evolvunt, Hermetes Phœnicem ſcire. Illud etiam incredibile clariſſimo viro eſt, Hermetem (quem Sanchoniathon ſemper Taautum vocat) ſacræ Ægyptiorum in celandis myſteriis religionis non ſo- 38.
lum ſumme gnarum, ſed & moris per hieroglyphicos characteres ea tradendi inventorem, (quod ne ipſe quidem Sanchoniathon in excerptis 40.
apud Euſebiũ diffitetur) eadem nihilominus editis libris divulgaſſe: hæc enim ſemetipſa deſtruere: &, ſi Mercurius id feciſſet, non divinis profecto honoribus illum Ægyptios culturos, ſed potius erectis in contumeliã tabulis, proſcripturos fuiſſe. Tacemus nunc alia argumenta, ex iis, quæ ad Hermetem pertinent ei enata. Cum vero porro ex Hierombalo, Sacerdote Dei Jevo, ſe habuiſſe multa profitetur Sanchoniathon, ma- 43.
gnum id quoque eſſe ſuppoſitionis argumentum Dodwellus credit. Cum enim probabiliſſime per Hierombalum Gideon ſive Jerubbaal, ſeu, ut eſt in vulgata Latina, Jerobaal intelligatur; nullam cauſam comparere ait, cur Sacerdotem Gideonem dicere poſſit homo, loci non 45.
tantum, ſed & temporis vicinia ipſi adeo propinquus, qualis Sanchoniathon eſſe dicitur: cui quidem argumento non ſatisfacere nonnulla a Bocharto allata oſtendit. Sed ne quis excipiat pro Sancho- 47.
niathone, adſcriptum forte in commentariis Hierombali ſive Gideonis eum inveniſſe Sacerdotis nomen Hierombalo; ex hoc ipſo, ſi factum forte fuerit, contra fidem eorum Dodwellus argumentatur, quippe quæ tum ne in titulo quidem genuina reperta ſint. Neque etiam veroſimile videri, Gideonem quicquam poſt ſe ſcriptorum reliquiſſe: ſecus enim vel in canonem ea Judæos relaturos fuiſſe, vel ſaltem inter tot alia in ſuis libris allegaturos, quod tamen ne ſyllaba quidem factum. Confirmare hanc de confictis Hierombali ſcriptis ſuſpicionem tot fa- 49.
bulas de Judæorum rebus ac originibus: v. g. de Abrahamo ortu Phœnice, eodem cum Saturno Græcorum, filium actu immolante &c. quæ ſane e monumentis Judaicis prorſus non petita, bene tamen ab æmulo, & horridæ hominum immolationis defenſore proveniſſe

 queant.

51. queant. Obiter de Moabitarum Rege filium 2 Reg. III, 27 immolante
obſervat, eum non proprium filium, ut communiter exiſtimatur, ſed
filium Regis Edomitici nefando ſacrificio concremaſſe; idque ex Amos
I, 16 probat.

52. His ita explicatis ad interna e Sanchoniathone argumenta
progreſſus, multa eorundem conquirit, quibus fraudis convinci ſcri-
ptor ille pſeudepigraphus queat: & poſtquam generaliter obſervavit
conſuetum eorum morem, qui de antiquitate gentis cum aliis conten-
dentes, ſuæ quisque nationi celebres variarum rerum inventione viros
54. aſſerant; ſcatere iſtiusmodi fictionibus Sanchoniathonem ait. Ita cum
Chryſorem, ferri inventorem & Vulcano ſynonymum, Phœnicem
facere; cum ipſa Scriptura Tubalcaino, Græci vero Idæis Dactylis, aliis
ſane a Chryſore, rem illam tribuant, Trojanique belli temporibus, qui-
bus juxta Porphyrium vixit Sanchoniathon, nonniſi e cupro fabrefa-
cta ſint heroum arma, prout ex Homero, Apollonii Scholiaſte & Pau-
55. ſania conſtet. Magum, ſectæ nomen, ſolita Græcorum vanitate viro
uni tribuere, quem Titanum & Aletes filium fingat; cum longo poſt
affictum Sanchoniathoni tempus intervallo Magi a Zoroaſtre Chal-
56. dæo, Pythagoræque coævo, cœperint: pariter in chronologiam im-
pingere ejus de Dioſcuris Phœnicibus fabuloſam aſſertionem. Porro
etiam, quod Abrahamum, quod Ægyptiorum Hermetem, quod Be-
58. lum Jovem Aſſyriaci imperii fundatorem, ut & Typhonem Ægyptii
Oſiridis fratrem, Adodum Benhadadi Syriæ Regis patrem, Æſculapi-
um, Minervam, Phœnices ad unum omnes fecerit; ſatis hoc impoſtu-
ram viri contra omnem hiſtoriæ & chronologiæ fidem rerum harum
peritis demonſtrare: quam præterea illud etiam de Abrahamo evincat,
quod eum, utut Phœnicem fecerit, circumcidiſſe tamen ſe concedat;
notiſſimum enim eſſe, quam averſi Phœnices ab iſto ritu fuerint, ut
etiam diu poſt Abrahami mortem incircumciſorum Philiſtinorum
nomine, quaſi infami, fuerint notati. His itaque tot rationibus mo-
tus noſter Dodwellus, ſuppoſitum eſſe ſpuriumque fœtum Sanchonia-
thonis non dubitat. Specialius autem in auctorem libri inquirens, Phi-
lonem Byblium ipſummet hujus impoſturæ reum agit, (quamvis Por-
phyrio tribuere illam ſe malle non diſſimulat, modo Athenæus non ob-
ſtaret, qui Porphyrio antiquior Sanchoniathonem tamen allegaverit)
eumque ſcriptum hoc Joſephi contra Apionem libris oppoſuiſſe con-
tendit.

tendit. Nam cum Joſephus Domitiani Imp. temporibus libros illos, 62.
non ſine magno doctorum inter gentiles quoque virorum applauſu, in publicum emiſiſſet, iisque ſuos Antiquitatum libros, Cæſarum olim Regumque calculis approbatos, haud parum ſtatuminaſſet, ac præterea ad 64.
vindicandam ſuæ genti antiquitatem ultimam, Phœnicum præcipue ſcriptorum, tam editorum quam ineditorum auctoritate fuiſſet uſus: hinc magnam Philoni Byblio cauſam ad opponendum ſe nova ratione Joſepho ſubnatam credit. Immiſcuiſſe enim ſeſe illi controverſiæ Philonem, ex Origenis contra Celſum libris patet, ubi Philonis de Hecatæo allegatur querela, quod ὑπὸ τῆς περὶ Ἰȣδαίων πιθανότητος 62.
συνηρπᾶσθαι ille ſe paſſus fuerit. Auxiliæ indignationem hanc illud etiam arbitratur, quod jam inter Philoſophos quoque caput erigere Judæa religio cœperit, & pro ſapiente reputari gens olim una cum barbaris deſpecta; ita ut jam laudarentur Eſſeni, libri Ariſtobuli, Philonis Alexandrini, aliorumque; imo Moſes a certa philoſophorum gentilium ſecta τȣ̃ προφήτȣ nomine indigitaretur. Byblium itaque Philonem hiſce talibus motum, memorabili impoſtura ſemet Judæis invidum objeciſſe, & cum ob defectum genuinorum monumentorum ſua auctoritate quicquam efficere non poſſet, ſub priſcorum nomine nova ſtudioſe admodum finxiſſe, ſuæque gentis gloriam ubique promovere ſtuduiſſe; quod in patriam ſuam ſtudium eo quoque non obſcure prodiderit, quod e Phœnicum urbibus Byblon, patriam ſuam, antiquiſſimam comminiſcatur, cujus nomen vix Phœnicium ſit, quæve minimum Beryto, quam Sanchoniathonis patriam ajunt, antiquior non exiſtat. Cum vero Euſebius Philonis librum περὶ Ἰȣδαίων quaſi peculiarem ab Hiſtoria Phœnicum citat, arbitratur Dodwellus, peculiarem fuiſſe libro ejus hiſtoriæ primo titulum, quales tituli librorum Lactantii aliorumque plurimorum ſint; & ita conciliari quoque cum Euſebio Porphyrium poſſe putat, quorum hic octo, ille novem hiſtoriæ Sanchoniathonis libros memorat: Porphyrium nempe librum περὶ Ἰȣδαίων quaſi peculiarem omiſiſſe, quem Euſebius una retulerit. Cæterũ nolumus nunc in iis prolixi eſſe, quæ Philonem Byblium ad tegendam eo tutius fabulam confinxiſſe eruditis conjecturis porro Vir doctiſſimus exponit. Unum de Sanchoniathonis nomine ſubjungemus, quod ex 110.
Ægyptiorum Sonchide, qui apud ipſos ἀρχιπροφήτης atq; λογιώτατος τῶν ἱερέων erat, formatum credit, mutata tamen nonnihil forma vocis, ne factus claro nimis indicio fucus tam facile deprehenderetur.

LA METHODE D' ETUDIER CHRETIENNEMENT & ſolidement les Hiſtoriens profanes.

Hoc eſt:

Methodus qua Chriſtiane & ſolide Hiſtoricorum profanorum ſtudia, reſpectu ad Religionem Chriſtianam ſacrasque Scripturas habito, inſtitui queant, Autore R. P. LUDOVICO THOMASSINO Congr. Orat. Presb.

Pariſiis, apud Ludovic. Rullandum, 1693. in 8. Alphab. 4. plag. 3.

PLus inter eruditos famæ atque exiſtimationis dudum meruit doctiſſimus Thomaſſinus, quam ut noſtra qualicunque commendatione apud eos nunc opus habeat. Extat præclarum ejus & duraturum Dogmatum Theologicorum opus. Nec minore doctorum approbatione exceptus fuit elegans de Diſciplina Eccleſiaſtica tractatus, pari nitore, pari doctrina & apparatu conſcriptus. Et ſufficere quidem poſſent iſta, cum aliis ingenii fœtibus quibusdam, ad perennem clariſſimo viro conciliandam memoriam, poſtquam ipſe non ita pridem rebus mortalibus fuit ereptus. Verum non contentus ſeipſum virum eruditum orbi exhibuiſſe, alios quoque ſui ſimiles efficere ſtuduit, quibus viam ad ſolide tractanda ſtudia ſua præire voluit. Fecit iſtius rei jam ante annos aliquammultos initium, in methodo quam Poetas verſaturis ſapienter præſcripſit; parique ratione, quomodo Hiſtorici tractandi ſint, in præſenti opere oſtendere ſategit, ita tamen ut Oratorum etiam, ubi tulit occaſio, mentionem facere non neglexerit.

In duos Tomos totum opus abit, quorum quilibet libros tres, qui in ſua iterum ſubdividuntur ſive capita ſive ſectiones, complectitur. Et liber quidem primus tomi prioris de conſtitutione magnorum
c. I. mundi imperiorum agit, in cujus prioribus capitibus de antiquiſſima mundi forma, & quidem in ſpecie de ejus creatione, contra gentilium nonnullos ex gentilibus itidem ſcriptoribus agit, & Ægyptiorum imprimis vanitati reſpondet, qui antiquitatis ſuæ faſtidioſi jactatores, terram ſuam, Nili limo fœcundatam, primam omnium animalia produ-
c. II. xiſſe nugantur. Alias inde creationis circumſtantias, geſtave nonnulla eam ad diluvium uſque inſecuta, profanorum ſcriptorum autoritatibus

tatibus communivit. Sic Serpentis ſeductoris hiſtoriæ veſtigia interpretatur, quæ apud profanos ſcriptores de ſerpentum incantamentis occurrunt. De ſcriptis quoque antediluvianis, ut & de gigantibus, quorum Geneſ. VII mentio, nonnulla affert, quæ cum aliis quamplurimis memorare ſuperſedemus. Cum autem regulam generaliſſimam principiumque quaſi primum, in omnis hiſtoriæ lectione ante oculos habendum, eſſe exiſtimet illud, quod duæ veluti in mundo reperiantur civitates, Dei altera ſive piorum, altera vero Dæmonis ſeu impiorum, in quorum illa charitatis, in hac vero concupiſcentiæ regnum vigeat, ſemper ſibi adverſæ invicem, & ab ipſis mundi incunabulis in Caino & Abele repræſentatæ; generalia quædam præcepta danda eſſe vidit, quibus in omni hiſtoria regnum charitatis a regno concupiſcentiæ diſcernatur. Diſſerit inde de gemino Scripturæ ſenſu, & chronologicis hiſtoriæ antediluvianæ difficultatibus, in quibus explicandis licet Hebraicum textum Græcæ LXXII Seniorum verſioni præferendam ducat, illum tamen etiam ſuis non carere obſcuritatibus oſtendit, quarum cauſis quibusdam allegatis, eum tandem inde uſum in nos redundare exiſtimat, ut ignorantiæ noſtræ convicti humiles eſſe diſcamus. Poſt iſta rerum diluvio poſteriorum exorditur hiſtoriam, cujus initium facit a geſtis Noe & filiorum, de quibus gentilibus etiam nonnulla innotuiſſe oſtendit. Babyloniorum hic, Ægyptiorum, Sicyoniorum, Argivorum, Phœnicum, Athenienſium itidem regni exponit initia, & cur regium titulum neglexerint principes civitatis Dei viri, qualis Abraham & ſucceſſores, regia licet poteſtate inſtructi, explicat, quorum geſta præcipua uſque ad terræ promiſſæ occupationem hoc loco perſequitur. Tum vero primi inter quatuor magna mundi imperia hiſtoriam aggreditur, quod Aſſyriorum fuit, cui Medicum imperium quaſi innectitur; unde rationem paulo poſt reddit, cur ad Cyri uſque tempora Aſſyrium appellatum fuerit. Sub prima hac Monarchia maxime ſibi invicem implexas Dei & Dæmonis civitates, nec unquam magis illam ab hac quam eo tempore oppreſſam fuiſſe obſervat; qua in re quod Dei fuerit ſapiens conſilium, quantum licet menti humanæ, aſſequi allaborat. Jam ubi ad Perſarum, quæ vulgo dicitur, Monarchiam pervenit, recte Auguſtinum ſtatuiſſe contendit, qui duas tantum proprie ſic dictas Monarchias admiſit, Aſſyriorum nempe & Romanorum. Perſas enim & Græcos non tam novam Monarchiam ſtabiliviſſe, quam continuaſſe vete-

p. 18. c. III. c. IV. c. V. c. VI. p. 77. c. VII.

ſe veterem illam Aſſyriorum ait, ſiquidem Darius Medus & Cyrus, Balthaſaro interfecto, non mutata veteris imperii ſede, tanquam illius ſucceſſores ſeſe geſſerint; quod poſtea Alexander etiam fecerit, ita ut in aliam ſolum familiam translata ſumma poteſtas fuerit, non novo imperio auſpicia data: quod & ante Darium & Cyrum in Aſſyria, & poſt eos in Romana Monarchia ſæpe contigerit, quæ tamen propterea ita aboleri, ut novæ monarchiæ locum darent, creditæ non fuerint. Equidem fatetur, non admodum favere huic opinioni profanos hiſtoricos, ſufficiunt tamen ei argumenta ſua, quibus etiam accedit Ottonis Friſingenſis calculus, ut partes Auguſtini non deſerendas eſſe exiſtimet. Interea Medorum & Perſarum hiſtoriam proponit, comparatis ſemper inter ſe invicem ſacris & profanis de ea monumentis, & obſervatis diligenter iis, quæ civitati Dei ſub illis terreſtris civitatis Mo-
c. VIII. narchis contigerunt. Inde ad Græcam Monarchiam procedit, aliaque imperia quæ ejus ævo exorta fuerunt, qualia fuere Parthicum & alia, ut & Rerumpublicarum, quæ ſub illis præcipue floruere, deſcriptionem
c. IX. X. & fata, Lacedæmoniorum puta, Romanorum & cæterarum, ita tamen ut Reipublicæ Judaicæ ſub Maccabæis & Aſmonæis tum paulum re-
c. XI. ſpirantis, potiſſima ratio habeatur. Ad Romanorum autem poſtquam pervenit imperium, ſolicite Dei in eo ſtabiliendo & ita efformando, ut
c. XII. civitatis Dei incrementis inſerviret, conſilia expendit; quod poſtquam feciſſet, de Phœnicum & Carthaginienſium imperio paulo ſpecialius ſibi agendum eſſe ideo putavit, quod paulo plus commercii nationibus illis cum Judæorum populo interceſſerit; qua occaſione de coloniis Phœnicum, quibus Carthaginem etiam accenſet, non tantum quædam proferendi occaſionem nanciſcitur, ſed de Atlantide quoque apud Platonem, Ariſtotelem & Diodorum Siculum adeo celebrata, ut & aliis nonnullis nec inutilibus lectu nec inamœnis. Quæ
c. XIII. inde ſequuntur, eo fere pertinent, ut manifeſtum faciat, quid primum eo adduxerit mortalium mentes, ut de imperiis conſtituendis cogitarent, & quomodo ea ſenſim ſenſimque creverint. Occaſionem nimirum illis dedere efferati hominum poſtdiluvianorum mores, quibus compeſcendis Heroes illorum temporum quantum poterant terrarum ſpatium obibant; unde ortæ nobis Herculis, Bacchi, Oſiridis &
c. XIV. aliorum fabulæ, quibus quid veri inſit, indicat. Inde ſenſim aliqua imperii forma exſurrexit, quæ tamen vix patriam dominationem ſub initi-

initium rigore ſuperaret. Eorum autem, qui imperia affectabant, ſcopum non tam fuiſſe propriæ potentiæ incrementum, quam ut nationes ſubjugandas morum rectitudine imbuerent, ipſius Alexandri Magni, in cujus laudibus prolixiſſimus eſt, exemplo oſtendit; idemque de Romanæ Monarchiæ primis autoribus perſuaſum nobis eſſe cupit, quorum pleraque geſta, quæ huc tendere ipſi viſa fuerunt, colligit, & quæ obſtare ſententiæ ſuæ poſſe videbantur, apte declinat. Ita ut nihil fere hoc loco omiſerit, quod ad laudes Imperii Romani quacunque ratione faceret. c. XV. c. XVI. XVII. XVIII. XX. XX.

Et hæc quidem abſolvunt librum primum. In libro ſecundo de Religione Hiſtoricorum profanorum agit. Eos itaque ſolum verum DEUM Angelorum ſuorum miniſterio omnia gubernantem, adeoque Imperia quoque vel dantem vel auferentem agnoviſſe, licet fortunæ vel fati nomine eum quandoque appellaverint, allatis Herodoti, Thucydidis, Xenophontis, Dionyſii Halicarnaſſæi, Plutarchi & aliorum teſtimoniis aſſertum it. Imo eandem Principum & Regum quoque utplurimum fidem fuiſſe, Auguſti & Hadriani ex Dione, aliorum vero antiquiorum exemplis e Livio confirmat. Ut autem manifeſtior res illa evadat, Pudicitiæ, Virtutis, Fidei, Pacis & aliorum hujusmodi Numinum nominibus, non alium niſi verum DEUM eos intellexiſſe oſtendit, ad quem adorandum naturali inſtinctu ferebantur, ſuperſtitione vero seducti ſub variis formis eum colebant. Jam ut ulterius Religio profanorum Hiſtoricorum pateat, eorum teſtimoniis oſtendit, nihil magni momenti geſtum a veteribus fuiſſe, non impetrato prius precibus Deorum favore, quo omnia proſpere evenirent. Naſcitur hic forte de Imperatoribus loquendi occaſio, qui Chriſtum, cætera gentiles, aliquo honoris cultu proſequebantur, & quam parum mirandum id ſit, inde oſtenditur, quod gentilis quoque ſuperſtitio adſperſa habuerit veritatis de DEO incarnando ſemina. Laudatur præterea, ita ferente orationis materia, gentilium Hiſtoricorum mos, quo ad religionem ſpectantia ſemper monumentis ſuis immiſcuerunt, quem plane exoleviſſe inter Chriſtianos Hiſtoricos clariſſimus Autor dolet, qui diſplicere ſibi fatetur, ita ab eccleſiaſtica civilem hiſtoriam hodie ſeparari, quaſi nefas ſit aliquid ad illam pertinens intrare hiſtoriæ civilis corpus. Sed ad inſtitutum redeundum. De auguriis itaque, auſpiciis, ſomniis & oraculis, antequam ad rem gerendam accederent, a veteribus ſolicite c. I. II. c. III. c. IV. c. V.

captatis, agere pergit. Ubi iterum inſtinctum naturalem a ſuperſtitione, qui eum corrupit, diſtinguit, illiusque rectitudinem populi Dei exemplis comprobat. Non vero hoc loco ſolum de variis expiſcandi futura modis inter gentiles receptis, ſed etiam de Judæorum oraculis, qualia Urim & Thumim, agit, quæ ideo inter eos tandem ceſſaſſe ait, ut rebus temporalibus deſpectis, incertos etiam rerum futurarum eventus patienter ferre diſcerent.
c. VI. Interea fraudes etiam exponit, quibus corrumpere oracula inter gentiles homines aſtuti ſolebant, qui ut rebus ſuis inſervirent, enuntiare oracula faciebant, quicquid vellent; quod factum eſſe ab Alexandro Magno, Lyſandro & aliis quam plurimis oſtendit.
c. VII. VIII. Hinc vero de honore ſacerdotio & iis quæ ad illud pertinent rebus habito loquitur, & de poteſtate illi conceſſa, quam magnam non minus inter gentiles quam Judæos fuiſſe docet, collatis paſſim inter ſe utrorumque circa hæc legibus & inſtitutis. Ut vero finem tandem tra-
c. IX. ctationis de Religione Hiſtoricorum faciat, duo adhuc de illis proponit capita, alterum quid de animæ immortalitate ſtatuerint, cujus doctrinæ ab Hebræis hauſtæ ſucceſſionem inter gentiles oſtendit;
c. X. alterum vero quomodo morti ſe præparaverint ſecundum illos magni inter veteres homines, ubi plurima exempla Heroum, qui in hoc agone maxime fuere conſpicui, congeſſit.

c. I. Jam in libro III moralem Hiſtoricorum profanorum philoſophiam examinat. Incipit ibi a virtute religionis, quam exacte ex illis deſcribit, illaque occaſione de adorationis cultu, quem Regum nonnulli, v. g. Alexander M. ſibi vindicarunt, prolixe agit. De quo, an ut mere civilis conſiderari poſſit, in Alexandro inprimis, quem divinum affectaſſe faſtigium certum eſt, merito dubitat.
c. II. Ad hanc virtutem refert omnia, quæ pro patria fortiter geſta narrantur, cum ad Deos omnino qui in patria colebantur, ea referri videantur; quod ſpeciatim eorum exemplo, qui pro patria ſe devovebant, Deciorum & aliorum morem ſecuti, oſtendit. Illi enim patriam pro habitaculo Deorum religionisque ſanctuario habentes, Diis ſeſe immolari cenſebant, ſi pro patria ſacrificarentur.
c. III. Hinc autem pergitur ad virtutes, quæ ad nos ipſos pertinent, initio ab humilitate facto, quam ubi variis modis, præcipue vero miſeriæ humanæ contemplatione, ab Hiſtoricis inculcari oſtendiſſet, con-
c. IV. ſectario quaſi inde deducto ex illis oſtendit, quam nulla præſentis vitæ ſine virtute expectanda ſit felicitas. Ad reliquas inde virtutes morales acce-

acceſſit, easque exemplis & teſtimoniis ex Hiſtoricis petitis proponit, ita ut iſta ſyſtematis moralis, e dictis & factis ſapientum concinnati, loco fere eſſe posſint. c.V. uſque ad XXI.

Sufficiant iſta de tomo primo. Secundum auſpicatur a libro quarto, qui politica Hiſtoricorum profanorum principia complectitur. De iis acturus primo loco Theocratiam antiquisſimam eſſe imperii inter homines formam oſtendit, quam inter Iſraelitas non tantum viguiſſe, ſed a Platone quoque intellectam & commendatam fuiſſe probat. Imo omnes legiſlatores ad hanc reipublicæ formam collineasſe ſtatuit, qui propterea etiam divinitus datas leges ſuas eſſe utplurimum finxerint. Quamvis vero neminem Theocratiam illam in ſuam rempublicam feliciter adeo ac Moſen introduxiſſe dicat, illum tamen etiam longisſime Chriſtum ſuperaſſe ait, quem denique perfecte DEI Monarchiam ſtabiliviſſe, & civitate ſua divina, omnes Platonis de republica perfecta ideas ſuperaſſe declarat. c. I. Interim Theocratica quadam imperii forma gaviſas fuiſſe exiſtimat omnes illas Italiæ urbes, quibus ex Appiano philoſophos & quidem Pythagoricos præfuiſſe conſtat. Cum autem Appianus illo in loco, quo id tradit, minus idoneos ad reipublicæ gubernacula philoſophos eſſe ſtatuat, ejus ſententiam ex inſtituto refutat, aliaque quamplurima de philoſophorum imperio, quo Lacedæmonem quoque & Romam quandoque adminiſtratam fuiſſe ait, obſervat. c. II. Hinc de triplici imperii ſtatu, præcipue vero Monarchico, quem ipſe quoque omnium excellentisſimum facit, loquitur. Hunc tamen etiam periculoſum eſſe, niſi aliquid Theocratiæ illi miſceatur, Herodoti, Dionyſii Halicarnaſſæi & aliorum allatis autoritatibus oſtendit. Simulque etiam de aliis formis mixtis agit, quarum præclarisſima quæque exempla e veteribus Hiſtoricis adducit, in perfectisſima Monarchia & Theocratia Chriſti iterum deſinens. c. III. Jam porro quæ fundamenta ſint imperiorum e veteribus Hiſtoricis oſtendit, beneficentia nimirum, vigilantia, induſtria, frugalitas, & temperantia; quas virtutes maxime omnium illuſtres in fundatione imperii Jeſu Chriſti & Eccleſiæ ejus eſſe demonſtrat. c. V, VI. Inde vero regulas a viris principibus & πολιτικοῖς obſervandas proponit, & quales amicos, quales miniſtros, quales ipſos denique eſſe Principes oporteat oſtendit, ita ut quartus hic liber idem in politicis præſtet, quod in moralibus tertium præſtare diximus, dum præceptis ſalubribus dicta præclara & exempla moventia ubique junguntur. c. VII. VIII. uſque ad XXVII.

 Maxi-

Maximi momenti eſt, qui nunc ſuccedit liber V. In eo enim tam Patrum Eccleſiæ quam profanorum Hiſtoricorum comprehenduntur meditationes, quas ſummorum imperiorum ſtatus atque mutationes
c. I. in iis excitavere. Sub initium autem ſtatim duo Imperia ſive civitates duæ, Dei nimirum & Dæmonis, Chriſti & mundi inter ſe contenduntur, quantave ſit eorum diſparitas, dum in hac ſpiritus dominationis, in illa beneficentiæ obtinet, oſtenditur, idque etiam ſimul ex Auguſtino præcipue edocetur, quid Princeps Chriſtianus a Gentili differat, & quo-
c. II. III. modo legitimum imperium comparatum eſſe debeat. Pariter, quid bona & mala, quæ in Chriſtiana & Gentili Republica eveniunt, inter ſe diſtent, ob oculos ponitur; ubi ſimul diſcrimen inter Judæos, Chri-
c. IV. V. ſtianos & Gentiles patefit. Nullam inde veram rempublicam fuiſſe, præterquam Chriſtianam, ex ipſis Platonis Ciceronisq; definitionibus, Hiſtoricorumve profanorum effatis oſtenditur: in ea enim ſola regnare juſtitiam, verumque virtutis ſtudium florere; cum contra falſæ gentilium virtutes, imo umbræ virtutum, quales eas fuiſſe prolixo & eleganti diſcurſu evincitur, aliam quam vitioſam rempublicam conſtituere haud potuerint. His ita præmiſſis, reliqua omni hujus libri parte id ſibi
V c. I. VII. propoſitum habet clariſſimus Autor, ut oſtendat, profanos quoque Hi-
VIII. ſtoricos in rerum eventibus veritatum Chriſtianarum ſemina indagaſſe. Initium facit ab iis, quæ de conditione omnis humani faſtigii ſapienter fuere philoſophati, dum ſcilicet familias, imperia & urbes fatales ſuas temporum periodos ſive ætates habere obſervarunt. Qua occaſione non de ætatibus urbis Romanæ tantum in ſpecie, e Floro, Vopiſco & aliis docte diſputat, ſed de mundi quoque ætatibus & ſenectute ex Auguſtino nonnulla profert. Prolixus imprimis eſt in hac conſideratione, illuſtres magnorum regnorum, exercituum, urbium viciſſitudines atque ruinas undiquaque conquirens, cum nihil conſideratione iſta ſit
c. IX. X. aptius ad inculcandum vanitatis mundanæ contemtum; quem augere ulterius nititur eleganti conſideratione, quam parum utilitatis, quam multum contra vanitatis habuerint ſemper magnæ quoque victoriæ, triumphi, trophæa, quæ nihil plerumque veræ gloriæ, ſed eam ſolum
c. XI. XII. quam hominum ſimplicitas illis ineſſe credit, ſecum trahant. Contra quantas vaſtationes ediderint in perniciem generis humani nati ambitioſi Principes, ut imperia ſua ſtabilirent, ob oculos ponit, quos tamen non ſine Numine illa omnia effeciſſe putat, cujus providentiam in con-

ſtitu-

ſtituendis malis & bonis Principibus, ex Auguſtino, Seneca & aliis rimatur. Nec vero hic prætereunda ſunt ſaluberrima monita, quibus Tyrannorum hujusmodi, turpiſſimis nonnunquam obſcœnitatibus conſpurcatorum, hiſtoriam tractaturos inſtruit, ne plus inde interrimenti forte quam commodi capiatur. Quibus propoſitis, & addito de inviſibili quidem, ſed potentiſſima Dei gubernatione, qua ille efficacius etiam quam ipſi Reges, de rebus humanis diſponit, diſcurſu, huic quinto quoque libro finem imponit. c. XIII.

Sextus liber integer de divitiis & ſtructuris magnificis, veterum ſcilicet imperiorum monumentis agit, eorumq; vanitatem fragilitatemq; oſtendit. Videas hic licet Babyloniæ expoſitam magnificentiam, Ecbatanarum ſplendorem, Perſarum gazas, Ægypti obeliſcos, & quicquid denique ſuperbum, magnum & venerabile, ad parandam ſibi apud poſteros memoriam, Græcorum Romanorumque Principum ambitio excogitavit; quæ tamen omnia illuſtribus ruinis hodie involuta ita jacent, ut præter famam nihil fere de iis ad poſteros pervenerit. Sane meretur triſte iſtud vanitatis mortalium rerum ſpectaculum cominus aſpici; eminus enim repræſentari non aliter, quam ſolent res e longinquo, hoc eſt magna ſui parte diminutum, poteſt. Quamobrem nos ſuperficiaria iſtiusmodi atque remota nimis repræſentatione ſuperſedere malumus, Lectorem noſtrum, ut propius iſtud apud ipſum Autorem intueri velit, hortati. c. I. c. II. III. c. IV.

SANCTI LAURENTII AD PUTEUM, PRESBYTERI & Martyris, Novarienſium Apoſtoli, agnomento Melliflui, Homilia de Chananaa.

Mediolani ex ædibus Ghiſulphianis, 1692. in 4. plag. 4.

LAurentii Novarienſis homilias duas, unam de pœnitentia & alteram de eleemoſynis, jam ante annum 1559 editas fuiſſe, colligi poteſt ex literis Lucæ Contilis ad Gulielmum bibliothecæ Pontificiæ Præfectum d. 30 Nov. anni 1558 exaratis, in quibus refert, Academiæ Veneræ Laurentii Novarienſis tractatum de pœnitentia & eleemoſynis ab Anguiſciola oblatum fuiſſe, ut iterata editione elegantius imprimeretur. Factumne id tum fuerit, quod Anguiſciola a Venetis deſideravit, cum ignari ſcimus. Id tantum novimus, quod duæ illæ Laurentii homiliæ a Margar. Bignæo A. 1579 in Appendice Bibliothecæ Patrum iterum

editæ, & ab eo tempore in omnibus, quæ prodierunt, Patrum Bibliothecis recuſæ, & præterea A. 1615 Novariæ in Novaria ſacra Caroli a baſilica Petri Epiſcopi Novarienſis impreſſæ fuerint. Homiliam autem de muliere Cananæa in Analectis ſuis tomo 2 Johannes Mabillon vulgavit, quæ nunc iterum viri clariſſimi Lazari Auguſtini Cottæ ſtudio lucem publicam adſpexit, qui ſtatim in ipſo limine obſervat, hanc ipſam homiliam Franc. Jureto, Jul. Cæſ. Bulengero & Franc. Amayæ non incognitam fuiſſe, ex quibus abunde colligi poſſe dicit, quod hæc homilia jam ante annum 1598 alicubi edita & publici juris facta fuerit. Autorem autem trium illarum, quas diximus, homiliarum non ſexto, ut vulgo traditur, ſed quarto ſeculo floruiſſe, nec Epiſcopum ſed Presbyterum fuiſſe aſſerit, referens, quod primi Novarienſium Epiſcopi Gaudentii magiſter fuerit, & A. 363. d. 30. Aprilis una cum pueris, quos baptiſmo initiatos in urbem reduxerat, in campo candido extra mœnia gladio percuſſus & in puteum projectus, martyrii gloriam obtinuerit. Varia deinde Scriptorum de Laurentio Novarienſi teſtimonia colligens, quid Sigebertus, Poſſevinus, Miræus, Mabillonius, Oudinus & quidam alii de hoc Laurentio tradiderint, exponit. Imprimis vero Joſephi Mariæ de Novaria Capucini de harum homiliarum autore judicium ſubnectit, qui non ſolum in vitis Gaudentii & Laurentii, quas ſub Philippi Balioti nomine vulgavit, de hoc Laurentio ejusque ſcriptis nonnulla retulit, ſed etiam, cum novam hanc homiliæ de muliere Cananæa editionem parari intelligeret, peculiarem admonitionem addi voluit, qua imprimis vulgarem & a pleriſque hactenus probatam de hoc Laurentio ſententiam refellit. Cum enim vulgo ſtatuatur, Laurentium Mellifluum, homiliarum ſuperius recenſitarum autorem, Novarienſem & poſtea Mediolanenſem Epiſcopum fuiſſe, & ab Ennodio Ticinenſi laudari, illiusque ætate vixiſſe, Baliotus hunc Laurentium non epiſcopali infula ſed martyrio decoratum, priusque e vivis ſublatum cenſet, quam Novarienſis Eccleſia Epiſcopos haberet. Argumenta quibus Mabillonius vulgarem ſententiam confirmavit, diſcutit, & cum Mabillonius Laurentium in homilia ſua de pœnitentia ita loqui dicat, quaſi eam ſolis humani arbitrii viribus tribuere videatur, hanc etiam Mabillonii ſententiam impugnat. Cæterum Baliotus homiliam Laurentii de pœnitentia Luciferiano ſchiſmati oppoſitam, & homiliam de eleemoſyna in eorum gratiam, qui per Conſtantii edictum in exilium

miſſi

miſſi & ad paupertatem redacti fuerant, habitam ſuſpicatur. Homiliæ autem de Cananæa, quæ noctu in Foro, ſeu, ut Baliotus interpretatur, in aula palatii recitata fuit, Conſtantii miniſtros interfuiſſe conjicit, in quorum gratiam hæc a Laurentio verba prolata notat: *ſi* (Chriſtus) *minor eſt Patre, quomodo dicit: fiat tibi, ſicut vis*. Cum autem hoc argumentum contra Arianos cito abrumpatur, homiliam hanc iſto loco mutilam, & librariorum culpa quædam excidiſſe cenſet; quemadmodum & verba quædam de publicanis exciderunt, quæ in hac editione ex Jureto ſuppleri videas.

APPARATUS AD BIBLIOTHECAM MAXIMAM VETERUM Patrum & antiquorum Scriptorum Eccleſiaſticorum Lugduni editam, Opera Dom. NICOLAI LE NOURRY, *Presbyteri & Monachi Ordinis S. Benedicti e Congreg. S. Mauri. Tomus I. de Scriptoribus primi Eccleſiæ ſeculi.*

Pariſiis apud Johannem Aniſſon, 1694. in 8. Alph. 1½.

INter Scriptores ad hiſtoriam eccleſiaſticam utiles præcipuum quendam locum Patres ſibi vindicant, quorum ſcripta partim ſeorſim, partim cum aliorum ſcriptis conjuncta prodierunt. Nam, ut de variis Patrum collectionibus occaſione præſentis operis accuratius paulo diſſeramus, prodiit Baſileæ A. 1528 *Johannis Sichardi* ſtudio Antidotum contra diverſas omnium ferme ſeculorum hæreſes, in quo varia Patrum Græcorum & Latinorum ſcripta Latine, excepta Procli ad Armenos epiſtola, quæ etiam Græce in hoc volumine legitur, exhibentur. Sichardum imitatus *Henr. Petri* ex officina ſua Baſileæ A. 1550 Micropresbyticon ſeu veterum quorundam Theologorum, qui aut tempore Apoſtolorum, aut non multo poſt vixerunt, ſcripta partim Latine, partim Græce & Latine vulgavit, de ſingulis, qui in hoc Micropresbytico continentur, ſcriptoribus breviter præfatus; ſed in eo, ut hoc obiter notemus, hallucinatus, quod tres Maximos, nempe Maximum, qui ſub Commodi & Severi imperio floruit & ab Hieronymo in Catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum c. 47 memoratus eſt, & Maximum Taurinenſem a Gennadio Maſſil. in Catal. Scr. eccleſ. commendatum, & denique Maximum Monachum & Martyrem, cujus centuriæ 4 de charitate in hoc Micropresbytico exhibentur, in unum conflavit. In quo errore prævium

vium habuit Vincentium Opſopæum, qui in ſua præfatione ad Maxi-
mi centurias, tres illos Maximos ſimiliter confudit. In eadem urbe Ba-
ſilea *Joh. Heroldus* A. 1555 ſub Orthodoxographorum titulo 76 Au-
ctores in unum volumen collectos, & juxta temporum, quibus vixe-
runt, ordinem diſpoſitos vulgavit, & poſtea A. 1556 etiam Hæreſiolo-
giam ſeu ſyntagma veterum Theologorum tam Græcorum quam Lati-
norum numero 18, qui graſſatas in Eccleſia hæreſes confutarunt & præ-
cipua Theologiæ capita tractarunt, publicavit. Nova vero Orthodo-
xographorum monumentorum editio *Joh. Jac. Grynæi* ſtudio Baſileæ
A. 1569 prodiit, 85 ſcriptores complexa. Scripta veterum Latina de
una perſona & duabus naturis Chriſti adverſus Neſtorium, Eutychen
& Acephalos olim edita collegit, & annotationibus ſuis illuſtrata Ti-
guri A. 1571. vulgavit *Joſias Simlerus*, qui etiam narrationem veterum
& recentium controverſiarum de una perſona & duabus naturis Chri-
ſti eo imprimis conſilio ſubjecit, ut Calvinianos a Neſtorianiſmo ab-
ſolveret, & Lutheranos Eutychianiſmi poſtularet. His & ſimilibus alio-
rum exemplis incitatus *Margarinus Bignæus*, ſeu de la Bigne, Bibliothe-
cam Patrum, in qua longe majorem Patrum numerum collegit, appa-
ravit. Et prima quidem hujus Bibliothecæ editio in octo tomos dige-
ſta Pariſiis A. 1575 lucem publicam adſpexit, partim *Gregorio XIII* Ro-
mano Pontifici, partim Henrico III Regi Galliæ dedicata. Quibus 8
tomis idem Bignæus poſtea A. 1579 variorum opuſculorum appendi-
cem adjecit. A. autem 1589 altera hujus Bibliothecæ Patrum editio iti-
dem Pariſiis in IX tomos digeſta & Sixto V conſecrata prodiit, de qua
Poſſevinus in Apparatu T. 2. p. 63. & ſq. agens, inter alia monet, & pri-
mam & ſecundam hujus Bibliothecæ editionem ſalva conſcientia reti-
neri non poſſe, cum index Magiſtri S. Palatii plurima in hac Bibliothe-
ca corrigenda notaverit. Intelligit autem per Magiſtrum S. Palatii Jo-
hannem Mariam Braſichellenſem Ord. Præd. & Polinianum ſeu Po-
lymnianenſem in Regno Neapolitano Epiſcopum, cujus Index Expur-
gatorius A. 1607 ex typographia Cameræ Apoſtolicæ emiſſus, inter alia
ſcripta Bibliothecam Patrum Margarini de la Bigne non primam ſolum,
ſed etiam ſecundis curis emendatam, etſi ea a Facultate Pariſienſi ap-
probata, & trium inſuper Theologorum, Gilb. Genebrardi, Franc. Feu-
ardentii & Joh. Dadræi elogio præmunita foret, plurimis in locis ex-
purgari juſſit; neque mitior in hanc Patrum Bibliothecam fuit Index
Expur-

Expurgatorius Sandovallianus, qui Madriti A. 1612 & Genevæ A. 1619 prodiit. Nam Dorſcheus in epiſtola dedicatoria Theologiæ ſuæ Zachárianæ ſupra centum Patres nominat, quos index Sandovallianus in Bigneana Patrum Bibliotheca modo caute legendos, modo emendandos decernit. Cum autem Poſſevini aliorumq; Pontificiorum conſcientiæ teneriores eſſent, quam ut primam & ſecundam Bignæi editionem tolerari poſſe judicarent; A. 1609 tertia prodiit, cujus auctarium A. 1610 adjectum duobus tomis conſtat, quorum unus Scriptores de divinis officiis, qui ab Hittorpio editi fuerant, alter varia Patrum opuſcula continet. Verum quemadmodum prima Bignæi editio ſecundæ præferenda eſt, cum in ſecunda Nicolaus Clemangius & alia quædam opuſcula Romanæ Eccleſiæ minus grata omiſſa fuerint; ita ſecunda editio tertiæ præferenda, quia tertia juxta indicem Joh. Mariæ Braſichellani caſtigata ſeu potius peſſime corrupta fuit. Tres iſtas Pariſienſes Patrum Bibliothecas excepit Colonienſis, quæ A. 1618 prodire cœpit, in 14 tomos primum digeſta, quibus poſtea A. 1622 appendicis inſtar tomus 15 acceſſit. Et hæc Patrum Bibliotheca alio plane ordine quam Bigneana procedit. Cum enim in Bigneana Bibliotheca commentariorum, homiliarum, aliarumque certarum claſſium Scriptores nulla temporis ratione habita conjuncti fuerint; Colonienſis editio Patrum ſcripta juxta ſeculorum ordinem exhibet. Hæc Colonienſis editio cum anteriores, & majori ſcriptorum copia, & concinniori ordine quodammodo obſcurare videretur, Pariſienſes ad æmulationem incitati novas Patrum Bibliothecas ediderunt. Nam A. C. 1624 Pariſiis, *Frontonis Ducæi* ſtudio adjuti, Bibliothecam Patrum & multorum librorum acceſſione & duobus tomis Græco-Latinis auxerunt, in quibus varii Autores Græci, qui in Bigneana Bibliotheca, ut & in Colonienſi Latine tantum prodierant, utraque lingua editi comparent, adjectis ad calcem utriusque tomi notis in quosdam ſcriptores duobus his tomis comprehenſos, quæ partim a Frontone Ducæo, partim ab aliis quibusdam viris doctis ſcriptæ ſunt. Quibus 2. tomis Græco-Latinis poſtea etiam appendicem Poetarum Græcorum Chriſtianorum adjectam fuiſſe, nonnulli Bibliothecarum catalogi indicant: quin etiam in Sluſiana Bibliotheca Auctarium Græco-Lat. Pariſiis A. 1631 editum & in 4 volumina diſtributum memoratur. Cum autem adhuc plurimi Colonienſem Bibliothecam Pariſienſibus anteponerent, *Ægidius Morellus*

anno 1639 auctarium ſive ſupplementum Bibliothecæ Patrum Pariſiis vulgavit, quod in 2 tomos diſtributum, plurimorum Patrum opuſcula in prioribus editionibus deſiderata exhibet: & primus quidem tomus ſupra 50, ſecundus autem, etſi mole non minor, 14 tantum ſcriptores exhibet; quo auctario Morellus ſe effecturum ſperabat, ut in poſterum Pariſienſis Patrum Bibliotheca palmam cæteris præriperet. Neque tamen Morelli ſtudium in Bibliothecam Patrum ſingulare hoc auctario edito quievit, ſed A. 1644 totam Patrum Bibliothecam in XVII tomos diſtributam ex officina ſua exire juſſit; quam editionem poſt decennium A. 1654 trium aliorum Bibliopolarum Pariſienſium impenſis iterum alia editio in totidem tomos diſtributa excepit, quam Boſio ignoratam Sluterus in Propyl. p. 69 miratur; verum eam Boſio ignoratam non miramur, cum Labbeus in Gallia vivens, ex quo Boſius ſua hauſit, eam ignoraverit; niſi forte hæc editio, quæ in tomorum numero cum Morelliana convenit, etiam in ſcriptorum numero & ordine a Morelliana nihil differt, ideoque Labbeo indigna viſa eſt, quam peculiariter enumeraret. Sane noviſſimæ illi Patrum Bibliothecæ inſertum non deprehenditur auctarium novum Græco-Latinorum Patrum Bibliothecæ, quod in 2 tomos diſtributum jam ante ſeptennium, nempe A. C. 1648, Pariſiis ediderat *Franciſcus Combefiſius*, cujus auctarii tomus primus ſcripta quædam exegetica, ſecundus dogmatica & hiſtorica continet, quibus etiam notas ſuas paſſim Combefiſius adjecit. Idem vero Combefiſius poſtea A. 1672 etiam auctarium noviſſimum, ut appellat, Bibliothecæ Patrum Græco-Lat. edidit, quod in 2 partes diviſum varia variorum Patrum opuſcula, quoad maximam partem antea nondum edita, cum Combefiſii verſione Latina & notis exhibet. Ultima denique Patrum Bibliotheca Lugduni anno Chriſti 1677 prodiit in 27 tomos digeſta & mere Latina; cujus primus tomus varios indices continet; ſecundus & ſequentes varia Patrum ſcripta juxta ſeculorum ordinem ad Colonienſis Bibliothecæ exemplum exhibent. Ultimus autem tomus non Scriptores Sec. XVI, ut non nemo aſſeruit, ſed partim Scriptores quosdam in prioribus tomis omiſſos & ad varia ſecula pertinentes, partim Scriptores quorum ætas ignoratur, & nonnullos Anonymos complectitur. Synopſin Autorum, qui in ſingulis hujus Bibliothecæ tomis exhibentur, Propylæo ſuo *Sluterus* inſeruit; Autores autem, qui Lugdunenſi huic Bibliothecæ acceſſe-

ceſſerunt, & in Colonienſi non reperiuntur, indicat *Daumius* in præfar. ad lect. quæ præmiſſa eſt Hieronymi diſputationi ad Chriſtianam inſtitutionem utiliſſimæ, in qua præfatione etiam plurimos Autores indicat, quibus Lugdunenſis Bibliotheca augeri potuiſſet; in qua & hoc reprehendit, quod Evagrius de vitioſis cogitationibus ſemel T. 5, & iterum T. 27 inſertus fuerit; cujusmodi vitium etiam in Pariſienſi Bignei Bibliotheca deprehenditur. Nam in ſecunda ejus editione unus idemque liber de Trinitate, in uno eodemque tomo, ſemel ſub Gregorii Bætici, & iterum ſub Fauſtini nomine comparet.

Itaque ne ſic quidem abſolutum adhuc vaſti laboris opus, neque ſatis adhuc ab erroribus cautum eſt. Quod animo perpendens *Nourrius*, celebratiſſimæ toto orbe Benedictinorum Pariſienſium Societatis haud infimi ſubſellii membrum, de emendandis Bibliothecæ Patrum erroribus & ſupplendis quæ deficiunt cogitavit; novamque adeo, ut in præfatione teſtatur, ejus editionem molitus eſt. Conſtituerat vero lucubrationes Patrum omnes, quæ nec majoris molis, nec notæ ſuppoſitionis eſſent, typis novis excudere, illasque ad codices prius editos & manu exaratos caſtigare, aliasque iis ex Spicilegiis, Miſcellaneis, Analectis & ceteris hujus generis collectionibus ſelectas adjungere, imo quasdam hactenus etiam ineditas ſuperaddere: Græcas inſuper Græce & Latine evulgare: & quæ ad illuſtrationem aut enodationem textus a Billio, Petavio, Cotelerio, Sirmondo, Baluzio, Mabillonio aliisque obſervata ſunt, adjicere: præmiſſa unicuique operi ſua peculiari præfatione, ſynopſin ejus, γνησιότητα, ſcriptionis tempus, & quicquid ad certum de illo ferendum judicium pertinet, oſtenſura. Cum vero propoſitum iſtud viris doctiſſimis, cum quibus id communicaverat Nourrius, majoris molis videretur; aliique ſelectam potius Bibliothecam Patrum optarent, quæ omiſſis grandioribus, volumen ſeu magnum ſeu mediocre per ſe conficientibus, exigua ſolum, γνήσια, multoque uſu probata veterum ſcripta exhiberet: alii vero Apparatum ad Bibliothecam Patrum hucusque deſideratum, & a Lugdunenſis editionis curatoribus ſine exſolutione promiſſum, neceſſarium tamen maxime, ſuaderent; his poſterioribus demum ceſſit. A quo inſtituto nulla ſe difficultate operis abſterreri paſſus eſt, ſed quemadmodum in edendo ſplendidiſſime Ambroſio (qui in Actis noſtris A. 1687 p. 64 recenſitus eſt) una cum ſocio laboris Do-

mno Jacobo du Friſch (nunc præmature multo cum luctu Nourrii defuncto, poſtquam per biennium operibus S. Gregorii Nazianzeni emendandis omnem induſtriam adhibuiſſet) deſudavit: ita ne in hoc ſuo Apparatu quicquam deſideretur, omni ſtudio contendet. Suaſorem operis & impulſorem præcipuum laudat Illuſtriſſimum Abbatem *Bignonium*, ingenti ſtudio litteras atq; litteratos foventem. In ſubminiſtrandis vero ſibi codicibus illuſtriſſimi *Tellerii* Abbatis eruditiſſimi atque Bibliothecæ Regiæ præfecti, ac Colbertini chartophylacis celeberrimi *Baluzii* benevolentiam expertum ſe fatetur, ſicque pergit ad diſſertationes Apparatus ſui, opera Patrum primi Eccleſiæ ſeculi certis criterii legibus ſubjicientes.

Prima generalis eſt, & varia quaſi præliminaria delibat: cau-
pag. 2. 3. ſam, cur tam pauca primi ſeculi ſcripta ſervata ſint: ingenia Scripto-
rum, ſtudia, occupationes & occaſiones ad ſcribendum: hæreſium tum
4. generalem ortum, tum ſpeciale uniuscujusq; diſtinctis capitibus inſti-
tutum examen. Inter alia Simonis Magi hæreſin exponens in ſtatuam
ipſi, ſi Juſtino M. fides, erectam incidit, eaque in re S. Juſtinum erroris
10. non temere poſtulandum exiſtimat: cum probandum adhuc ſit, baſin
ſub Gregorio XIII inventam eandem eſſe cum ea, de qua S. Pater lo-
quitur. Ceterum Valeſium in eo notat, quod præter Doſitheanam &
11. Gorthenam hæreſes, Simoniana vetuſtiores, alias quoq; crediđiſſe vi-
deatur. De Nicolaitis agens ambigit, utrum Nicolao Diacono ortus
29. hæreſis adſcribendus ſit, quod Irenæus facit, cujus ſententiam omni-
mode repudiandam non cenſet. Inde utilitatem doctrinæ de antiquis
30. hæreſibus demonſtrat, quamque illa partim doctrinam orthodoxæ
Eccleſiæ e rejectis erroribus patefaciat, partim ad ſcripta priſcorum Pa-
trum intelligenda viam ſternat, omnino haud abs re monet. Poſt hæ-
reſes in antiquitatem ſcholarum Chriſtianarum inquirens, poſtquam
in aliquot N. T. locis veſtigia earum perluſtraſſet, quæ tamen non usq;
31. adeo certa fatetur, ex *Euſebio* H. E. l. V. c. 10. probari poſſe perſua-
ſus eſt, Scholam S. Literarum Alexandriæ ab ipſo S. Marco Ev-
34. angeliſta fundatam, quippe quam Euſebius ſeculo II commemorans
jam a priſcis temporibus floruiſſe dicat.

His ita præſtructis pergit ad ipſa ſeculi I. monumenta, ea ſemper methodo uſus, ut primo ſynopſin ſcripti, de quo acturus eſt, exhibeat: tum quæ circa auctorem ejus & γνησιότητα in utramque partem

moneri

moneri poſſunt, ſedulo adducat: porro varias variorum editiones
atque obſervationes recenſeat: demum & ipſe novas quasdam, ut vo-
cat, obſervationes addat. Liturgiis itaque, quæ ſub Apoſtolorum no-
mine circumferuntur, Diſſertationem II. impendit. Et ſub initium
ſtatim falſus, juxta pleroſque cum antiquos tum recentiores, Apoſto-
lorum Liturgiam nonniſi ſimpliciſſimam fuiſſe, ſola oratione Domini- 39.
ca, & forte verbis S. Cœnæ inſtitutionis circumſcriptam; rejicit eorum 42.
opinionem, qui duplici Liturgiæ genere uſos Apoſtolos tradunt, uno
breviſſimo, tempore perſecutionum adhibito, altero longe prolixiori,
quo uſi fuerint, cùm per otii intervalla liceret: quæ diſtinctio, ipſo judi-
ce, plus ſubtilitatis quam ſoliditatis habet. Liturgiam autem, quam Juſti-
nus Martyr Apologiæ ſuæ medio II ſeculo Imperatoribus ethnicis ob-
latæ inſeruit, cùm S. Pauli verbis 1. Cor. XI. ea de re præſcriptis certiſſi- 44.
mam fore regulam confidit, juxta quam examinari tutiſſime Jacobi, Pe-
tri atq; Marci, quæ feruntur, Liturgiæ poſſint. Rejicit proinde Liturgiam 47.
Jacobi, non ſolum quod *ὁμοούσιος* vocem trina vice exhibeat; quod
τρισάγιον Sanctus Deus, Sanctus fortis &c. medio demum ſeculo V na- 49.
tum inſertum habeat, & quæ alia aliorum argumenta ſunt: ſed præci-
pue, quod a Liturgiis S. Pauli atque Juſtini vehementer diſcrepet; id 53.
quod facta collatione oſtendit, atque adeo pſeudepigrapham eam eſſe
concludit: genuinam illius ætatem non ante pacem Eccleſiæ per Con- 56.
ſtantinum redditam quæri poſſe profeſſus. Eadem ratione examina-
tas Petri Marcique Liturgias inter ſuppoſititia collocat.

Longe vero diverſum de Epiſtola Barnabæ, quam Diſſertatione
III. expendit, judicium fert. Illam ſcilicet omnino genuinam perſua- 73. ſqq.
ſus, argumenta in contrarium allata ſtrenue ſibi refutanda ſumit: ſpe-
ciatim quoque Stephani le Moyne conjecturis reſpondet, quas adhuc
a nemine confutatas exiſtimat, (nempe quod celeberrimi Cavei Hi-
ſtoriam Literariam non vidit:) & quidem præcipuum ejus argumentum
de morte Barnabæ Hieroſolymorum everſionem antegreſſa omnino
eſſe incertiſſimum demonſtrat, quum in omni antiquitate nullum ejus 80.
aſſerti fundamentum ſit; neque vero quicquam prohibeat, quo minus
& videre Barnabas deſtructionem urbis, & in ſua epiſtola memorare
potuerit. Ceterum obſervationes Moynii ob nimiam prolixitatem a 86.
propoſito alienam carpit, atque eruditionem viri docti (quam non
contemnit) prudentiori judicio ac locis aptioribus collocandam fuiſſe

87. cenſet. Cum eodem paulo poſt, aliisque nonnullis Chriſtiana, ut ait,
libertate (loco novarum obſervationum) expoſtulat de confidentia
illorum, qui Barnabam aliosque Scriptores veteres ob plures Veteris
Teſtamenti locos de Meſſia myſtice explicatos arguant. Nihil hac
accuſatione iniquius Nourrius noſter putat, cum Apoſtoli, queis Chri-
ſtus ſcientiam Scripturarum aperuerat, ſuis eandem diſcipulis absque
dubio communicarint: quapropter hi, quos inter & Barnabas, novis
interpretibus longe præferendi ſint. Cavere hinc inconſideratos Pa-
trum, quos vocat, accuſatores non ſine indignatione jubet, ne vano
88. litteralis ſenſus, quem ubique venditent, prætextu a littera occidente
percuſſi, in cœcitatis errorem, quem aliis temere inurant, ipſimet pro-
labantur. Non minus ægre fert, quartum Esdræ librum a Moynio
cenſoria virgula percuſſum, & ad ſuam in Ambroſium de Bona
Morte admonitionem provocat, in qua ſe aliud longe demonſtraſſe
credit. Barnabam Hermas excipit, de cujus Paſtore IV. Diſſertatio
diſquirit. Hunc librum itidem genuinum, & omnino a diſcipulo
Pauli (nequaquam Pii I. P. R. fratre, ut nonnulli falſo exiſtiment) ſcri-
ptum adſtruit, & ab argumentis, quæ in contrarium afferri ſolent, vin-
dicatum it. Præcipue ad id argumentum, quod ex Hieronymo, ſtulti-
108. & 119. tiæ librum Hermæ condemnante, *quod ſcriptum in eo ſit, quendam
Angelum nomine Tyri præeſſe reptilibus*, deſumtum eſt, reponit, Hiero-
nymum in corruptum codicem incidiſſe, ex quo auctoris mentem
cognoſcere non potuerit: arbitratum nempe, Angelum, quem Her-
mas reptilibus præeſſe ſcribit, Tyrum vocari; cum Hegrin legendum
ſit, eaque vox non Angeli, ſed beſtiæ illius, quæ Hermam præteriit, no-
men exiſtat. Ita enim vulgarem Hermæ lectionem: *Miſit Deus An-
gelum ſuum ſuper beſtiam, cui nomen eſt Hegrin*, e Colbertino quodam
codice emendat: *Miſit Dominus Angelum ſuum ſuper beſtiam, cujus*
120. *nomen eſt Hegrin.* Nimirum beſtiæ nomen Hegrin tribui, facta ad
Pſ. 79, 14. alluſione, ubi Pſaltes queritur: *μονιὸς ἄγριος ſingularis*
118. *ferus vineam depaſtus eſt.* Ad locum alium Hermæ, ubi mortuos Apo-
ſtolos iis, qui apud inferos erant, nomen Filii Dei prædicaſſe dicit, hæ-
ſitabundus Noſter de morte ſpirituali omnia explicari vult; ita ut
Apoſtoli, quoad veterem hominem defuncti, mortuis ignorantia & in-
credulitate gentilibus prædicaſſe intelligantur. Poſt Hermam ita vin-
dicatum Diſſertatione, V. Hiſtoriam Prochori de S. Johanne, & Diſſ.
VI. Lini

VI. Lini de Paſſione Petri & Pauli relationem non tam examinat, quam adulterinas eſſe poſt tot alios confirmat.

Omnium vero prolixiſſima eſt Diſſertatio VII, de Ignatianis 136.
epiſtolis fuſe ſingula pertractans: cui præfixit Auctor ad ordinem, quo ſe mutuo excipiunt, eo facilius noſcendum, tergeminam ſeriem epiſtolarum, prout nempe diverſa ratione in editione Uſſerii, Voſſii, & in Bi- 139.
bliotheca Patrum locantur: tum e duobus, quos tum ad manus habuit, Colbertinis codicibus, Græco uno, altero Latino, idem facit. In 140.
ipſa autem diſſertatione, formato ante omnia quæſtionis ſtatu, & ſub- 147.
juncta VII epiſtolarum analyſi, varias variorum circa eas ſententias breviter exponit. Uſſerii Voſſiique fidem in editione Ignatii collaudat, eaque majorem neminem deſideraturum ait: Salmaſii, Blondelli, 149.
Hammondi, Dallæi atque Pearſonii mutuas diſceptationes recenſet, ultimo præſertim æquiſſimus, quem in ſuis Vindiciis tanta claritate & ſinceritate epiſtolarum veritatem adſtruxiſſe judicat, quanta confuſione Dallæus omnia turbare tentarit. Quam male vero res votis Lar- 150.
roquani, deſperatæ Dallæi cauſæ nova diſputatione opitulaturi ceſſerit, a ſe demonſtrandum ſumit. Noſtrum non eſt, argumenta Dallæi cum reſponſionibus prolixa recenſione exhibere: ſed cum pleræque e Pearſonio petitæ ſint, Lectorem eo remittentes illorum potius nonnulla attingemus, quæ Larroquani exceptionibus noſter le Nourry reponit. Ad labefactandam Origenis Ignatium allegantis auctoritatem 167.
Dallæus & Larroquanus Homilias in Lucam pſeudepigraphas magno niſu contendunt, idque potiſſimum Larroquanus novo & invicto ſe argumento ex Euſebii Hiſt. Eccl. l. VI. c. 36. probaturum confidit; ubi ſcilicet Origenes ante ſexageſimum vitæ annum a notariis ſuas ad populum homilias excipi paſſus non eſſe dicitur: jam cum communiter Origenem Homilias in Lucam juvenem adhuc ſcripſiſſe tradant, ſatis putat hoc Euſebii loco iſtud refelli Larroquanus. Aſt ridet Nourrius novam hanc ejus perſpicaciam, cum Euſebius nihil ob- 174.
ſtet, quominus vel ipſe Origenes juvenis homilias manu propria ſcribere potuerit, vel alii invito Origene eas transſcripſerint. Alia vero mens ipſi de Homiliis in Canticum Canticorum eſt, e quibus alterum 177.
pro Ignatianis epiſtolis teſtimonium hauritur. Quamvis enim Homilias iſtas haud ſpernendis rationum ponderibus Origeni aſſeri poſſe fateatur, alibi tamen, in Admonitionibus nempe ad Ambroſium, obſervaſſe

ſervaſſe ſe ait, totum id opus nil aliud Caſſiodoro videri, qu amuſarum Origenis in Cantica Homiliarum ab Hieronymo Latine redditarum amplificationem. Ex internis contra Epiſtolas Ignatianas argumentis maximum illud eſt, ex epiſtola ad Magneſianos petitum, ubi Χριστὸς λόγος ἀΐδιος οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθὼν, manifeſto ſuppoſitionis indicio, videtur Valentinianis poſt Ignatium demum ortis opponi. Silemus vero, quæ ad id a Viris doctis Hammondo, Pearſonio atque Bullo dudum reſponſa ſunt, non Valentinianis ea verba, ſed Ebionitis opponi; quæque recenſet atque ab exceptionibus Larroquani vindicat Nourry: potius novam ipſius verborum Ignatii explicationem
228. proferemus. Putat nimirum, eam ob cauſam λόγον οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθόντα dici, quod Ignatius in ea epiſtola duplex myſteriorum Chriſti genus ſtatuat: unum obſcurorum, in tenebris & ſilentio patratorum, qualia Mariæ virginitas, partus, & mors Domini, quæ proinde latuiſſe Diabolum ac τρία κραυγῆς μυστήρια ἐν ἡσυχίᾳ Θεοῦ πραχθέντα ab Ignatio dicantur: alterum genus luminoſorum, quæ ſuo fulgore ſplendeant, quale eſſe myſterium æternæ τοῦ λόγου generationis credit Nourrius, dudum nempe ab antiquis V. T. Patribus annunciatum, ad quos Ignatius digitum intendat, & forſan ad illud Pſaltis Pſ. 119, 5. *in ſplendoribus ſanctorum ex utero ante luciferum genui te;* quaſi nempe Verbum æternum ex æterno Patris ſinu non in ſilentio, vel ulla tenebrarum obſcuritate, ſed in ſplendoribus ſanctorum progrediens innuatur. Quodnam futurum ſit eruditorum de explicatione judicium, & annon myſterium generationis æternæ morte Domini, & virginitate Mariæ longe abſtruſius ſit, noſtrum definire non eſt: illud ſolum obſervamus, verba Ignatii de tribus myſteriis ἐν ἡσυχίᾳ Θεοῦ πραχθεῖσι in alia prorſus epiſtola, nempe ea quæ eſt Epheſios, reperiri. Quæ porro Auctor pro vindicanda epiſtolarum genuinarum auctoritate affert, quæ item de interpolatore, deque ſpuriis; quæ de utrarumque editionibus ac obſervationibus in easdem ſcriptis prodit, ſtudio prætermus. E novis Nourrii obſervationibus eam ſeligemus, quæ de codicibus Ignatii MNS. agit. Hos vero ad unum omnes magnis defectibus laborare oſtendit, ne Uſſerianis quidem atque Florentino exceptis, quorum priores barbaram verſionem pluribus in locis corruptam ſiſtant: poſterior tota ad Romanos epiſtola truncatus ſit, cui tamen defectui ſuccurrens Theod. Ruinartus epiſtolam eam una

una cum ſinceris martyrii Ignatiani Actis Græce e Colbertino codice in lucem protraxerit. Et omnino ita eſſe, nos ipſi etiam Supplem. T. I. p. 601, cum Acta Martyrum Ruinarti recenſeremus, monuimus. Ceterum obſervari meretur, quod poſt factam accuratiorem Græci textus cum antiqua verſione collationem deprehendimus, & deprehenſuri ſunt alii, non adeo puram eſſe epiſtolam ad Romanos e Colbertino codice vulgatam, quin in multis purgari adhuc a corruptionibus & interpolationibus opus habeat.

Poſt Ignatianas, Polycarpi epiſtolam Diſſertatione IIX vindicatam 303.
offendimus. Carpit Auctor iterum Le Moynium, quod tam ſtrenuus partis prioris propugnator, poſteriorem Polycarpo abjudicet. De loco autem 1. Joh. IV, 3. quem Polycarpus, prout hodie legitur, adducit, obſer- 307.
vat, illum a Socrate non in eo ab hæreticis corruptum dici, quod pro λύει Ἰησοῦν, μὴ ὁμολογεῖ, poſuerint, ſed quod integram illam ſententiam abraſerint. Nona Diſſertatione Martialis epiſtolas recenſet ac rejicit, nullius omnino eas momenti faſſus; quarum ante ſeculum XII nul- 315.
la mentio, & quæ non ſcriptæ ſint niſi ab homine Lemovicenſis Eccleſiæ antiquitatem quo jure quaq; injuria aſſerturo. Prolixa Diſſertatio X. paucis a nobis innui magis quam recenſeri opus habet, quippe quæ de ſcriptis Dionyſii Areopagitæ ita ſe gerit, ut utriusque partis argumenta cum reſponſionibus & exceptionibus fuſe ſatis exponat, non celata Auctoris ſententia, quæ ad Antiareopagiticos, ut vocat, inclinat: ſibi 386.
enim ait probabiliſſimum videri, ſcripta Pſeudo-Dionyſii intra A. 431 & 451, id eſt, duas œcumenicas ſynodos Epheſinam & Chalcedonenſem, ab auctore turbatæ Eccleſiæ opitulaturo primum ſcripta, non ſtatim tamen viſa omnibus, vel probata, ſed ſenſim ſenſimque; donec in Collatione Conſtantinopolitana A. 533 demum innoteſcere cœperint & ad omnium pervenerint notitiam. Ceterum, quum in eadem de 329.
Dionyſio diſſertatione Auctor Lutheri a Sorbona, ob rejecta Pſeudo-Dionyſii ſcripta, proſcripti meminit, in eo fallitur, quod damnationis decretum hactenus ineditum tradit: nam & eo ipſo anno, quo cuſum eſt, 1521 Coloniæ cum Appendice Hochſtrateni prodiit, & in Lutheri Tomum II. Jenenſem Lat. relatum eſt; ut alias editiones taceamus. Dionyſium excipiunt Diſſert. XI. Recognitiones Clementis, quibus varii ab auctoribus & in MStis tituli præfiguntur. Aliquando enim vocantur 422.
Clementis Recognitio, Clementis Itinerarium, liber Itinerarius Præ-

dicationis Petri, Clementis Geſta, vel Hiſtoria, aut Chronica, vel
Narratio: nonnunquam vero Petri Periodi, vel Circuitus, vel Itine-
412. rarium, vel Acta appellantur. Dubitat vero Auctor, an Dialogi S. Pe-
tri cum Apione, quorum, ut Clementi ſuppoſitorum, apud Euſebium
H. E. l. III. c. 38. mentio fit, iidem cum libris Recognitionum ſint,
eorumque pars poſterior, quod Valeſio viſum. De eo autem, quod
Recognitiones Clementi ſuppoſitæ ſint, prorſus non dubitat: potius
420. nil in toto opere ſanum, ſed omnia corrupta eſſe, omnia depravata
agnoſcit. Scriptas exiſtimat ante II. ſeculi medium, idque inde con-
firmat, quod Bardeſanes Syrus prolixum ex iis fragmentum in
ſuum adverſus Marcionem librum transtulerit, qui ſub Soteris Ponti-
ficatu ſcriptus ſit. Quemadmodum vero notum eſt ex ipſius Ruffini
teſtimonio, non omnia illum, prout in Græcis repererat, transtuliſſe, &
præſertim fragmentum de ingenito genitoque Deo omiſiſſe: ita Nour-
rius obſervat, Cotelerium, qui e ſex MSS. codicibus novam Recogni-
421. tionum editionem ſtruxit, fragmentum illud pene totum e tribus eo-
rum codicum reſtituiſſe: cujus proinde ſtudium iterum commendat,
iterum tamen & digreſſiones improbat.

Ultima Diſſertatio Patrum Opera expendit, quæ in Appendicem
Tomi I. rejecta ſunt. Inter ea primo loco Hiſtoria Ariſteæ occurrit,
quam a Judæo quodam, cæco religionis amore incenſo, non diu ante
Chriſti nativitatem ſcriptam, quod Humphredus Hody vult, Nourrius
443. ſq. non concedit, cum Philo eam pro genuina habuerit, non id facturus,
ſi adeo recentem ſciviſſet. Neque illud Hodio largitur, effictam
poſt Chriſtum natum ab Helleniſta quodam aliam Ariſteæ hiſtoriam a
priori diverſam, in quam Epiphanius inciderit: ſed reſpondet, Epipha-
nium non Ariſteæ verba adducere, ſed ſuo ſtylo tradere, quæ ex Ari-
ſtea, Joſepho aliiſque, nonnunquam forte memoria lapſus in medium
449. proferenda conſultum duxerit. Dubius autem in vera ejus ætate aſſi-
gnanda eſt. Non item de Teſtamento XII. Patriarcharum dubitat, quod
omnino reſpuit. Tandem ad Sibyllina carmina delatus, pauciſſima
eorum ait ſincera, & integra: ſed exſtitiſſe tamen genuina quædam
485. iſtiusmodi vaticinia negari non poſſe putat, ex quibus nempe antiquiſ-
ſimi Eccleſiæ Patres Chriſtianæ religionis veritatem adverſus paganos
invicte aſſeruerint ac tutati ſint. Edita vero adulterina cenſet, a va-
riis, forſan & recentiore manu compacta. Diſſertationi monitum de

Be-

Beroſi Hiſtoria Ante-Diluviana ſubjunctum eſt, quod vero nihil aliud innuit, quam Gasparem Varrenium in Cenſura libri ejus Romæ 1565. edita & in Bibliothecis Patrum recuſa, νοθείαν ejus argumentis invictis demonſtraſſe. Exinde veterum de Epiſtola Barnabæ & Hermæ Paſtore teſtimonia ſtudioſiſſime conquiſita ſiſtuntur: tandem copioſiſſimus rerum index colophonem Apparatus tomo primo imponit, cujus ſuccedaneos avide nunc expectamus. 486.

CASPARI BARTHOLINI THOM. FIL. DE FONTIum Fluviorumque Origine ex Pluviis Diſſertatio Phyſica.

Haffniæ Anno M DC LXXXIX. Conſtat plagulis V. in 8.

ETſi divinum eſt effatum per Eccleſiaſten, *omnia flumina intrare mare, & mare non redundare; ad locum unde exeunt, flumina reverti, ut iterum fluant*, de modo tamen, quo id fiat, varie a Philoſophis diſputatum eſt, utrum ſcilicet ex pluviis & ſolutis nivibus oriantur; an ex mari, velut ex magno aquarum theſauro, per varios telluris vel poros, vel anfractus deriventur; an utraque ratione, ex mari nimirum, tam circulatione quadam ſuperiori per nubes, quam inferiori per ſecretiores quosdam mœandros in intimis terræ viſceribus originem trahant. Auctor clariſſimus unicam illam fontium fluviorumque ex pluviis originem in hac Diſſertatione demonſtrandam ſuſcepit. Primo itaque aſſerit, continuis evaporationibus adſcendere particulas aqueas, quæ in nubibus condenſatæ decidant iterum in ſuperficiem globi terreni, ejusque partes tamdiu penetrent, per poros in ſtratis terrenis vel arenaceis patentes, occultis itineribus ſe inſinuando, donec aliud diverſæ naturæ ſtratum, a quo ſiſti poſſunt, occurrat: ex his collectis aquis exſurgere rivos, ex rivulis pluribus, qui ex diverſis fontibus concurrunt in unum communem alveum, flumen. Deinde occupatur in explicandis illis telluris ſtratis, quæ in exteriore ejus parte deprehendimus, & rupturas examinat, quæ variis illis inæqualitatibus, alveis & fiſſuris, in ejus ſuperficie occurrentibus occaſionem dederunt. Quod prius attinet, obſervat, cruſtam terrenam exteriorem non ubique ejusdem naturæ inveniri, ſed alicubi eſſe lapidibus aſperam, alicubi arenoſam atque ſterilem, humori retinendo ineptam, alibi vero pinguem

& fertilem, utpote quia ſale nitroſo & pingui gravida eſt, & ab humore facilius ſolvi poteſt, cujus eſt tenacior, ut margæ diverſæ ſpecies, quæ prout admixtos habent ſuccos minerales, coloresque & ſapores varios, ita & varias facultates medicas nactæ ſunt. Iſta autem terrarum genera ita plerumque mixta eſſe, ut veluti diverſa quædam ſtrata ſibi invicem incumbant, eaque, quia conveniunt cum aliis ſtratis, quæ aqua turbida deponit, haut inconvenienter dici poſſe efformata ab inundationibus aquarum, quæ diverſis temporibus acciderunt. Rupturam, quod poſterius eſt, in terra factam, ſitumque ſtratorum varie mutatum probat, quia in quorundam montium vertice ingentia ſunt plana & multa ſtrata horizonti parallela, a quorum lateribus ſtrata varia ad horizontem inclinata, & in oppoſitis collibus ruptorum ſtratorum facies materiæ & figuræ omnimodam convenientiam demonſtrent. Iſtam autem rupturam fieri potuiſſe ait, vel ab ignibus ſubterraneis, vel ab aquis, prout diverſa fuerit telluris natura. Ex his itaque apparere, mutatum ſtratorum ſitum cauſam fuiſſe inæqualitatis, quæ in terrena ſuperficie occurrit; illas autem inæqualitates locum dediſſe coacervationi aquarum in mari, ſtagnis & fluviis: diverſitates autem illas & interruptiones ſtratorum occaſionem dediſſe fontibus. Etenim, prout e diverſis terrarum generibus ſtrata conſtent, ita & diverſimode eadam pluviis penetrari, aut has ab illis ſiſti: nimirum per arenoſum ſtratum facillime transire aqueas particulas; per ſtrata lapidea autem, aut argillacea, aquæ particulas non transmitti, ſed ſiſti. Quando igitur percolationi aquæ pluvialis, per ſtratum terrenum vel arenaceum deſcendentis, reſiſtat ſubjectum lapideum vel argillaceum ſtratum, atque ſimul occurrat ruptura coacervationi aquæ opportuna, fontes generari. Ita quosdam fontes e medio montium erumpere, quibus ortum dederit aqua pluvialis per ſtratum arenaceum & lapidei etiam ſtrati fiſſuras viam inveniens, donec in medio montis occurrat aliud, a quo plane ſiſtatur, ſtratum; adeoque ita collectam tamdiu ſtagnare, donec naturali ſua gravitate viam ſibi faciat, exitumque inveniat per rimas lapidum: atque dum alii æſtu exſiccantur, hujus generis fontes maxime eſſe perennes. Præterea animadverti vult, licet in editis locis interdum obſerventur fontes, nunquam tamen occurrere in locis ita elevatis, quin adſit alius tractus terræ elevatior, a quo ſuppeditari poſſit ſufficiens aquarum copia, a pluviis ibi antea collecta. Qua ſua ſententia

ſententia expoſita, aliorum Philoſophorum opiniones rejicit: *I.* Ariſtotelis, ex aëris ſubterranei vaporoſi concretione originem fontium deducentis: *II.* Carteſii ex evaporatione aquarum ſubterranearum fontium ortum petentis: *III.* Becheri, fontium generationem adſcribentis condenſatis in terra vaporibus, ab ipſo terreno centro prodeuntibus: *IV.* Kircheri, Schotti, aliorumque, oriri fontes ex aquis marinis per canales ſubterraneos adſcendentibus, aſſerentium: *V.* Ploti & Sturmii mixtam opinionem foventium, ſtatuendo periodicos quidem, & per vices creſcentes atque decreſcentes fontes ex pluviis, ſed perennes ex aliis cauſis oriri. His diſputatis, objectionem adverſariorum ſolvit, per pluvias ſufficientem aquarum copiam omnibus fontibus ſuppeditari non poſſe, contrarium demonſtrans ex experimento, quod celebris Gallorum Mathematicus *Marriotte*, in libro de *Motu fluidorum*, in Supplementis horum Actorum Tom. I Sect. III. pag. 1, 1. recenſito, attulit. Nimirum libero cœlo expoſuerat vas aliquod quadratum, cujus diameter erat circiter duûm pedum, in ejusque fundo canaliculus, aquam illam pluvialem in vaſe exceptam porro deducens in adjunctum aliud vas cylindricum, ubi facilius menſurari potuit aquæ per pluvias quotidie deſcendentis copia. Illud autem primum vas ita erat diſpoſitum, ut nullas aliunde exciperet aquas, niſi illas ſolum, quæ immediate in illam ejus patentem capacitatem deciderent. Atque illud ita integro anno continuatum experimentum confirmavit, pluvias ad ſeptendecim pollicum altitudinem toto anno delapſas eſſe, pluriumque deinde annorum experientia ejusdem veritatem evidentem deprehendit. Atq; ex illa facta obſervatione ſupponit Mariotte, aquæ globum terrenum toto anno irrigantis quantitatem eſſe ſolum ad quindecim pollicum altitudinem, factoq; calculo cum iſta aquæ quantitate, quæ illum tractum terræ, unde ortum ducit Sequana Galliæ fluvius, per pluvias quotannis inundat, cum illa, quæ ex ipſius calculo iterum quotannis per eundem fluvium delabitur, & in mare ſe exonerat, manifeſto & haut dubie juxta Bartholinum noſtrum evincit, tertiam ſolum partem delabentis pluviæ abunde ſufficere omni iſti aquæ quantitati, quæ quotannis per fontes atque fluvios ſuppeditatur: atque ita, licet ſupponamus, pluviarum unam tertiam partem ſtatim iterum per vapores elevari, alteram vero tertiam partem abſumi in humectanda terrena cruſta, & locis ſubterra-

neis, tamen extra dubium erit, non defecturos fontes, quibus abunde ſufficiat tertia aquæ pluvialis pars in terra relicta, ejusque poros & canales in diverſis ſtratis diverſimode penetrans. Et ſi loco quindecim pollicum, ad quorum altitudinem in iſto ſuo calculo ſupponit quotannis colligi pluvias, ſumat octodecim pollices (quemadmodum alius Auctor Gallus fatetur, ſe ad novendecim usque pollices aquæ altitudinem in eodem experimento deprehendiſſe) certe, ſupputato calculo animadvertit, octies majorem eſſe illam aquæ quantitatem, quæ quotannis per pluvias terræ circumjectæ ſuppeditatur, quam illam, quæ iterum per Sequanam redditur mari. In fine hujus Diſſertationis contenta in compendium contracta repetuntur.

SUAVILUDIUM MUSARUM AD SEBETHI RIPAM; ſeu Epigrammatum Libri X. JACOBI LUBRANI.

Neapoli ex typographia Jacobi Raillard, 1690. in 8.
Conſtat Alphabeto uno & plag. 1.

QUantumvis Epigrammata male aliquibus audiant, & tum impudentiæ, tum dicacitatis accuſentur; quemadmodum & negandum non eſt, Martialem in hoc carminum genere principem, malæ linguæ, quam ipſe Epigrammatis tribuit, nimium indulſiſſe, a Mureto propterea ſcurræ ſpurciſſimi nota inuſtus; quin & Catullum longe liberiori calamo uſum, quam mores pudici vel probare vel ferre poſſint, quippe cui perinde fuit & lepide loqui & impudice: Auctoris tamen noſtri id fuit inſtitutum, ut, ſicuti Religioſorum ordini adſcriptus eſt ipſe, & per quadraginta annos concionibus habendis fuit intentus, poeſin ſuam & caſte & pudice excoleret. Unde nati ipſi Epigrammatum libri X, in quibus & ſacra & profana, ſeria & jocoſa, ſtylo acumine non deſtituto proſequitur; ſecutus imprimis, quos laudat, ſuæ Societatis viros, Bahuſium, Bidermannum, Sgambatum, & alios. Ut vero ejus ſcribendi ratio lectoribus pateat, lubet prægustum aliquem ei uno vel altero exemplo offerre.

Lib. I. Epigr. V. De Pariſio ſordidiſſimo.

Pariſius ſemper pluviæque & pulveris hæres,
Illuſam tunicam fert ſaturamque luto;

Seu

Seu pedibus metitur iter, curruve citato,
Sive ſedens in equo, vel rate ſordidus eſt.
Fruſtra Alpes ſuperare per ardua nitar; in uno
Pariſio poſſum cernere Lutetiam.

Libr. IV. Epigr. c. II. iſtud præfert Epitaphium.

Quæ jacet hic Helene forma, Lucretia voto:
Numinis aligeros non niſi paſſa procos:
Non multum eſt oculis pulcrum placuiſſe, ſed ingens
Tarquiniis caſtam diſplicuiſſe decus.

PHILIPPI ZEISOLDI LOGICA SACRA TRIPARtita, ſecundum edita.

Francofurti & Lipſiæ, apud Joh. Herebordum Kloſium, in 4. A. 1689. Conſtat alphab. 12 plag. 13½.

QUantopere de ſacris literis ſtudioque exegetico ac philologico meritus ſit edita in lucem publicam Philologia Sacra maximi vel ob id nominis Theologus, B. Salomon Glaſſius, id ſane adeo in vulgus notum eſt, ut ulteriori noſtra commemoratione neutiquam indigeat. Iſtud ſaltem aureo huic operi adhuc deeſſe videbatur, quod Auctor ad exemplum a ſe conſcriptæ Grammaticæ Rhetoricæque, Logicam quoque Sacram, aliorum procul dubio negotiorum mole obrutus concinnare non potuerit. Interim cum in ſolida dictorum Scripturæ expoſitione inſignem utique a Logica utilitatem ſperari poſſe nemo ambigat, laudes eo majores debentur Philippo Zeiſoldo, Eccleſiæ, dum viveret, Gölnizenſis Paſtori ac Diœceſeos Altenburgenſis Adjuncto, quod defectum hunc ſupplere induſtria perquam accurata ſtuduit. Quicquid enim peculiare ſacer Codex habet, quod e Logica illuſtrari poſtulat, id omne prolixiſſimis hic obſervationibus exponere inſtituit. Plurima autem commentatus jam tum fuerat de ſubjecto, prædicato, copula, & nonnullis ſignis ſub Logici & Theologi conſiderationem cadentibus; multas de orationibus & enunciationibus ſacris, præſertim Novi Teſtamenti, deque particulis rationalibus & ſyllogismis in Scriptura deprehenſis obſervationes ſcripto conſignarat, cum laborem ad finem prope perductum rapacitas ignis una

una cum reliqua ipſius ſupellectile libraria in præſentiſſimum rei litterariæ detrimentum abſorberet, pertinaciſſimosque multorum annorum labores in cineres redigeret. Atque actum certe de his lucubrationibus fuiſſet, niſi ſolers Viri induſtria, Jo. Chriſtfriedi Sagittarii monitis tunc excitata, laborem univerſum iteraſſet, cujus fructus poſtea ſacrarum literarum ſtudioſis propinabantur, cum A. 1677 Geræ imprimi hoc opus curaret Lipſienſis Bibliopola, Chriſtianus Meisnerus. Ex illo autem tempore crevit indies utilis hujus inſtituti æſtimium, adeo, ut poſt paucos annos officinæ librariæ defectum libri, plurimorum tamen votis expetiti, ſenſerint. Nata hinc occaſio ſecundæ hujus editionis, quam ſua Præfatione, Logicæ in ſacris uſum, prout is ab aliis quoque ex inſtituto oſtenſus fuerit, declarante, auctiorem reddidit celeberrimus hodie Lubecenſium Præſul, D. D. Auguſtus Pfeifferus, cui etiam viginti Logicæ Sacræ Canones præmiſſi debentur. Sed indices quoque auctorum, qui in hac Logica citati fuere vel refutati, rerumque ac verborum locupletiſſimi adjecti ſunt, quorum, cum primum prodiret hic liber, nuſpiam nec vola nec veſtigium apparuit.

INDEX ALPHABETICUS RERUM ET LOCORUM OMNIUM memorabilium ad Annales Cardinalis Baronii.

Opus poſthumum Em. & Rev. Cardinalis de LAURÆA.

Romæ, typis Bernabó, 1694. in 4. Alph. 3. pl. 6.

NIſi Orbi Erudito aliunde conſtaret de Eminentiſſimi, dum viveret, Cardinalis de Lauræa eruditione, vel præſens hic Index comprobare eam, ac indefeſſum Viri in ſtudio literarum laborem commendare abunde poſſet. Hinc enim videre eſt, quanta induſtria vaſtiſſimum illud Annalium Baronianorum Opus perlegerit, ac in ſuccum velut ac ſanguinem converterit: cujus tamen lectionis fructu ut uberiore omni vitæ ſpatio frueretur, Alphabeticum hunc Indicem concinnare non eſt gravatus. Quem tametſi ſuis tantum ipſius uſibus deſtinaverat, invidere tamen nec aliis voluit, eoque & typographi & R. P. Bartholomæi Comando S. Theologiæ Magiſtri Ordinis Minorum Conventualium perpetuique Parochi Baſilicæ Sanctorum de Urbe, precibus id dedit, ut typis eum exſcribi permitteret. Quominus vero ipſe opus abſolutum conſpiceret, mors interceſſit, quæ die ultima Novembris anni 1693 Cardinali obtigit. Unde & poſthumum opus in ipſo titulo appellatur.

* * *

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA,

Tom. II. Sect. XII.

EVOPLIA FIDEI CATHOLICÆ ROMANÆ HISTORICO-DOGmatica, ex vetuſtiſſimis Syrorum, ſeu Chaldæorum monumentis eruta. Autore FAUSTO NAIRONO Banenſi Maronita, Chaldaicæ ſeu Syriacæ linguæ in Almæ Urbis Archigymnaſio Profeſſore.

Romæ typis Congregationis de Propaganda Fide, 1694. in 8.
Conſtat Alphab. 1, plag. 8.

ORientalium Eccleſiarum cum Romana conſenſum demonſtraturus Autor clariſſimus, variorum Scriptorum editorum pariter ac imprimis ineditorum teſtimoniis utitur. Nam ex quarto ſeculo, ut ineditorum quos allegavit præcipuos nominemus, Jacobum Niſibenſem, Ephremum, Jſaacum Syrum, & Balai, quos omnes ſanctis annumerat; ex quinto Jacobum Baradæum ſeu Zanzalum autorem catecheſeos Jacobitarum, Marutam Epiſcopum Tagritenſem, Severum Patriarcham Antiochenum acerrimum Monophyſitarum defenſorem, & Johannem Darenſem Epiſcopum cujus commentaria in Dionyſium Areopagitam manuſcripta Abrahamus Ecchellenſis penes ſe habuit; e ſexto ſeculo Johannem Maronem Patriarcham Antiochenum, & Xenajam ſeu Philoxenum genere Perſam, cujus liturgia in Jacobitarum Miſſali extat; e ſeptimo Jacobum Edeſſenum Epiſcopum, & Jacobum Epiſcopum Sarug, cujus varia opera eleganti ſtylo compoſita in monaſterio quodam montis Libani asſervari dicit; ex decimo Abubacrum Abbaſidem ſcriptorem Muhammedanum, Moſen Barcepham Ramenſem Epiſcopum, Theodo-

lum, quem nonnullos Orthodoxis, nonnullos Neſtorianis annumerare memorat, & Thomam Hharanitam, qui librum 10 propoſitionum pro Monotheletiſmo congeſſit; ex undecimo Davidem quendam Archiepiſcopum Syrum, & Eliam Niſibenſem; ex decimo tertio Ben Aſſalum Monophyſitam, cujus collectionem canonum in bibliotheca collegii Maronitarum de Urbe extare notat, & Johannem Benadi, qui librum de incarnatione, apologiam pro religione Chriſtiana, aliaq; opera, quorum exemplaria in Vaticana bibliotheca aſſervantur, compoſuit; ex decimo quinto Gabrielem Qlai Epiſcopum Maronitam; ex decimo ſexto Hebedieſu, & ex præſenti ſeculo Stephanum Edenenſem producit, quibus præter anonymos Scriptores addi poſſent nonnulli, de quorum ætate nihil certi definire auſus eſt.

Ipſum autem opus, quod Euopliam Fidei Catholicæ Romanæ inſcribit, tribus partibus conſtat. Et prima quidem orientalium eccleſiarum differentiam breviter exponit, quarum aliquas hæreſium labe infectas, aliquas a fidei catholicæ tramite nunquam deſciviſſe memorat. In priori claſſe Neſtorianos, Monophyſitas & Melchitas; in poſteriori Maronitas collocat. Neſtorianos etiam Chaldæos appellari notat, cum Chaldæam incolant & lingua Chaldaica utantur. Eorum hæreſin ex Davide Archiepiſcopo delineat, & quamvis Eutychius Alexandrinus Neſtorianos ſuo tempore priſtinam ſententiam deſeruiſſe dicat, & Autor Martyrologii Ægyptii eam ob cauſam Neſtorianos hodiernos a Neſtorii ſententia alienos pronunciet, quod cum Jacobitis commercium habeant; Naironus tamen affirmat, Neſtorianos adhuc cum Neſtorio ſentire, etſi aliquando diverſis verborum formulis utantur. Quam aſſertionem Eliæ Niſibenſis, Neſtoriani Epiſcopi, verbis ipſam Neſtorii hæreſin exprimentibus confirmat. Nec ſententiæ ſuæ obſtare dicit, quod interdum Neſtoriani unam Chriſto perſonam tribuunt. Tunc enim eos vel ſub Chriſti nomine merum hominem, vel ſub perſonæ nomine extrinſecam figuram & imprimis vultum ſeu faciem intelligere obſervat. Alium Neſtorianorum errorem de proceſſione Spiritus S. quem a Filio procedere negant, non tam Neſtorio quam Theodoreto adſcribendum cenſet. De ſedibus Neſtorianorum agens, eorum hæreſin uſque ad Indos & Sinas diffuſam memorat, & imprimis quoque antiquum Presbyteri Johannis, ut vulgo dicitur, imperium ea infectum notat. Duos Neſto-

os Neſtorianis Patriarchas præeſſe refert, quorum unus Patriarcha Orientis, alter Patriarcha Chaldæorum audit; unus Eliæ, alter Simonis nomen ſibi adſciſcit; unus in monaſterio S. Hermetis Perſæ prope Quſc, ubi Propheta Nahum natus perhibetur, alter Ormi in montanis Perſiæ ad Armeniæ majoris confinia reſidet; unus quatuor Metropolitas cum pluribus Epiſcopis, alter tres Metropolitas & viginti alios Epiſcopos ſubjectos ſibi habet; unius autoritas per Chaldæam, Babyloniam, Aſſyriam, Meſopotamiam, Parthiam, Mediam, Cathajo, & usque ad Indiam Orientalem, alterius tantum per Aſſyriam extenditur. Ex his Patriarchis Simonem Sulacam temporibus Julii III Pontificis Romam veniſſe, & abjurata hæreſi Neſtoriana ad Catholicam eccleſiam rediiſſe refert, additque, ejus exemplum & alios ſecutos, & nuperrime ab Innocentio XI novum Patriarcham Catholicum in civitate Amedienſi ad Tigrim conſtitutum fuiſſe, cum non paucos Chriſtianos a Neſtoriana hæreſi alienos in Meſopotamia degere intelligeret. Poſtea de feriis & jejuniis Neſtorianorum agit, ac tandem tribus eos liturgiis uti obſervat, nempe liturgia Theodori Mopſveſteni ab Adventu ad Paſcha, liturgia 12 Apoſtolorum a Paſchate usq; ad Adventum, & liturgia Neſtorii, quam quinquies per annum uſurpari ſcribit, nempe die ultima jejunii Ninive, quod in hebdomade prima ex tribus Quadrageſimam præcedentibus per triduum celebratur, feria quinta hebdomadis magnæ, & in feſtis Epiphaniæ Johannis Bapt. & Neſtorii. Sub Monophyſitis, quos ſecundam orientalium eccleſiarum nationem conſtituit, Jacobitas, Coptitas, Armenos & Æthiopes comprehendit, qui non cum Neſtorianis Chriſtum in duas perſonas dividunt, ſed contrario errore unicam Chriſti naturam agnoſcunt; etſi cum Morino Autor noſter ſtatuat, eos magis ex ignorantia differentiæ inter naturam & perſonam, quam ex malitia errare: quam Morini ſententiam ex Jacobitarum catecheſi confirmat, in qua Solem ex ejus perſonis, ſplendore ſcilicet, luce & lumine cognoſci dicunt. Bernardum Luxenburgenſem, Prateolum & alios, qui Jacobum Zanzalum Sabellianismi arguunt, eumque unam in Trinitate perſonam agnoviſſe, eamque ob cauſam ſignum crucis uno digito pinxiſſe aſſerunt, a vero aberrare minime dubitat, cum Jacobus in limine ſuæ catecheſeos myſterium Trinitatis profiteatur, & David Barphaulos in dialogo de triſagio aliam cauſam reddat, cur Jacobitæ crucis ſignum

 unico

unico digito pingant, nempe quia Chriſtus unus eſt & unica vice crucifixus. Vitriacum etiam, Sanutum & alios refutat, qui confeſſionem a Jacobitis abrogatam dicunt, cum conſtitutiones Jacobitarum aliud doceant. Concedit tamen, apud Coptitas, qui & ipſi Jacobitarum hæreſi infecti ſunt, confeſſionis abrogationem introductam fuiſſe, quod Johannis Abulmagedi Patriarchæ Alexandrini ævo eveniſſe, poſt Morinum ex Orientali Chronico, quod Abraham Ecchellenſis edidit, obſervat. Abulmagedi autem ille, juxta Chronicon allegatum, non anno 1027, ut apud noſtrum Naironum typographi vitio legitur, ſed A. 1207 floruit, & juxta compilatorem conſtitutionum Copticarum Abn Haſſalium, eam ob cauſam confeſſionis abolitionem decrevit, quod requiſita illa rarius concurrant, quæ ad ſpiritualem hanc medicinam, ſi rite peragi debeat, neceſſaria videntur. Porro Jacobitas, Armenos, Coptitas & Æthiopes, etſi in Monophyſitarum dogmate conveniant, regionibus tamen, linguis, ritibus & nonnullis aliis levioris momenti differentiis inter ſe diſcrepare, Naironus noſter obſervat, quas ex ipſius mente breviter referemus. Jacobitæ igitur Meſopotamiam & aliquam Syriæ partem circa Euphratem incolentes in ſacris obeundis Syriaca lingua; Armeni Armeniam majorem & minorem & alia ſparſim loca inhabitantes, Armena; Abyſſini Æthiopiæ incolæ in ſacris lingua, quam Ghez *i. e.* ſacram ſeu liberam appellant, & Chaldaicam eſſe aſſerunt; Coptitæ denique, ab urbe Copto Thebaidos metropoli denominati, in ſacris & publicis officiis Ægyptiaca, in profanis autem lingua Arabica utuntur. Jacobitæ in conſecranda euchariſtia pani triticeo & fermentato oleum & ſalem admiſcent, quod cæteris Monophyſitarum ſectis improbatur. Armeni a reliquis Monophyſitarum ſectis in eo differunt, quod & nullam calici aquam admiſceant, & pane azymo utantur; qui cum olim craſſior fuerit, & vulgaris panis ſpeciem retulerit, Prateolus aliique Armenos fermentatum panem in euchariſtiæ ſacramento adhibere ſibi perſuaſerunt. Æthiopes quoque ſeu Abyſſini circa euchariſtiæ materiam a reliquis differunt, quod vini defectu ſuccum ex uvis paſſis infuſa aqua igne expreſſum ſubſtituant. Eſt etiam aliqua inter ſectas illas quoad circumciſionis ſacramentum differentia, qua Coptitæ & Æthiopes utuntur, Armeni & Jacobitæ abſtinent. Et Æthiopes quidem non ſolum circumciſionem baptiſmo adjungunt, ſed etiam candenti ferro caute-

rium

rium vultui inurunt; quem ritum nonnulli perperam Jacobitis adſcripſerunt. Jacobitæ autem etſi a Jacobo Apoſtolo Domini fratre nomen ſuum ſortiti in vita Jacobi Syri referantur, potius tamen ab hoc ipſo Jacobo Syro nomen acceperunt, qui apud orientales frequenter Baradæus cognominatur, ſive ab urbe Bardaa, quæ ſententia Davidi Archiepiſcopo placuit, ſive a clitella, quæ Arabum lingua Bardaa dicitur, quæ denominationis ratio in Jacobitarum catecheſi fabella quadam confirmatur. Ajunt enim, cum Jacobus ad excitandum mortuum vocatus fuiſſet, mulierem quandam alteri dixiſſe: quis eſt, qui mortuum excitabit? alteram vero reſpondiſſe: qui indutus eſt pannoſo veſtitu clitellis ſimili; & Jacobum, cum hæc audiviſſet, addidiſſe: hoc meum nomen erit in æternum, & ab eo tempore Baradæi nomine ipſum cognitum fuiſſe. Nec defuerunt, qui eum clitellariam artem exercuiſſe, indeque hoc nomen accepiſſe tradiderunt. Cum autem Jacobus pertinaciſſime Eutychianam hæreſin & Dioſcori ſententiam amplexus fuerit, varias Eutychianorum ſectas in Jacobitarum nomen coaluiſſe Naironus obſervat. De Patriarcha Jacobitarum refert, quod Ignatii nomen aſſumat, & Antiochiæ Patriarcha audiat, & quinque Metropolitas ſibi ſubjectos habeat, quorum duo intra Meſopotamiam reſident, ut Amedenſis & Mauſolanus, quorum hic Baſilii, ille Dionyſii quondam nunc Timothei nomine inſignitur; reliqui extra Meſopotamiam numerantur, ut Madanenſis, Aleppenſis, & Hieroſolymitanus, ex quibus Hieroſolymitanus Gregorii, Aleppenſis Dionyſii, & Mandanenſis Cyrilli nomine deſignari gaudet. Inter epiſcopatus celebriores Mardinenſem & Niſibenſem nominat. Inter orthodoxos Syrorum doctores refert Jacobum Niſibenſem & quosdam alios, qui ante Chalcedonenſe concilium vixerunt, & ex illis, qui concilio Chalcedonenſi juniores ſunt, Jacobum Edeſſenum, quem nonnulli cum Jacobo Zanzalo confuderunt, & Jacobum Epiſcopum Sarug. Reliquos autem, quos Jacobitæ venerantur, plerosque heterodoxos eſſe animadvertit. A Jacobitis porro ad Melchitas tranſit ſeu Syros, Ægyptios, & Arabes Chriſtianos, qui poſt ſextam generalem ſynodum, Oriente in varias ſectas diviſo, Græcorum Imperatorum partibus ſtuduerunt. Et Syros quidem Melchitas ante Photianum ſchiſma & quæſtionem de proceſſione Spiritus S. motam, cum Maronitis in doctrina conveniſſe, poſtea vero Photiano ſchiſma-

te agitato, Maronitas non minus quam Jacobitas, Armenos, Coptitas & Æthiopes a Melchitis & Neſtorianis in diverſa abiiſſe tradit, cum proceſſionem Filii a Spiritu S. illi aſſeruerint, hi negaverint & impugnaverint. In euchariſtia Melchitas non azymo pane, ut Armenos & Maronitas, ſed reliquarum nationum orientalium exemplo, fermentato uti memorat. Patriarcham Melchitarum Antiocheni titulo inſignitum Damaſci reſidere, ejusque Metropolitas & Epiſcopos per varias Syriæ urbes diſtributos ſcribit. Tandem etiam de Maronitis agit, de quorum nomine, origine, & religione peculiarem tractatum Romæ A. 1679. idem noſter Naironus edidit. Exiſtimat autem, Maronitas nomen ſuum accepiſſe a Marone Abbate, qui quarto ſeculo floruit, ad quem Chryſoſtomus exul ſcripſit, & quem Theodoretus in Philotheo ſuo a pietate & editis miraculis celebravit. Ex hujus Maronis monaſterio poſtea alium quendam Maronem nomine Johannem, pugnis adverſus Jacobitas ſuſceptis nobilem, prodiiſſe dicit. Cum autem Autores nonnulli Johannem hunc Maronem hæreticum Monotheletam fuiſſe, & ab eo Maronitas cognominatos Wilhelmi Tyrii autoritate tradant, qui ſuo tempore Maronitas, cum per quingentos annos Maronis errores ſecuti fuiſſent, ad eccleſiæ catholicæ unitatem rediiſſe memorat; Naironus noſter Gulielmum Tyrium ab Eutychio Alexandrino, quem fabuloſum Scriptorem eſſe cenſet, deceptum aſſerit, verumque eſſe negat, quod Eutychius retulit, nempe Johannem IV Epiſcopum Romanum, in epiſtola ad Heraclium, Maronem tanquam autorem hæreſeos Monotheletarum introducere. Cætera, quæ pro Maronis & Maronitarum orthodoxia adverſus Eutychium, Gulielmum Tyrium, & Dominum De Moni vindicanda affert, nec non quæ de Phœnicia aliisque regionibus, quas Maronitæ incolunt, nec non de Patriarcha, Metropolitis & Epiſcopis Maronitarum, eorundemque monaſteriis & ritibus nonnullis apud Maronitas uſitatis diſſerit, brevitatis ſtudio omittimus, & de reliquis Euopliæ hujus partibus pauca addimus.

Secundam igitur partem quantum attinet, in ea harmoniam Romanæ eccleſiæ cum orientalibus a doctrina de 7 eccleſiæ Rom. ſacramentis inchoat. Singula autem illius harmoniæ capita enumerare nimis longum foret; aliqua tantum perluſtraſſe ſufficiet. De baptiſmo agens Calviniſtis, a quibus filios illegitimos ad baptiſmum non admitti

admitti ſibi perſuadet, Syros opponit, qui hanc gratiæ portam nemini claudi volunt. Ad confirmationis ſacramentum accedens non diſſimulat, poſt baptiſmum in orientalibus eccleſiis infantes etiam euchariſtiæ participes fieri, quod a Romana eccleſia alienum eſt. Addit, apud Orientales confirmationem non ſolum ab Epiſcopis, ut in Romana eccleſia fieri ſolet, ſed etiam a Presbyteris peragi. De euchariſtia tractans fatetur, in quibusdam Syrorum liturgiis poſt verba conſecrationis Spiritum S. invocari, ut in panem & vinum deſcendat, eumque corpus & ſanguinem Chriſti faciat. Ne autem Orientales a Latinis diſſidere videantur, qui per verba conſecrationis panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti mutari dicunt, exiſtimat, invocationem Spiritus S. in liturgiis orientalibus non eo tendere, ut panem & vinum corpus & ſanguinem Chriſti faciat, ſed ut hoc ſacramentum percipientibus utile eſſe jubeat; quod in nonnullis Syrorum liturgiis clarius exprimi aſſerit. Nec obſtare dicit, quod poſt verba conſecrationis prolata adhuc panis & vini mentio fiat, cum hoc nomine tantum reſidua panis & vini accidentia notentur. Addit tamen ſe ſuſpicari, quod Syri Jacobitæ ſibi antiquitus perſuaſerint, quod tranſſubſtantiatio non per verba Chriſti a Sacerdote prolata, ſed per Spiritus S. invocationem fiat, cum in nonnullis eorum liturgiis nulla conſecrationis formula, ſed tantum invocatio Spiritus S. adhibeatur. Circa euchariſtiæ materiam non omnes eccleſias orientales cum Romana convenire fateri cogitur, cum inter ſe ipſæmet haud conveniant, aliis azymum, aliis fermentatum panem adhibentibus; quam diſcordiam Juſtiniani ævo natam dicit, qui omnes Syros ſibi in fide non conſentientes perſecutus eſt, & illis tantum, qui a partibus ſuis ſteterunt, indeque Melchitæ dicti ſunt, immunitatem a perſecutionibus conceſſit. Novum argumentum harmoniæ inter Romanam & orientales eccleſias in eo quærit, quod in Romana eccleſia communio ſub una, apud orientales communio ſub utraque vigeat. Hoc enim diſſenſu concordiam Romanæ eccleſiæ cum orientalibus minime tolli putat, cum orientales ita communione ſub utraque utantur, ut communionem ſub una minime condemnent. Ab euchariſtia ad confeſſionem & reliqua Romanæ eccleſiæ ſacramenta progreditur. Quibus abſolutis in tertia parte de Eccleſia, de Romano Pontifice, de purgatorio, de crucis adoratione, de reliquiarum & ſanctorum cultu, de peregrinatio-

nationibus ad loca ſancta, de libero arbitrio & merito bonorum operum, de gratia Dei, de lege aliisque fidei articulis agit, in quibus omnibus Romanam eccleſiam cum orientalibus convenire contendit.

A COMMENTARY ON THE FIVE BOOKS OF MOSES.

i. e.

RICHARDI EPISCOPI BATHONIENSIS & WELLENSIS COMmentarius in Pentateuchum, cum Diſſertatione de Auctore ejus.

Londini apud Wilh. Rogers, 1694. in 8.
Alph. 3. plag. 3.

DAmus hic, quas nuper promiſimus, Maxime Reverendi Auctoris
ſuccinctas in integrum Pentateuchum notas, quas in plebejorum
P. I. præcipue uſum, ad eo magis juvandam & facilitandam S. Scripturæ le-
ctionem ſcripſit. Erat enim hoc, prout ipſemet in præfatione narrat,
jam a plurimis abhinc annis multorum e Londinenſi clero propoſitum,
ut inita inter ſe ſocietate, diviſisq; partibus, breves in univerſa S. Biblia
III. notas concinnarent, quibus adjuti ſimpliciores majori cum fructu in le-
genda S. Scriptura verſarentur. Impeditum vero laudabile inſtitutum
eſt, poſtquam periculoſum Anglia cum Pontificiis bellum ſentiens, ad
IV. hoc potius omnes Theologorum calamos avocavit: quod cum per an-
nos aliquot duraſſet, obiere interim ſocietatis illius haud pauci, atq; ad-
eo mora huic propoſito injecta eſt. Non tulit tamen Reverend. Auctor,
cui tum in diſtributione Pentateuchus obvenerat, ut in vanum prorſus
V. abiret, quod non proficuis minus quam laudandis molitionibus erat
cœptum. Sedato proin per inſperatam ſummæ rerum mutationem bel-
VI. lo cum Pontificiis, ipſe labores priſtinos reſumſit, tum ut officii ſibi olim
demandati partes expleret, tum ut reliqua etiam ſuæ ſocietatis membra
ad continuandum hoc inſtitutum felici auſpicio incitaret; cujus ſum-
mam utilitatem atque neceſſitatem, ob vafros contra S. Scripturam ho-
minum atheorum conatus, & magnam ſimpliciorum in penetran-
XVII. dis locis difficilioribus infirmitatem, ſperandam oſtendit. He-
bræum

bræum textum ſe in ſuis notis unice ſemper ut regulam reſpexiſſe ait,
non neglectis tamen verſionibus, Græca LXXvirali, Latina vulgata & XVII.
Chaldaica Onkeloſi, nec non Syriaca atque Samaritana: e modernis
omnium optimas verſiones judicat Italam Diodati, Anglicam, & La-
tinam Tigurinam. Adhibuit quoque in ſubſidium Joſephum ac Phi-
lonem; e Rabbinis omnium maxime Maimonidem, quem a ſtudioſis XVIII.
Theologiæ legendum relegendumque cenſet, quippe cujus ſcripta ad
interpretationem S. Scripturæ longe plurimum conferant, imo poſt
illam inter præcipua literati orbis κειμήλια numeranda ſint; ut mi-
rum non ſit, Judæos de Maimonide loquentes dicere, a Moſe usque
ad Moſen Moſi ſimilem non extitiſſe. Præfationem luculenta Diſ-
ſertatio ſequitur de auctore Pentateuchi, quem nullum alium eſſe, XXIV.
quam ipſum Moſen, contra Spinoſam, Hobbeſium & Peirerium evi-
ctum it, non prætermiſſis novis exceptionibus, quæ a recentioribus for-
mari ſolent. Noſtri inſtituti non eſt, prolixe iſta omnia recenſere,
quorum partem jam ab aliis quoque dictam meminimus. Illud gene-
ratim monemus, eruditiſſime Virum doctum ſingula loca vindicare,
quæ contra communem tot ſeculorum de Moſe Pentateuchi auctore
ſententiam objici conſuevere. Non enim repetit ſolum, quæ ab aliis jam
reſponſa invenit, ſed & novis ut plurimum ſolutionibus ſui judicii
ἀκρίβειαν demonſtrat. Ita ubi de catalogo Regum Edomiticorum agit, XXXIV.
qui Gen. XXXVI. 31-39. exhibetur, quemque non ii ſolum, qui Penta-
teuchum Moſi abjudicant, pro ſe magno ſtrepitu adducunt, ſed quem
& vindex priſcæ opinionis Joh. Clericus ab alio, neſcio quo inſertum
novo argumento contendit; hunc catalogum Moſi juſto ſtudio
vindicat, & Joanni Clerico præcipue ſuccenſet, quod tam facile inſer-
tos ab alio novem illos verſiculos concedat, ne de eo quidem ſolicitus,
ut de θεοπνευςία eorum conſtet, dum a *neſcio quo* illatos dicat, ar- XXXIX.
gumentum adhibens, quod tanti non ſit, ut quicquam evincat. Di-
xerat enim, a Jacobo usque ad Obedum, Davidis avum, nonniſi octo
generationes poni; usq; ad Moſen a Jacobo ſolum quatuor: jam cum XXXV.
Eſavus Jacobi frater fuerit, & octo tamen ex ejus poſteritate reges ſibi
mutuo ſuccedentes in loco Geneſeos numerentur; non potuiſſe hæc
a Moſe poni, quo multi regum horum extiterint poſteriores, niſi forte
revelatos illi divinitus dicamus: probabile autem non eſſe, quod
Deus nomina regum peregrinorum, qui nondum extiterant, revelare

 voluerit:

voluerit: hinc, ſi candide agere liceat, ab alio verſus hos inſertos eſſe dicendos. Verum egiſſe Clericum parum candide, Reverendus maxime
XXXVI. Epiſcopus obſervat, & expectari talia a Deiſta potius aut Hobbeſii diſcipulo, quam a Moſis vindice debuiſſe. Si enim vel maxime illa ſupputatio nonniſi quatuor generationes a Jacobo usque ad Moſen ſiſtat, non tamen hoc obſtare, quo minus in Eſavi poſteris major illarum numerus dari potuiſſet. Certe a matrimonio Eſavi usque ad Moſis
XXXV. mortem annos 345 effluxiſſe, quorum intervallum octo regum ſucceſſioni plus ſatis ſuffecerit: neque hoc rarum eſſe, ut frequentior ſit poſterorum familiæ unius ſeries, quam alterius, prout nempe maturius vel ſerius homines matrimonia ineant, & prout primogeniti citius
XXXVII. tardiusve fatis concedant. Eſavum integris 40 annis matrimonium ante Jacobum fratrem iniiſſe, quorum ratio in hac ſupputatione magni momenti ſit. Joſephum annorum 110 ſenem Ephraimi poſteros in tertiam usque generationem vidiſſe: quid obſtet, quo minus intra 345 annos octo generationes Eſavi fuerint? Quamvis autem hoc modo ſpatium octo regibus ſatis amplum, ſi filius ſemper patri ſucceſſiſſet, de-
XXXVIII. monſtratum ſit: non tamen talem ſucceſſionem octo regum fuiſſe, verba illius pericopes manifeſto probare, cum e diverſis urbibus atque regionibus illi Edomitarum reges fuerint, quod de continua filiorum ſucceſſione credi non queat. Imo, quod adhuc magis ad rem, diſerte ſæpius defuncto regi alterius filium ſucceſſiſſe dici, Belæ Jobabum filium Jerah, Jobabo Huſamum e terra Themanorum, Huſamo Hadadum filium Badad &c. ita ut ad ſucceſſionem regum horum, quos inter ſucceſſor facile præceſſorem ætate vel æquare vel ſuperare potuerit, tempus non adeo longum requiratur. Fore vero ſecuturo
XXXIX. tempore reges in Iſraël, ſciviſſe omnino Moſen, qui Deut. XVII. leges dederit regum tempore obſervandas: quinimo ipſum fuiſſe regem, Deut. XXXIII. 5; quod & Seldenus in ſuo de Synedriis opere prolixe demonſtrarit. Hanc vel unam reſponſionem dubio ſuffecturam putat, quod eo tempore, quo Moſes cum Iſraelitis ex Ægypto profectus eſt, Edomitæ ſub ducum imperio fuerint, qui nempe reges ex-
XL. ceperant, non regum, Exod. XV, 15. Tandem igitur exiſtimat, octo reges illos, quos in terra Edom regnaſſe Moſes Geneſ. XXXVI. ſcribit, ne quidem ex Eſavi progenie, ſed Horitas fuiſſe, quos poſtmodum Edomitæ terra ſua expulerint, & a ſe integram regionem appellaverint.

rint. Hoc nempe cum antecedentibus maxime congruere ait, quæ v. 20. Horitas Seiri poſteros ab Edomitis apertiſſime diſtinguant, tum eorundem duces exhibeant v. 21. ſqq; hos excipere reges Horitarum v. 31-39. tandem principes poſterorum Eſavi v. 40. eos ipſos nempe, qui pulſis regibus ſibi regimen ac provinciam vindicarint: nec obſtare, quod Moſes reges eos in terra Edom regnaſſe dicat, atque adeo ab Horitis diſtinctos innuere videatur: ita enim locutum Moſen, quia ſuo tempore id nomen jamdudum, obtrito priſtino, obtinuerit.

Non minus ægre fert reverendus Præſul, in alio Pentateuchi loco æque facilem Clericum ad abjudicandum Moſi eundem reperiri: cum ſcilicet Exod. XVI. 35, Iſraëlitæ per 40 annos manna comediſſe dicuntur, donec fines terræ Canaan attigerint. Hæc a Moſe profecta non eſſe Clericus opinatur, quippe qui, licet, ut e Numerorum libro conſtet, ceſſaturum aliquando cœleſtem cibum e divina revelatione compererit; non tamen in hoc Exodi loco præteritum אכלו de futura re adhibere potuiſſet. Enimvero tam frequentem eſſe in ſacris literis præteriti pro futuro enallagen, in prophetiis præcipue ad eo majorem rei certitudinem innuendam, Noſter de ipſo etiam אכלו adductis locis parallelis oſtendit, ut ſimul non ignorare hoc poſſe virum doctum, ſed nodum in ſcirpo quærere voluiſſe, ferme indignabundus dicat: adeoque locum Exodi transfert, *Filii Iſraël comedent manna 40 annis* &c. quam translationem aliquot ſimilibus exemplis probat. XLIX. L. LII.

Ita in diluendis quoque reliquis objectionibus (quarum in univerſum XXII confutat) ſtudium omne felici, niſi fallimur, ſucceſſu ponit. Ut ternarium adhuc numerum uno addito expleamus, placet nomen נביא *Propheta* producere, e quo, cum aliquoties in Pentateucho occurrat, nonnulli Moſen ejus auctorem eſſe non poſſe argumentantur, cum juxta 1. Sam. IX. 9. antiquis ante Samuelem temporibus non נביא dictus propheta ſit ſed ראה *videns*. Aſt vero obſervat Auctor primo, in iis ipſis locis, quæ Hobbeſius ut genuina Moſis aſſumit, a Deut. XI. usque ad XXVII, aliquoties nomen נביא occurrere, ut Deut. XIII. 1, 3. XVIII. 15, 18. 20, 22: deinde in iis etiam locis reperiri, quæ Apoſtoli ut verba Moſis allegent, quales vaticinium de Meſſia Propheta Num. XVIII. 18. a Petro & Stephano tan- LXVI.

 quam

quam effatum Moſis Act. III. 22. & VII. 37. laudatum, quæ teſtium θεοπνεύςων autoritas animum Chriſtianum extra omne dubium ponat: denique non id inquit in loco Samuelis dici, prophetæ nomen ignotum penitus usque ad Samuelis tempora fuiſſe, ſed prophetam tum temporis vulgo ראה i. e. videntem dictum. Potuiſſe tamen utrumque nomen ſciri, ſi vel maxime poſterius priori notius atque vulgo receptius extiterit: quemadmodum longo poſt temporum intervallo Micha propheta III. 7. (cui addi & Amos poteſt c. VII. v. 12.) חזה i. e. *videns* vocatus reperiatur; ridiculus vero ſit, qui ne tum quidem notum *Prophetæ* nomen fuiſſe, inde velit exſculpere.

Atque hæc e Diſſertatione excerpſiſſe ſufficiat. Libris ſingulis, quorum verſio Anglica brevioribus, ut jam dictum, notis illuſtrata comparet, præfixum ſemper generale argumentum eſt, quod non contenta ſolum illorum quaſi uno intuitu repræſentat, ſed & ad commendandam eorundem lectionem, quis uſus lectores maneat, una ſubjungit. In argumento Deuteronomii Auctor ſimul objectionem, a tot Pentateuchi repetitionibus, quæ præcipue in quinto Moſis libro occurrant, deſumtam, ſibi diluendam ſumit, adverſus eos, qui diverſis potius collectoribus, & præpoſteræ ſchedarum collectarum locationi, quam Moſi ipſi, inutiles repetitiones adſcribendas contendant. Verum falli hos, nihilque ſua ſuſpicione evincere Noſter luculenter oſtendit. Primo enim non e meris repetitionibus Deuteronomium conſtare; imo eſſe in eo leges & vaticinia, quæ in reliquis quatuor libris fruſtra quæras: ad hæc, argumenta ad obſervandam legem moventia tam ponderoſa afferri, ut cum iis, quæ in prioribus libris prolata fuerant, comparata, nova omnino videri queant. Deinde repetitiones vel eſſe factorum, vel legum. Facta in Deuteronomio non jejuna recenſione repeti, ſed ſemper ad incitandum & firmandum in perſeverantia populum egregie applicari. Leges pariter, dum repetuntur, vel novis atque clarioribus additamentis explicari, vel cautionibus ab abuſu præſtrui, quandoque novis argumentis firmari, aut digna diſpenſatione limitari: quæ omnia exemplis in medium adductis abunde probat. Neq; vero Deum ad certas artis aut ſcientiæ regulas, quales homunculi nobis fingimus, teneri: ſufficere, ſi voluntatem indicet, quam ſi per partes ac diverſis occaſionibus dederit, noſtrum eſſe ſpiritualia cum ſpiritualibus componere, atque ita, quæ

mens

mens totius revelationis ſit, pie indagare. Quodſi non Moſes auctor Pentateuchi, ſed incertus ſparſarum hic illic ſchedarum collector extitiſſet, profecto longe facilius omitti tot repetitiones potuiſſe. Concludit denique, quemadmodum levis illa diverſitas relationum, quæ in ſcriptis IV Evangeliſtarum reperitur, adeo non contra eadem faciat, ut potius fidem, quam iis tribuimus, confirmet, dum ſcilicet eos collatis ad decipiendum conſiliis non ſcripſiſſe inde convincimur: ita cum repetitionibus Pentateuchi rem ſe habere; & fruſtra omnino eſſe, qui vel contra libros, vel contra auctorem aliquid moliatur.

Supereſt, ut e notis aliqua ſpeciminis loco producamus. Ad Geneſ. XLVIII. 22. terram illam, quam Jacobus ſuo gladio atque arcu partam Joſepho legat, eſſe ipſam Sichemitarum urbem (de qua Geneſ. XXXIV. 25. ſqq.) exiſtimat: Amoritarum vero terram dici, vel quod ii poſt abitum Jacobi urbem Sichemitarum ſibi ſubjecerint, poſtmodum reverſo Jacobo & indubium jus repetente repulſi: vel quod ſub Amoritarum, gentis idololatricæ atque præpotentis, nomine vicinæ etiam nationes, atque proin Sichemitarum regio, ſimul fuerint comprehenſæ, quod aliis quoque S. Scripturæ locis fit. Quanquam vero Jacobus ſerio filiorum crudelitatem in Sichemitis perdendis adhibitam deteſtatus ſit; quia tamen a Deo promiſſionem poſſidendarum earundem terrarum acceperit, juſtum ipſi exinde titulum enatum vindicandi inpoſterum ſibi regionem, quam jure belli ſine ullo ſui ipſius crimine acquiſiverit. De diviſione præceptorum Decalogi ad Exod. XX. 17. agens, ad defendendam ſuæ Eccleſiæ hypotheſin, quæ nonniſi unum præceptum de concupiſcentia ſtatuit, varia in medium profert: quod ſcilicet nonum apud nos atque Pontificios de concupiſcentia domus proximi præceptum in Deuteronomio demum poſt id de concupiſcentia uxoris ejus, atque adeo poſt partem decimi ponatur, manifeſto indicio, illud quoque partem hujus explere: quod Paulus unicum de concupiſcentia præceptum alleget: quod idem Ioſephus, idem Philo Judæi ſentiant. Quibus argumentis tantum noſter Auctor tribuit, ut Eccleſiam Romanam, ob contracta perperam (ut exiſtimat) prima duo præcepta, notoriæ prævaricationis accuſet, quaſi non alio illud fine feciſſet, quam ut receptum apud ſuos cultum imaginum eo facilius tueretur.

Ad Num. XXIV. 14, ubi Balaam pſeudopropheta reditum ad

ſuos parans Balacum Moabitarum regem ultimum allocutus ait: *veruntamen pergens ad populum meum, dabo conſilium* &c. obſervat Auctor, ſupplendum hic e Joſepho atque Philone, quodnam iſtud elabendi conſilium ſit, quod necromanticus ille vates Balaco dederit: nempe ut pulchritudine mulierum ſuæ terræ Iſraëlitas ad laſciviam, & ex hac ad idololatriam irritaret, ad quam pronos fore ſtatim ſuſpicabatur, ſi modo prius turpi exterarum fœminarum amore arſerint. Ita autem revera rem accidiſſe, & non fictum a Joſepho aut Philone, ſed in ipſismet S. Literis Balaami dolo adſcribi, e Num. XXV, 1. 2. 3 & XXXI. 16 demonſtrat.

Difficilem inprimis Deut. c. X. verſum ſextum agnoſcit, quippe qui non ſolum ægre cum antecedentibus cohæret, ſed & duabus aliis difficultatibus implicatur. Ad primum tamen reſpondet Noſter, Moſen, poſtquam capite præcedente ſuam pro populo interceſſionem memoraverit, hoc jam effectus ſuæ interceſſionis narrare; quales ſint, tabularum Decalogi reſtauratio & poſitio in arcam; itinera Iſraëlis non impedita; ſacerdotium poſt Aaronis mortem non deſinens, ſed Eleazaro collatum: quæ omnia bene ſatis ſibi cohæreant. Si vero quæratur, qui poſſint hoc loco Iſraëlitæ ex Beeroth Bne-Jackan Moſeram iter inſtituiſſe dici, cum Num. XXXIII. 31. Moſera profecti Bene-Jackan petiiſſe referantur? reſpondet, rarum in illa Iſraëlis peregrinatione non fuiſſe, ut eandem retro viam peterent, quam paulo prius fuerant emenſi. Quod tandem Aaron eodem verſiculo Moſeræ mortuus perhibetur, quem e Num. XX. 25. 28. in monte Hor obiiſſe novimus; ita Auctor ἐναντιοφανείαν tollit, ut eundem locum binominem arbitretur, Hor montem atq; Moſeram, (ſicut Horeb & Sinai montis unius nomina ſint) vel hanc certe locum monti adjacentem cenſeat. Verum ſatis jam ex iſtis, quæ delibavimus, patere exiſtimamus, quam elegans labor iſte ſit, & quam proficuus Anglis hominibus futurus; ſi præſertim in explicandis hoc, uti cœptum eſt, modo reliquis quoque S. Codicis libris in commodum univerſæ nationis pergatur.

THE CASE OF SEES VACANT BI AN UNJUST OR Uncanonical deprivation, ſtated &c.

Hoc

Hoc eſt:

CAUSA SEDIUM EPISCOPALIUM PER INJUSTAM VEL non Canonicam depoſitionem vacantium deciſa. Ubi tractatui cuidam, cujus titulus: Vindiciæ pro Epiſcopis depoſitis, *ut & aliis ſchedis tractatui Barocciano nuper oppoſitis reſpondetur, ab HUMFREDO HODY, S. Theol. D. & Collegii Wadhamenſis apud Oxonienſes Socio.*

Londini apud Henr. Mortlock, 1693. in 4. plag. 27.

REdargutio Schiſmatis Anglicani, quam ex MSo Barocciano ante hoc quadriennium, & quod excurrit, inſtituit D. Hodius, (nobis quoque in Actis Erud. 1692, p. 235 memorata,) varios ipſi excitavit adverſarios. Recordabuntur Lectores, hoc ipſo Supplementorum tomo p. 169 a nobis relatum fuiſſe, ut contra illorum non neminem, fraudem ipſi ob omiſſos, qui tractatui illi in codice MSo ſubnexi fuerant, Canones objicientem, bonam fidem ſuam Epiſtola quadam tueri coactus fuerit. Sed non ille ſolus fuit, qui Hodio ob libri illius editionem dicam ſcripſit; a ſex enim aliis editis de ea re libris ſe impetitum ipſemet in præſentis operis præfatione teſtatur. Cauſam, cur tot machinis oppugnetur opus iſtud, eam eſſe ſibi perſuadet, quod cum duæ ſaltem ſint propoſitiones, quarum utraque, modo de veritate earum conſtet, cauſam Epiſcoporum a Magiſtratu politico dejectis ſuccedentium tueatur; poſterior earum luculente tractatu Barocciano ſtabiliatur. Eſt illa: *quod concedatur licet, Magiſtratui politico jus Epiſcopum ob crimina mere politica deponendi haud competere, nihilominus tamen recipiendus ſit ille, quem de facto anteceſſore depoſito, in locum ejus ſurrogavit, modo alio ille vitio non laboret, idque conſervandæ pacis eccleſiaſticæ cauſa.* Hanc propoſitionem a quoquam defendi cum inopinatum prorſus adverſæ parti accideret, cujus animis altera ſolum hactenus obverſata fuerat, *quod ſcilicet liceat Magiſtratui ob crimina mere politica, ſive vera, ſive pro talibus habita, ejicere ſede ſua Epiſcopum,* quam ſolam impugnandam putaverat; unanimi conſenſu in Baroccianum tractatum, qui priori loco a nobis commemoratam propoſitionem manifeſte defendit, calamos convertit. Et hinc tot nobis contra Hodium atque Baroccianum opus enati ſunt libelli, quos inter

inter cum principem locum facile teneant *Vindiciæ pro Epiſcopis depoſitis* a ſummæ eruditionis Viro, (quem legentibus illas facile prodent genius ejus, & eruditio minime hodie vulgaris) conſcriptæ; iis potiſſimum præſens opus ſuum oppoſuit clariſſimus Autor noſter, ita tamen, ut ſi in reliquis aliquid, quod ſcrupulum movere poſſit, occurrat, id quoq; prætermiſſum haud fuerit.

Abſolvitur autem totum hoc opus, ſi primum & ultimum ejus caput excipias, petitis ex antiquitate eccleſiaſtica exemplis, e quibus pateat, Epiſcopos injuſte depoſitorum ſucceſſores, ab Eccleſiis receptos & agnitos fuiſſe: vel ſi rejecti ab iis fuerint, ideo id factum non eſſe, quod injuſte depoſitis ſucceſſerint, ſed quod vel hæreſeos vel alterius cujusdam criminis labe adſperſi crederentur. In primo autem capite rationibus etiam ita omnino faciendum eſſe oſtendit, ne forte contra exempla, quibus, ut diximus, enarrandis omnis hic labor
p. 2. fuit doctiſſimo Viro impenſus, vitio ea non carere quisquam excipiat. Rationum autem inſtar omnium ipſi eſt pax Eccleſiæ. Hanc ut conſervarent, ſolicitos veteres Eccleſiarum præſules contra canones, ſan-
p. 3. ctiſſime etiam alias obſervatos, diſpenſaſſe nonnunquam oſtendit. Hinc ſecus ac decreverat Concilium Nicænum, duos nonnullis urbibus conceſſos Epiſcopos, ut contractum e Donatiſtarum ſchiſmate vulnus ſa-
p. 4. naretur: hinc multis pedum paſtorale haud ereptum, qui Simoniacis artibus iſtud quæſiverant: hinc ſæpe adeo, qui ſeculari tantum autoritate cathedram conſcenderant, tenere eam non fuiſſe prohibitos. Fatetur interea, ſervandæ pacis prætextu ea, quæ ſine peccato fieri nequeunt, admitti non poſſe, vel quæ res habent conſequentes adeo perniciosas, ut brevis Eccleſiæ pax gravioribus longe malis ſit redimenda. Aſt neutrum horum in præſenti negotio timendum eſſe ait. Nam peccatum in Deum hic nullum admitti oſtendit, dum neque in mandatum aliquod divinum impingi probat, (cum nullum de hac re extet, niſi illud, quo parere ſuperioribus generalibus verbis jubemur, relicto noſtræ prudentiæ, ſi duo de præſulatu contendant, utri ſit adhærendum judicio) neque alieni peccati eo nos reddi complices evincit, (cum alias etiam injuſto feudi poſſeſſori absque crimine penſio annua ſolvi queat;) nec denique juramentum de canonica obedientia violari docet, utpote quod ei præſtetur qui Epiſcopus eſt, quamdiu ſe in Eccleſiæ regimine poteſt tueri. Multo minus autem

adhærere

adhærere huic cum Epiſcopo, injuſte depoſiti ſucceſſore, communi-
oni peccatum propterea exiſtimat, quod proprie & ſecundum rei ve- p. 9.
ritatem loquendo, Epiſcopus ille non ſit; ut clariſſimus *Vindiciarum*
Auctor voluit. Præterquam enim, quod ſolius Cypriani autoritati in Ep.
LV iſta ſuperſtruatur doctrina; ne illum quidem ad cauſam præſentem,
ſi accurate inſpiciatur, trahi poſſe putat, utpote qui de Novatiano lo-
quatur Schiſmatico, Romanam cathedram ambiente, cum Cornelius,
ne ſeculari quidem id impediente autoritate, eam adhuc teneret: quo
adeo *primo* adhuc in cathedra ſedente Epiſcopo, *ſecundus* omnino
eſſe non poterat. Jam ad alterum quod attinet, neque verendum eſſe
oſtendit, ne conſequantur rem iſtam pericula univerſum Eccleſiæ
ſtatum quaſſatura. Et licet etiam aliquid ſubeſſe periculi quis
largiatur, nec magnum tamen, nec certum adeo id eſſe ait, quam id,
quod adverſæ partis principia ſecum trahant, quæ non poſſe non
ſchiſmata & perſecutiones acerbiſſimas concitare, certiſſime perſua-
ſum habet. Hæc fere argumentorum ſumma eſt. Jam ad exem- c. II.
pla delabitur, inter quæ agmen ducunt ſummi Judæorum Sacerdotes, p. 31.
cum quibus, injuſte licet anteceſſoribus eorum expulſis, communi-
onis tamen uniri vinculo, neque alios viros pios, nec Chriſtum at-
que Apoſtolos ait dubitaſſe. Cumque e doctiſſimi Seldeni con- p. 34.
jectura, per Sacerdotes ſummos in hiſtoricis N. T. libris non ſacra-
rum rerum Præſules, ſed Præſides Synedrii intelligentis, objectio hic
moveri poſſit: Chriſtum & Apoſtolos his tantum Synedrii Præſidi-
bus ſeſe ſubmiſiſſe, neutiquam vero ſummis Judæorum Pontificibus,
ſacrorum curæ præfectis; iſtam opinionem docte confutat. Sed
illis etiam reſpondet, qui factum id a Salvatore & diſcipulis ejus ideo
dicunt, quod templo in poteſtate ſecularis Magiſtratus illo tempore
poſito, ſolennes religionis ſuæ ritus (quod extra templum facere
nefas) peragere non potuiſſent, niſi præfectum templo a Magiſtratu
Sacerdotem ſummum etiam recepiſſent. Nam pari ratione, qua ho-
die Judæi ritus iſtos & ſacras cæremonias obire non tenentur, templo
deſtituti; olim etiam iis non adſtrictos fuiſſe cenſet, ſi ſummo Sacer-
dote juxta leges non conſtituto, aditus ad templum illis præcluſus
fuiſſet. Ad exempla, quæ Chriſtianæ Eccleſiæ veteres ſuppeditant, ac-
cedens monet, fruſtra ea quæri in tribus prioribus ſeculis: neque
nocere cauſæ ſuæ, quod Epiſcopis ſuis, a gentilibus Imperatoribus

ejectis, adhæſerint Chriſtiani antiquiſſimi, cum alii in eorum locum nunquam fuerint ſurrogati. A Felice itaque II auſpicatur, qui Romæ anno 355 Liberio injuſte depoſito ſuccedebat, ab omnibus tamen, quibus de recta fide ejus conſtabat, recipiebatur. Immiſcet autem paſſim exempla eorum, qui cum injuſte ejectis ſuccederent, recepti haud fuerunt, qualis erat Lucius, qui Petro Alexandrino violente expulſo ſuccedebat. Verum iſtos ob hæreſin vel alia crimina, non ob anteceſſoris injuſtam depoſitionem repudiatos fuiſſe docet: ſic enim Lucium reſpuentes Alexandrini nullam aliam cauſam, quam
c. VI. Arianiſmum ejus prætendebant. Timothei, qui Macedonio de ſede Conſtantinopolitana injuſte deturbato ſucceſſit, mentionem hic faciendam eſſe ideo putavimus, quod ejus occaſione Flavianum Antiochenum, & Eliam Hieroſolymitanum Patriarcham ab apoſtaſiæ nota contra *Vindiciarum* Autorem defendat, a quo eam non aliam ob cauſam illis impactam fuiſſe ait, quam quod, Timotheum quippe
c. VII. recipientes, a ſuis opinionibus alienos eos fuiſſe deprehenderet. Elias quoque ille Hieroſolymitanus violente ſede ſua exuebatur, Johanne in locum ejus ſubſtituto, cujus tamen communionem propterea non repudiaſſe Eccleſias, inter alia loco Photii probat, quem cum ex inedito ejus libro, Συναγωγαὶ καὶ ἀποδείξεις ἀκριβεῖς inſcripto, & in celeb. Bodlejana Bibliotheca extante depromſerit, hic quoq; comparere voluimus: Τοῦ Ἱεροσολύμων, inquit, Ἠλίου παρὰ τῶν Ἀκεφάλων ἔξω ῥιχθέντος τῆς ἐκκλησίας, ἀντεισήχθη παρὰ τῶν αὐτῶν εἰς τὴν ἐκείνου θρόνον Ἰωάννης, συνθέμενος κοινωνῆσαι Σεβήρῳ καὶ ἀναθεματίσαι τὴν τετάρτην σύνοδον· πεισθεὶς δὲ τοῖς ἁγίοις Σάββα καὶ Θεοδοσίῳ, καὶ τἀναντία διαπραξάμενος, οὐ μόνον οὐδὲν ἐβλάβη, οὐδὲ ἐπιτιμήθη, ἀλλὰ καὶ ὡς ἅγιος μετὰ Ἠλίου μέχρι τῆς σήμερον μνημονεύεται· ἀλλ'
c. IIX. οὐδὲ οἱ κοινωνήσαντες αὐτῷ ἔπταιόν τι εἰς τὴν οἰκείαν τιμήν. De Silverii, Papæ Romani a Beliſario Petri cathedra ejecti ſucceſſore Vigilio agens, docte contra Baronium oſtendit, ordinationem ejus poſt Silverii mor-
c. IX. X. tem denuo repetitam non fuiſſe. Quamvis autem neque Silverius neque alii quamplures, de quibus in ſequentibus agit, acquieſcere voluerint in eorum, a quibus depoſiti fuerant ſententia, nihilominus tamen ſucceſſores eorum pro Epiſcopis agnitos fuiſſe evincit. Illuſtre eſt inter alia exemplum Eutychii Conſtantinopolitani, cui exturbato Johannem Scholaſticum ſuccedere jubebat Juſtinianus. Iſtud ſilentio præter-

prætererire vel ideo nefas duximus, quod varios Quakenthorpii errores in libro de Juſtiniano Imperatore, dum negotium iſtud exponit, commiſſos caſtigaverit. Primo namque falſum eum eſſe oſtendit in eo, quod propter Origenianos errores Eutychium depoſitum ab Imperatore fuiſſe ſtatuat. Non enim omnium Græcorum ſolum iſtam ſententiam repugnare ſuffragio, *Authoris* ſcilicet *Synodici, Glycæ, Zonaræ, Theophanis, Joelis, Nicephori & Euſtratii*, qui omnes ideo eum a Juſtiniano patriarchatu privatum teſtantur, quod *Aphthardocetarum* ſubſcribere nollet erroribus; ſed *librum* etiam *de Reſurrectione*, ob quem, tanquam Origenianiſmo infectum, eum condemnatum fuiſſe Quakenthorpius opinatur, poſt depoſitionem ejus demum editum fuiſſe, e Gregorio M. l. 14. Moral. c. 29. obſervat. Quibus accedit, quod ex Evagrio quoque conſtet, Juſtinianum ab *Aphthardocetis* ante obitum ſuum ſeductum fuiſſe; cujus autoritas ne in dubium vocetur, eam Nicetii Trevirenſis Epiſtola ad Imperatorem iſtum de lapſu ejus, T. V. Concil. p. 832. edita, confirmat, in qua mentio etiam fit Epiſcoporum quorundam exilio mulctatorum, ut illa hæreſis eo felicius propagaretur. Deinde etiam contra Quakenthorpium oſtendit, vitam Eutychii non recentioris alicujus, ut ille voluerat, Monachi commentum, ſed ſcriptoris coævi eſſe. Tria potiſſimum Quakenthorpii pro ſua ſententia argumenta ſunt. Primum, quod vitæ illius Autor dicat, Eutychium ultra 12. annos in exilio vixiſſe, cum e Paulo Diacono conſtet, eum ſtatim, poſtquam Juſtinianus vivis exceſſit, ſedi ſuæ reſtitutum, coronaſſe Juſtinum Imperatorem; imo etiam Nicephorus in Chronol. teſtetur, per duos ſolum annos menſesve VII exilium ejus duraſſe. Sed Paulum Diaconum quod attinet, eum in manifeſto errore verſari Noſter oſtendit, cum Anaſtaſius Bibliothecarius, quem ſemper ille ſequitur, expreſſe a Johanne coronationem illam peractam fuiſſe dicat; quod etiam Theophanes atq; Cedrenus confirmant. Nicephori autem locum in Chronologia ejus corruptum eſſe, ex ipſo Nicephoro probat; in catalogo enim Patriarcharum Conſtantinopolitanorum Johanni ἔτη ιβ´ μῆνας ζ´ tribuit, ut adeo in Chronologia etiam ἔτη ιβ´ pro ἤτη β´ omnino ſit reſtituendum. Alterum Quakenthorpii argumentum contra vitam Eutychii illud eſt, quod in ea dicatur, Eutychium ab Epiſcopo Amaſeno Conſtantinopolin miſſum eſſe ad concilium Generale V: paulo vero poſt, quam eo delatus eſſet, Mennam Conſtantinop. Epiſcopum p. 115.

mortuum, & in locum ejus Eutychium ſurrogatum fuiſſe. Falſam enim totam illam narrationem eſſe contendit, cum Mennas XXI Juſtiniani anno rebus mortalibus valedixerit, concilium vero Generale V anno XXVI ejusdem Imperatoris ſit congregatum. Verum cum annus mortis Mennæ a Quakenthorpio indicatus nitatur teſtimonio Legatorum Romani Pontificis in Actione III Concilii Gener. VI; eos vel erraſſe, vel ſcribæ illud eſſe vitium Hodius contendit. Ad initium enim usque Concilii Generalis V vitam extendiſſe Mennam, ex epiſtola Vigilii Papæ ad Valentinianum Scytharum Epiſcopum, anno XXIII Juſtiniani ſcripta, quæ extat in Act. Conc. Gen. V. collat. 7. p. 557, probat, in qua Mennæ tanquam in vivis adhuc exiſtentis ſit mentio. Idem Theophanis, Evagrii & Photii etiam confirmat teſtimoniis, quæ hic commemorare non opus. Minus adhuc ponderis ineſſe putat tertio Quakenthorpii argumento, a miraculorum commentis, quibus vita illa referta eſt, petito. Familiarem enim admodum fuiſſe Scriptoribus illius ævi miraculorum narrationem, aliis etiam exemplis docet. Sed ut ad rem, quæ præcipue a clariſſimo Autore agitur, redeamus, neceſſe quidem haud eſſe putamus, ut catalogus a nobis exemplorum omnium ab eo allatorum texatur; Photianam tamen cauſam plane ſilentio prætermittere non placet, quam prolixiſſime omnium perſequitur, & ob alias plane rationes Photium rejectum eſſe a nonnullis oſtendit, quam ob depoſitionem injuſtam anteceſſoris ejus Ignatii. Harum autem præcipua fuit, quod
p. 150. ſub anathemate eſſe tum Photius crederetur, ordinatusve etiam diceretur ab heterodoxo Epiſcopo; ut reliqua quæ affert, taceamus. Cum vero celebris ſit ob cauſam Photianam etiam Synodus *πρώτη ϗ δευτέρα*, in rationem hujus appellationis inquirit, vanam eſſe exiſtimans ea de re Beveregii conjecturam, quam in Synodici T. II. p. 170. profert. Ipſe exiſtimat, unam eandemq; eſſe Synodum, quæ *πρώτη καὶ δευτέρα* dicitur, ita appellatam, quod duabus diſtinctis vicibus Patres illius ſederint, & duas etiam diſtinctas in utraque ſeſſione controverſias tractaverint, Photianam ſcilicet atque Iconoclaſticam. Argumento hujus rei ipſi eſt epiſtola Nicolai Papæ ad Clerum Conſtantinop. quæ extat inter Acta Conc. VIII. act. 7. p. 1068. In ea enim dicit, Imperatorem Michaëlem ſibi, poſt condemnationem Ignatii, a Synodo, in qua Legati ſui præſederant, Conſtantinopoli pronunciatam, *duo volu-*

volumina miſiſſe, quorum unum depoſitionis Ignatii geſta continebat, alterum autem de ſanctis imaginibus habebat acta. Paulo poſt vero de eadem ſynodo tanquam duabus, ob duas ejus diſtinctas partes actaq; gemina, ita loquitur: *Alia illa concilia, quæ imminentibus illis (Radoaldo & Zacharia Legatis præſidentibus) Conſtantinopoli celebrata ſunt, videlicet tam id, quod adverſus Patriarcham Ignatium, quam id, quod pro ſacris imaginibus collectum eſt.* In Chryſoſtomi etiam cauſa multus admodum eſt, quem non communicaſſe quidem cum ſucceſſoribus ſuis largitur; ſed monet tamen, hujus rei ſolam cauſam fuiſſe, quod malis artibus iſti effeciſſent, quod ipſe ſede depelleretur. Deinde etiam alios tamen Chryſoſtomum monuiſſe obſervat, ne ſui cauſa ab Eccleſia ſecederent. Imo partes Chryſoſtomi non rationibus ſed affectibus actas; ante etiam quam ſucceſſor ei daretur, ſeceſſionem eum feciſſe; indeque a Theodoreto quoque & aliis, quibus tamen diſplicebat Chryſoſtomi depoſitio, ſucceſſores nihilominus ejus receptos fuiſſe oſtendit. De Euſtathii Antiocheni depoſitione a Synodo Hæretica facta, Hæreticos etiam ipſi ſurrogante, dum loquitur, contra Baronium, Valeſium & alios evincit, Euſtathium vixiſſe usque dum Meletius orthodoxus ſedem ejus conſcenderet; quo facto, etiam ipſe illius Eccleſiæ regimen amplius non attigerit, cum antea, quamdiu Hæretici illam rexerunt, nunquam Epiſcopi munere abſtinere voluerit. In concluſione denique oſtendit, ipſam charitatem obſtringere Epiſcopos a civili Magiſtratu depoſitos, ut acquieſcant; ſive id faciant autem ſive minus, Eccleſiam tamen ei, qui tenet cathedram, jure meritoque parere, iterum iterumque pertendit.

c. XVI.

c. XVII.

c. XIIX.

ROMANA ANTIQUITAS DISSERTATIONIBUS HISTORICO-Criticis illuſtrata, a D. Julio Minutolo, Celeſtinorum Abbate.

Romæ, typis Jo. Jac. Komarek, 1689. in 8.
Conſtat 1. Alph. 6. plag.

ADmirandam Romani Imperii magnitudinem egregio civilis & militaris diſciplinæ ordine, legum, jurium, ſacrorum, religionum, magiſtratuum, comitiorum, cenſuum, armorum, caſtrorum conſtitutione, omniumque ordinum ac officiorum prudenti deſcriptione,

in tam excelſum faſtigium evectam fuiſſe, bene annotat Polybius. In hanc igitur iſtius Reipublicæ tam pulchram conſtitutionem oculos intendere oportet, qui hiſtoriarum amore & civilis prudentiæ ſtudio tenentur: proindeque Antiquitates ejus, e priſcis ſcriptoribus collectas, complures auctores recenſuerunt. Quos ſecutus *Minutolius* ſeptem Diſſertationibus potiſſimas illuſtrandas ſibi propoſuit: quarum *prima* urbis Romæ originem exponit, & communem Remi ac Romuli hiſtoriam, diverſis narrationibus impeditam, quas Plutarchus, Feſtus & Dionyſius Halic. recenſent, aut fabulis prorſus annumeratam, ut a Ph. Cluverio & Jo. Temporario factum, vindicat, & Æneæ adventum in Italiam adverſus negantes Græcos ſcriptores aſſerit; Zamorenſis etiam Floriani & Emanuelis de Faria ineptias, quorum ille Hiſpanos, hic Luſitanos, Romæ conditores fuiſſe contendunt, confutat p. 19. Latii reges hoc ordine p. 28. ſeq. enumerat: Janus, Picus, Faunus, Latinus, Æneas, Aſcanius, Sylvius, Alba, Capetus, Capys, Calpetus, Tiberinus, Agrippa, Aventinus, Procas, Amulius, Numitor, Lauſus, Romulus. Conditæ Romæ hiſtoriam p. 35. texit. *Secunda* incrementa & occaſum potentiſſimæ hujus Urbis & Imperii deſcribit. Ad incrementa p. 44. refert aſyli extructionem; deſcriptionem civium in tribus, curias & decurias; diviſionem in plebejos & patricios & equites; conſtitutionem ſacrorum & legum; matrimoniorum a Sabinis per vim obtentum, indeque cum vicinis gentibus bella, fœdera; augmentaque ſub Regibus ſeptem, Conſulibus & Imperatoribus. Occaſum ſub Trajani temporibus cœpiſſe p. 79. affirmat, Alaricum autem nimium quantum eum promoviſſe p. 80. tandemque ſub Momyllo ſeu Auguſtulo imperium Rom. deſiiſſe p. 82. *Tertia* urbis Romæ topographicam deſcriptionem exhibet, Donatum & Nardinum, qui in eo argumento ſe exercuerant, carpens interdum. Quadratam, non circularem, formam ejus fuiſſe p. 88. contendit; mœnia a Servio Tullio dilatata, nec ab alio poſtea vel Conſule vel Cæſare ampliata fuisſe usque ad Aurelianum Imp. p. 97. contra Donatum, Panvinium, Marlianum, Fabricium, Lipſium & alios, Dionyſio Halic. innixus, evincit. Quo loco quid *pomœrium* fuerit p. 99. explicat, & qua ratione pomœrium urbis intactis mœnibus ampliatum fuerit p. 103. oſtendit. Situm mœniorum Servii Tullii p. 104. monſtrat, & eorum magnitudinem p. 109. non ad XIII millia paſſuum, ut e Plinii lib. III. cap. 5. contendit

Iſaacus

Iſaacus Voſſius, ſed VIII milliaria extendendam; hac etiam ratione Plinii locum & numerum reſtituendum eſſe, cum Fabretto & Seuerolio p. 110. exiſtimat; Voſſii ſimul de nimia Urbis magnitudine ſententiam p. 113. ſeq. expendit. Ampliata ſeu propagata mœnia ab Aureliano, ut urbem validiorem redderet contra hoſtium inſultus, e Flavio Vopiſco in Aurel. tradit p. 118, & ampliationis eorum modum inveſtigat. De portis urbis p. 128, ſeqq. de ſeptem collibus p. 138. de fontibus p. 140. de cloacis p. 141. de viis p. 142. de vicis p. 148. de pontibus p. 150. de Tiberi fluvio p. 154. de Tiberina inſula p. 158. de ſuburbiis p. 159. de incolarum numero p. 162. de regionibus urbis quatuordecim p. 166. diſſerit. *Quartam* domibus in Roma impendit, earumque materiam, lapides, arenam, calcem, lateres, crates, p. 175. tum formam, & tres antiquorum Græcorum ædificandi ordines, Doricum, Corinthium & Ionicum, Italicum item & Toſcanicum ſeu Ruſticum p. 179. 180. genus porro reticulatum, incertum, ordinarium, lateritium, cæmentitium, formaceum, cratitium, ſpicatum, p. 180. exponit; ac dein ſex ætates Romæ conſtituit p. 189. & quod quavis ætate ædificiorum genus obtinuerit p. 190. ſqq. tradit. Partes domorum p. 198. deſignat, veſtibulum, januam, atrium, tablinum, cavædium, conclavia, cellas ſeu penus, triclinia, dormitoria, exedras, ſtabula, culinam, baſilicas, œcos, balnea, valetudinaria, armamentaria, viridaria, ſcalas, xyſta, caminos, feneſtras, usq; ad p. 231. Numerum ædium & inſularum (quo nomine parvæ ædes veniunt) in quatuordecim regionibus urbis Romæ p. 236. ſeqq. indagat, eumq; oppido magnum: de Auguſti magnificis ædibus p. 245. a Tiberio, Caligula & Nerone ampliatis diſſerit. *Quinta* in ſacris locis verſatur, & Templa eorumq; in urbe Roma originem p. 259. cauſas p. 261. inaugurationes p. 266. religionem pag. 268. partes, quæ ſunt, area, atrium, fores, baſilica, prodromus aut pronaum, cella, adytum, penetrale, ſacrarium, donarium, tectum, ara, p. 273. ſeqq. ornamenta p. 292. ſpecies, quæ ſunt fanum, ſacellum, ædicula, lararium, teſca, lucus, dianium, minervium, bidental, delubrum, p. 293. numerum p. 297. nomina p. 298. & præcipuas in ſingulis urbis regionibus præ cæteris magnificas ædes ſacras recenſet. *Sexta* in ſepulcris eorumque nominibus p. 326. ſpeciebus p. 331. materia p. 334. ſtructura p. 335. amplitudine p. 339. ornamentis p. 340. ſitu p. 342. conditoribus p. 352. conditis non ſolum hominum ſed etiam brutorum cadaveribus p.

354.

354. ſepulcri honore indignis p. 356. ejus religione p. 357. violatione p. 359. eorundem in regionibus urbis Romæ deſignatione p. 362. ac tandem lucernis ſepulcralibus & harum materia, magnitudine, perpetuo igne & iſtius ratione inveſtiganda, p. 373. ſeqq. verſatur. *Septima*, eaque ultima, ædificiorum, quæ judiciis exercendis dicata fuerunt, deſcriptioni impenditur. Inter hæc primo loco ponit Forum, cujus vocis originem, & varias ſignificationes p. 387. multiplicem uſum p. 390. figuram p. 390. numerum & diverſa genera p. 391. recenſet. Aliud enim rebus vendendis deſtinatum fuiſſe, ut boarium p. 391. piſcarium p. 392. olitorium p. 393. ſuarium, piſtorium, argentarium, archimonium, Salluſtii, cupediarium p. 394. macellum p. 395. aliud judiciis exercendis idoneum, cujus generis fuerit Romanum, (quod etiam Latinum, Palladium, vetus & magnum ſit dictum p. 396. cujus ſitum aliter quam Baronius aut Marlianus conſtituit p. 397. & de ejus ornamentis, porticibus p. 405. Coloſſo equeſtri Domitiani p. 406. lacu Curtio p. 407. olea, vite, ficu, cloaca & doliolis p. 408. diſſerit) Cæſaris p. 408. Auguſti p. 412. Nervæ p. 414. (quod & Tranſitorium & Palladium fuerit dictum p. 415.) Trajani ſeu Ulpium, in quo inſignis illa columna Trajani poſita p. 416. Poſt fora enumerata adjunctas iis baſilicas, in quas e foro translata fuerunt judicia, earumque ætatem p. 423. formam p. 423. partes, quæ ſunt ambulatio, Chalcidica, navis, pluteus p. 425. genera, quæ nominat Portiam, Semproniam, Opimiam, Juliam, Æmiliam, Caji & Lucii, Pompeji, Trajani, Gordiani, Antonini, Severi p. 429. explicat. Dein Roſtra deſcribit p. 430. & Curias p. 434. recenſet, veteres, Hoſtiliam, Calabram, Pompeji, Pompilianam, Juliam, Auguſti, Geruſiam, Octaviæ, Leucadiam, Saliorum, Præturam præſentiſſimam, Græcoſtaſim. De Senaculis, qualia fuerunt Martis aut Bellonæ templum, aliudve extra portam Capenam, & in Quirinali colle, pauca p. 443. delibat. De Comitio, qui locus comitiis agendis deſtinatus, poſtea *ſeptum* & *ovile* dictus fuit p. 445. agit, iſtoque primum hunc Diſſertationum tomum claudit: quorum plures ſperare nos jubet, ſæpiusque ſecundum & tertium allegat, in quibus Antiquitatum Romanarum ritus, ſacra, militaria, & alia ſe expoſiturum promittit. Nec profana modo aut Gentilium in litteratura ſe ſtudium ponere, ſed ſacras etiam conſuetudines veteres ritusque annotare inde diſcimus, quod in Adverſariis jam pa-

ratum

ratum ſe opus habere p. 324 indicat, in tres partes diſtinctum, cui titulus *Antiquitas Eccleſiaſtica Illuſtrata*, quod paginis etiam 352 & 385 allegat,

ATHENÆ OXONIENSES. AN EXACT HISTORY of the Writers and Bishops &c.

i. e.

HISTORIA EXACTA SCRIPTORUM ATQUE EPIſcoporum, qui prodierunt ex antiquisſima & celeberrima Oxonienſi Academia ab A. D. 1500 ad A. 1690. Accedunt FASTI OXONIENSES. Volumen II.

Londini apud Thomam Bennet, 1692. in fol. Plag. 122.

DE Operis hujus, quod clariſſimo Viro *Antonio a Wood* debemus, ordine & inſtituto jam olim diximus, cum in Actis Eruditorum A. 1692. pag. 35. primum ejus volumen repræſentaremus. Et illud quidem ad annum 1640 Auctor perduxerat: in ſecundo autem hoc filum illud pertexens, Scriptorum ac Epiſcoporum, qui Oxonienſis Academiæ alumni fuerunt, Hiſtoriam porro ad annum usque 1690 extendit. Complectitur illud Scriptores 542, quorum ultimus Richardus Lowerus eſt, inter Medicorum filios ſcriptis ſuis ſatis notus. Epiſcoporum, quorum 75 enarrantur, poſtremus eſt Ezechiel Hopkins Londino-Deriæ in Hibernia Epiſcopus, anno 1690 menſe Junio fatis functus. Fama fuit, tertium quoque volumen, ut Supplementi loco eſſet, molitum doctiſſimum Auctorem fuiſſe: ſed illud conſilium mors ejus intervertit, quæ anno 1695 ipſi obtigit. Tametſi adverſum etiam fatum, quod ſecundum hoc volumen, ob quædam in eo liberius dicta, quam ut Magnatum Angliæ nonnemo ferre poſſet, expertum fuit, abſterrere Virum ab edendis libris potuiſſet. Et certe accepimus ab hominibus fide dignis, haud pauca eum parata habuiſſe Adverſariorum ad Antiquitates Anglicanas inprimis ſpectantia volumina, quorum magnam partem, cum mortem ſibi imminere ſentiret, igne aboleverit, reliquis amicorum rogatu Muſeo Aſhmoleano, in quo Academiæ Oxonienſis pleraque aſſervantur κειμήλια teſtamento legatis.

ERRATA.

Pag. 44. lin. 16. pro *ſenio* lege *tædio*. P. 431. l. 26. pro *potui erunt* lege *potuerunt*.

INDEX AUCTORUM quorum Libri aut Inventa hoc volumine recenſentur.

I. *Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Abhuhabh (*Iſaaci*) *Candelabrum lucis.* 44
S. Ambroſii *Operum Tomus II.* 209
Anhorn ab Hartwiss (*Bartholomai*) *Theatrum concionum ſacrarum topicum.* 353
Anonymi *via juſtorum.* 44
Anonymi *Canticum Canticorum Salomonis, cum paraphraſi.* 64
Anonymi *diſcurſus de naturali & revelata religione &c.* 62
Anonymi *nova editio Bibliorum Græcorum.* 274
Baluzii (*Stephani*) *Vita Paparum Avenionenſium.* 291
Ciampini (*Johannis*) *diſſertatio, an Romanus Pontifex baculo paſtorali utatur?* 91
Sacro-hiſtorica diſquiſitio de duobus emblematibus &c. 92
Clementis *Epiſtola prima ad Corinthios.* 504
Colbergii (*Ehregott Danielis*) *Sapientia veterum Hebræorum &c.* 461
Comberi (*Thomæ*) *fraudes Romanæ in editione Conciliorum priorum IV ſeculorum.* 39
S Cypriani *Literæ ſelectæ ad Confeſſores & Martyres.* 103
Dodwelli (*Henrici*) *Epiſtolæ duæ de ſacrorum ordinum ſuſceptione & ſtudii Theologici ratione &c.* 511
Dubois (*Gerhardi*) *Hiſtoria Eccleſiæ Pariſienſis.* 114
Harduini (*Johannis*) *Tractatus de ſupremo Chriſti Paſchate.* 395
Heideggeri (*Joh. Henrici*) *Tumulus Tridentini Concilii.* 82
Heinrici (*Danielis*) *Tractatus de vita humanæ termino.* 192

Her-

Hermand (*Godofredi*) *Clavis eccleſiaſticæ diſciplinæ* 437
Hody (*Humfredi*) *Epiſtola de collectione canonum &c.* 169
de cauſa ſedium Epiſcopalium vacantium &c. 599
Huetii (*Petri Danielis*) *Demonſtratio Evangelica.* 98
Epiſtola ad Marchionem de Feuqueres. 101
Hulſii (*Henrici*) *Syſtema Theologiæ plenum.* 401
Kahleri (*Johannis*) *Pentas diſſertationum Theol. de imputatione peccati alieni.* 174
De Lauræa *Cardinalis Index Alphabeticus ad Baronium.* 544
S. Laurentii *ad* Puteum *Homilia de Chananaa* 525
Leydekkeri (*Jacobi*) *Hiſtoria Eccleſiaſtica V. & N. T.* 61
Mabillonii (*Johannis*) *Tractatus de ſtudiis monaſticis.* 267
Martene (*Edmundi*) *Tractatus de antiquis Monachorum ritibus.* 67
Montfalconii (*Bernhardi*) *Veritas hiſtoriæ Judithæ adſtructa.* 49
Morelli *Tractatus de Simonia* 26
Naironi (*Fauſti*) *Euoplia Fidei Catholicæ Romanæ.* 545
Le Nourri (*Nicolai*) *Apparatus ad Bibliothecam maximam veterum Patrum &c.* 527
Perezii (*Fr. Joſephi*) *Diſſertationes Eccleſiaſticæ.* 201
Piazzæ (*Caroli Bartholomæi*) *Vaticanum &c.* 145
Pierce (*Thomæ*) *Pacificatorium Orthodoxæ Theologiæ Corpuſculum.* 348
Du Pin *Nova Bibliotheca Auctorum Eccleſiaſticorum Tomi III. Pars II. ſeu T. IV.* 415
Tomus V. 424
Tomus VI. 474
Pocockii (*Eduardi*) *Commentarius in Prophetiam Joelis.* 45
Polycarpi *Epiſtola ad Philippenſes.* 505
Pufendorffii (*Samuelis*) *epiſtola ſuper Theologia in formam demonſtrationis redigenda.* 99
Richardi *Commentarius in Pentateuchum* 552
Ruinart (*Domni Theodorici*) *Hiſtoria Perſecutionis Vandalicæ.* 407
Schonebeck (*Adriani*) *brevis fundationis Ordinum ſacrorum Hiſtoria.* 103
Spanhemii (*Friderici*) *Elenchus Controverſiarum de Religione.* 405
Van Staveren (*Petri*) *Oeconomia Dei in gubernanda Eccleſia ſua.* 453

Chirac *Excerpta literarum de pilorum ſtructura.* 435
Cowper (*Guilielmi*) *Myotomia reformata.* 506
Domergii *modi faciles conſervandi ſanitatem absque medicamentorum uſu.* 56
Langii *Tractatus de Vaporibus.* 6
L. Lemoniere *Tractatus de fiſtula ani.* 128
Leontini (*Dominici Bottoni*) *de igne diſſertatio &c.* 188
Liſteri (*Martini*) *Hiſtoria Conchyliorum.* 248
Peu (*Philippi*) *Praxis ſubveniendi parturientibus.* 470
Renaldini (*Caroli*) *Naturalis Philoſophia.* 449
Wedelii (*Georgii Wolfgangi*) *Exercitationum Philologico-Medicarum Decas III, IV. & V.* 249
Pathologia Medica Dogmatica. 260

IV. *Mathematici.*

Academiæ *Regiæ ſcientiarum Pariſienſis Commentarii Mathematico-Phyſici.* 198. 228. 361. 432
Africani (*Julii*) *Ceſti.* 316
Arnoldi (*Chriſtophori*) *Obſervatio Mercurii in Sole viſi A.* 1690. *d.* 31 *Oct.* 281
Athenæi *aliorumque Mathematicorum veterum Opera.* 316
Bekkeri (*Balthaſaris*) *de Cometarum præſagiis.* 428
Coronelli (*Vincentii*) *Atlas Venetus.* 257
Hallei (*Edmundi*) *Diſcurſus de proportionali calore Solis in omnibus latitudinibus &c.* 328
Specimen excellentiæ Algebræ in reſolutione problematis de inveniendis univerſalibus focis opticorum vitrorum. 333
Hoſpitalii *Marchionis Solutio Problematis æquilibrii.* 289
Kirchii (*Godofredi*) *Obſervatio Mercurii in Sole viſi.* 276
Kochanski (*Adami Adamandi*) *Obſervatio Mercurii in Sole viſi.* 276
Palmæ (*Johannis Baptiſtæ*) *in Geometriam Exercitationes.* 125
Taylor (*Johannis*) *Gazophylacium Mathematicum.* 149
Wurzelbaur (*Johannis Philippi*) *Mercurius in Sole obſervatus.* 280

V. *Hiſtorici, Geographici, Genealogici, & ad Rem Nummariam ſpectantes.*

Aldimari (*Blaſii*) *commentarius de diverſis familiis nobilibus &c.* 349
Anonymi vita Taſſi. 17
Anonymi diſſertatio de aliquibus Numismatibus Caroli M. &c. 36
Anonymi narratio de rebus Ultrajectinis, illuſtrata per Ant. Matthæum 135
Anonymi Senatus Populique Antverpienſis Nobilitas. 152
Anonymi vita & res geſtæ Guilielmi Wicami. 163
Anonymi diſſertatio de nummo Herodis Antipæ. 365
Bailleti (*Adriani*) *Scriptores latentes ſub nominibus alienis.* 178. 234
Baluzii (*Stephani*) *Vita Paparum Avenionenſium.* 291
Begoni *Diſſertatio Hiſtorica Herodis Antipæ nummum illuſtrans.* 365
Bœcleri (*Joh. Henrici*) *ſpecimen annotationum in Æneæ Silvii Hiſt. &c.* 73
Ciampini (*Joannis*) *Disquiſitio Sacro-Hiſtorica de duobus emblematibus &c.* 92
Coronelli *Atlas Venetus.* 257
Cox (*Richardi*) *Hibernia Anglicana &c.* 305
Dati (*Nicolai*) *Fragmenta Hiſtorica tribunalis Regiæ Cameræ Neapolitanæ.* 325
Deſeine (*Franciſci*) *deſcriptio urbis Romæ.* 345
Geographia antiqua & moderna &c. 346
Du Freſne (*Caroli*) *Diſſertatio de portu Iccio.* 491
Gibſoni (*Edmundi*) *Julii Cæſaris portus Iccius illuſtratus.* 490
Graverolli *diſſertatio de nummo Græco Dei Panis nomen præferente &c.* 369
Harduini (*Johannis*) *Proluſio de nummis Herodiadum.* 375
Juſtiniani (*Bernhardi*) *Hiſtoriæ Chronologicæ de originibus Ordinum equeſtrium.* 497
A Kochow Kochowski (*Veſpaſiani*) *Annalium Poloniæ climacter primus & ſecundus.* 351
Leti (*Gregorii*) *Vita Oliverii Cromwelli.* 492
De Leydis (*Fr. Johannis*) *Chronicon Egmundanum* 319
Lundii (*Caroli*) *Zamolxes primus Getarum legislator.* 282
Marchetti (*Annibalis*) *de rebus geſtis B. Aloyſii Gonzagæ.* 223
Minutoli (*Julii*) *Romana Antiquitas illuſtrata.* 565

Matthæi

Matthæi (*Antonii*) *Notæ in Autoris incerti Narrationem de rebus Ultrajectinis* 135
Notæ in Chronicon Egmundanum Joannis de Leydis. 320
Piazzæ (*Caroli Bartholomæi*) *Diarium Vaticanum.* 145
Poſtelli (*Guilielmi*) *de Magiſtratibus Athenienſium liber.* 350
Prætorii (*Matthæi*) *Orbis Gothicus &c.* 1
Mars Gothicus &c. 165
Ragueneti *Hiſtoria Oliverii Cromwelli* 137
Rigordi *reſponſoria ad Graverollum de nummo Græco Dei Panis nomen præferente.* 372
Diſſertatio Hiſtorica Herodis Antipæ nummum illuſtrans. 365
Roberti (*Gaudentii*) *Miſcellanea Italica Erudita.* 47
Baronis le Roy (*Jacobi*) *Topographia Hiſtorica Gallo-Brabantiæ* 258
Ruinarti (*Theodorici*) *Hiſtoria perſecutionis Vandalicæ.* 407
Silvii (*Æneæ*) *Hiſtoria Rerum Friderici III. Imperatoris.* 13
Somneri (*Guilielmi*) *Reſponſio ad Chiffletii librum de Portu Iccio.* 489
Stanley (*Thomæ*) *Hiſtoria Philoſophica.* 356
Theiſſerii (*Antonii*) *Catalogus auctorum qui librorum catalogos, Bibliothecas &c. conſignarunt.* 5
Thomaſſini (*Ludovici*) *Methodus Chriſtiane & ſolide profanos Hiſtoricos tractandi.* 518
Trithemii (*Johannis*) *Annales Hirſaugienſes.* 83
Varillaſii (*Antonii*) *Hiſtoria Henrici III. Regis Franciæ.* 453
Walkeri (*Antonii*) *narratio vera de libro: Εἰκὼν βασιλική.* 171
A Wood (*Antonii*) *Athenæ Oxonienſes.* 568

VI. *Philologici & Miſcellanei alii.*

Alexander *de Figuris ſententiarum &c.* 261
Anonymi via juſtorum. 44
Anonymi diſquiſitio de Felicitate & de vita humana. 59
Anonymi diſcurſus de naturali & revelata religione &c. 62
Bartoloccii (*Julii*) *Bibliotheca Magna Rabinica Pars IV.* 297
Beronicii (*P. I.*) *opera.* 191

Calo-

Caloprefe *(Gregorii) explicatio orationis Marfiſiæ ad Carolum M. in Arioſti Furioſo.* 449
Camdeni *(Gulielmi) & illuſtrium Virorum ad eum epiſtolæ.* 139
Cauſei *de la Chauſſe (Angeli) Romanum Muſeum.* 33
Chauvini *(Stephani) Lexicon rationale.* 47
Ciampini *(Johannis) Disquiſitio de duobus emblematibus &c.* 92
Colbergii *(Ehregott Danielis) Sapientia veterum Hebræorum.* 461
Frugoni *(Franciſci Fulvii) Opus maximum de Cane Diogenis.* 133
Heckelii *(Jo. Friderici) Notæ in Poſtelli librum de Magiſtratibus Athenienſium.* 350
Heinrici *(Danielis) liber de vita humanæ termino.* 192
Homeri *Ilias.* 267
Hyde *(Thomæ) de Ludis Orientalibus libri.* 483
Imbonati *(Caroli Joſephi) Bibliotheca Latino-Hebraica.* 303
Liſteri *Hiſtoria Conchyliorum.* 248
Lubrani *(Jacobi) Suaviludium Muſarum ad Sebethi ripam.* 542
Minutianus *de ſedibus argumentorum.* 261
Minutoli *(Julii) Romana antiquitas illuſtrata &c.* 565
Nicaſii *Diſſertatio de Sirenibus.* 341
Normanni *(Laurentii) Rhetores antiqui, Alexander, Phœbammon, Minucianus.* 261
Phœbammonis *Scholia de Schematibus oratoriis.* 261
Pignatelli *(Aſcanii) Ducis Biſacciæ Poëmata.* 296
Poſtelli *(Guilielmi) de Magiſtratibus Athenienſium Liber.* 350
Quintiliani *(M. Fabii) Declamationum Liber.* 317
de Inſtitutione oratoria libri XII. 318
Raji *(Johannis) Collectio verborum Anglicanorum quæ vulgo non occurrunt.* 173
Roberti *(Gaudentii) Miſcellanea Italica erudita. Tomus II. III IV.* 47
Teiſſerii *(Antonii) Catalogus auctorum, qui Indices, Bibliothecas, Elogia &c. deſcripſerunt.* 5
Walkeri *(Antonii) narratio vera de libro : Εἰκὼν βασιλική.* 171

INDEX

INDEX RERUM NOTABILIORUM
In hoc Volumine obviarum.

ABarbanelis *Animadverſiones in Hiſtoriam Judaicam Joſephi ben Gorion.* 300
Abbates *ſtudiis navare operam decet.* 268
Abortus *cauſæ occaſionales.* 471
Abulcacimi *Hiſtoria Regis Roderici fabuloſa.* 209
Abyſſini *in Euchariſtia ſucco ex uvis paſſis expreſſo utuntur.* 549
Acidum *fermentorum quomodo corrigendum?* 14
Actio *de ſuppoſito partu non competit collateralibus marito adhuc vivente.* 227
Actiones *pœnales non temere pro abrogatis reputandæ.* 254
Adoptio *non jure facta a Principe confirmatur.* 254
Adultera *accuſari nequit a marito, quamdiu iſte uxorem in ſua domo retinet.* 197
Ægyptiorum *Philoſophia.* 464
in occultandis ſacris ſuis ſtudium. 514
Æquationes *omnium graduum generalibus terminis expreſſas reſolvendi methodus.* 200
Æquilibrii *problema per communem Geometriam generaliter conſtructum.* 290
Aër *& motus igni & luci conſervandis neceſſaria.* 189
quomodo hydrargyrum ſuſtineat in barometro? 451
Aeris *calor a Sole productus ad varias latitudines, & modus colligendi.* 328 *ſq.*
Æther *puriſſimus eſt ignis.* 453
Africæ *ſacra Geographia illuſtrata.* 413
Africani *Epiſcopi num Romanis Pontificibus obnoxii fuerint?* 41
Agathiæ *Scholaſtici epigramma Græcum illuſtratum.* 487
Agrippa, *ſenior & junior, ex familia Herodiadum.* 390 *ſqq.*
Albertinus *notatus.* 213
Albertus *M. fueritne magus?* 90
Alcalia *quæ?* 14
S. Aldhelmi *vita.* 126
Aldrovandus *notatus.* 344
Alemannus *refutatus.* 38
Alexander *librorum de Figuris ſententiæ atque elocutionis auctor, quis fuerit?* 261
Alexandrina *ſchola a S. Marco fundata.* 532

Allatius (*Leo*) *notatus.* 359. 417
Allodium *quid?* 136
Amazones *ex Suecia profectæ.* 286
S. Ambroſii *pro virginitate & viduitate ſtudium.* 210 *ſq.*
pſeudepigrapha. 219. *ſq.*
S. Ambroſius *num auctor fuerit libri de lapſu virginis conſecratæ?* 212
num in libris de Spiritu S. Didymum exſcripſerit? 215
num auctor hymni: Te Deum laudamus? 218
Amellum *Virgilii quid?* 250
Ammoniorum *Philoſophia an a Phœnicibus?* 514
Amoritarum *terra quæ Genes. XLVIII. 22?* 557
Amygdalarum *oleum num colicæ medeatur?* 14
Anaſtaſio *Sinaitæ* Ὁδηγὸν *num recte tribuerit Dupinius?* 427
De Angelis *quæ ſententia Sadducæorum fuerit?* 379 *ſq.*
Anglia *Romanis olim Pontificibus tributaria.* 148
Angliæ *Archi-Epiſcoporum & Epiſcoporum Hiſtoria.* 105. *ſqq.* 153. *ſqq.*
Anglicani *Alphabeti defectus.* 173
Anglicarum *rerum ſub Cromvvello Hiſtoriographi.* 137
Angli *num juſte occuparint Hiberniam?* 307. *ſqq.*
Anhorniorum *in Rhætia Familia* 355.
De Ani *fiſtulis tractatus.* 128. *ſq.*
Anil *Arabum quid?* 251
De Anima *humana quæ fuerit Sadducæorum ſententia?* 380
Animalia *voracia quæ?* 199
Antelmii *de Proſpero Epiſtolarum, quæ S. Leoni tribuuntur, auctore ſententia examinata.* 420
Antvverpienſes *ſeptem tribus Patriciæ.* 125
Apocriſarii *olim qui?* 121
Apoſtolorum *qui vocantur Canones num ab Apoſtolis ipſis ſanciti?* 40
Aquæ *pluviæ annuatim deciduæ quantitas & comparatio.* 199
Ad Aquam *admixtio ſalis quomodo indaganda?* 434
Arboris *Dianæ productio.* 363
Archelaus *Herodis filius num Ethnarcha tantum, an Rex Judæorum fuerit?* 383. *ſq.*
imperio fuit potitus brevi. 384
Arentſonius *a Doore geeſt Mennonitarum Miniſter refutatus.* 406
Argoli *Ephemerides notatæ.* 433
Ab Arianis *perpetratarum Perſecutionum Hiſtoria a Ruinarto promiſſa.* 407
In Arioſti *Furioſo Oratio Marfiſiæ ad Carolum M. explicata.* 438
Ariſteæ *Hiſtoria num genuina?* 538
Arma *veterum Gothorum.* 166
Armeni *in quo differant a reliquis Monophyſitarum ſectis?* 548

Arpha-

Arphaxad *num idem cum Deioce an cum Phraorte?* 51. *ſq.*
Aſtrologiæ *vanitas,* 429. 460
Aſtrorum *natura.* 451
Athenæus *notatus.* 338
Athenienſium *Magiſtratus.* 350
Atlantica *Platonis quænam?* 465. 520
Atlas *Venetus P. Coronelli.* 257
Atmoſphæra *Lunaris, æthere denſior, colorum in Eclipſibus a Luna productrix.* 451
Atmosphæræ *Planetarum unde?* 189
Atticus *Epiſcopus Conſtantinopolitanus.* 416
Avenionenſium *Paparum Hiſtoria.* 291 *ſqq*
De Avito *monita.* 426
Auguſtinus *notatus.* 177
primus Cantuarienſium Epiſcopus quo tempore conſecratus fuerit & mortuus? 109
Auris *internæ muſculi quatuor.* 508
Auſtria *acceſſione partis Bavariæ dilatata.* 76
Auſtriacorum *adverſus Fridericum III Imperatorem bellum ab Ænea Silvio deſcriptum.* 75. 78 *ſqq.*
Auſtriæ *deſcriptio.* 75
Ducum privilegia unde? 76
BAculo *Paſtorali num Romanus Pontifex utatur?* 91
Badu, *regula deſignans diem Paſchatos a Judæis, aut Galilæis ſeu Iſraëlitis celebrandi.* 398. 400
Baleus *notatus.* 109. 111. 154
Barbam *num Monachi aluerint?* 72
Barbari *unde dicti?* 4
Barnabæ *Epiſtola vindicata.* 533. *ſq.*
Barometrorum *Mercurialium defectus.* 434
Baronii *Annalium Index.* 544
Baronius *notatus.* 39 *ſqq.* 42 *ſqq.* 477
Barritus *Gothorum quid?* 4
Bavariæ *pars ut Auſtriæ acceſſerit?* 76
Bavaricæ *Domus Genealogia.* 88
De Beda *Venerabili quædam.* 478
Bellarminus *notatus.* 212
Bellica *veterum Gothorum inſtrumenta.* 166 *ſq*
Benedictinorum *ordinis in Hiſpania antiquitas aſſerta.* 201 *ſqq*
privilegia vindicata. 206
S. Benedictus *quo anno diem obierit?* 208 *ſq*
Berengarii *de Eucharistia diſputationes.* 125. 126
Beronicii (*P.I.*) *Poëtæ mores & ingenium.* 161
Bethulia *tempore Manaſſis obſeſſa* 53 *ſqq.*
Beveregius (*Guilielmus*) *notatus.* 413. 564
Bibliorum *Græcorum editio nova* 274
Bibliotheca *Bibliothecarum Antonii Teiſſerii.* 5
Rabbinica Julii Bartoloccii. 297

Latino-Hebraica Imbonati. 303
Bibliothecæ *Patrum.* 527
Bignæi (*Margarini*) *Bibliotheca Patrum.* 528 *ſqq*
Biliaris *ductus in pylorum patens.* 199
Bilis, *quomodo ad digeſtionem faciat?* 199
Bilis *& ſucci pancreatici mixtura, ut agere poſſint in alimenta, non neceſſaria.* 199
Binius *notatus.* 39 *ſqq*
Bochartus *notatus.* 512
Bongarſius (*Jacobus*) *editor operis, quod Geſta Dei per Francos inſcribitur.* 457
Bononia *num Portus Iccius Julii Cæſaris?* 489
Borellus (*Alfonſus*) *notatus.* 190
Boſqueti (*Franciſci*) *vita Pontificum Avenionenſium mendoſa.* 292
Boyleanum *phoſphorum præparandi ratio.* 433
Britannia *Camdeni, opus laudatum & ab auctore ipſo defenſum.* 140. 142
Britanniæ *vocis origo.* 144
Brunonis *in eremum ſeceſſio ex qua cauſa facta?* 126 *ſq.*
Buccinum *ventricoſum ampullaceum, genus conchyliorum.* 249
Bucentauri *deſcriptio.* 257
Bullarum *uſus varius.* 323
Bullingerus *notatus.* 213
Bundſchuch, *liga Ruſticorum.* 88
Burnetii (*Thomæ*) *de Hiſtoria creationis Moſaica ſententia refutata* 406
Bzovius *notatus.* 292

CAinan *in Abrahami genealogiam intruſus.* 436
Calor, *flamma, lux, fumus, particulæ igneæ variè modificatæ.* 188
diverſus a luce & lumine. 452
Aëris a Sole productus ad varias latitudines, & modus colligendi. 328. *ſq*
Caloris *& frigoris diverſi gradus unde?* 328. 329
Calicum *ſacrorum pictura.* 93
De Cambio *quæſtiones ſingulares.* 131. 132
Camdeni (*Guilielmi*) *elogium & vita.* 139
in Academiam Oxonienſem merita. 143
Annalium tomi ſecundi editio a Thoma Smitho promiſſa. 143
apparatus. 145
Cameræ *Imperialis ſententiæ quam auctoritatem habeant?* 254
Canis *Diogenis, liber moralis.* 133
Canones *Apoſtolorum num ab Apoſtolis ipſis ſanciti?* 40
Contra Canones *ſæpe pacis Eccleſiæ cauſa diſpenſatum.* 560
Canonicorum *ortus.* 121. 124. 128
Canticum Canticorum *Salomonis illuſtratum.* 64. *ſqq*
Cantuarienſium *Archi-Epiſcoporum hiſtoria.* 109. *ſqq.* 126. *ſqq.*

Capi-

Capitis *muſculi recti minores novi* 508
Cappellæ & *Cappellanorum nomen unde?* 321
Caribus, *Græciæ populo, num armorum inventio recte tribuatur?* 165
Caroli *IX. Galliæ Regis in Torquatum Taſſum affectus.* 20
Caroli *M. liber de cultu imaginum.* 479
Carolus *M. ſuprematum Romæ tenuit ante aſſumptum Imperatoris titulum.* 37
Carolus *I. Rex Angliæ num auctor libri* Εἰκὼν βασιλικὴ? 171
a calumnia, quod Hibernorum rebellionem foverit, vindicatus. 312 *ſqq*
Caſaubonus *notatus.* 358
Caſſiani (*Johannis*) *patria.* 416
Caudarum *Cometicarum ortus.* 452,
Caupo *ex furto in domo a ſuis domeſticis commiſſo non tenetur, ſi res ablata ipſius cuſtodiæ non fuit concredita.* 228
Cautio *de non offendendo expoſitione methodica declarata.* 255
Centuriatores *Magdeburgici notati.* 211. 218
De Cereviſia *Bremenſi lepidum judicium Scoti cujuſdam.* 325
Ceſſio *bonorum. vide Decoctor.*
Chaldæorum *Philoſophia.* 360
Chiffletius *notatus.* 217. 409. 412. 415
Chinæ de China *febrifugæ nova præparatio.* 361
uſus. 14
Chirurgorum *Gallicorum in adjuvandis parturientibus ſolertia.* 470
Chriſtianæ *religionis veritas aſſerta.* 63
capita num in formam demonſtrationis redigi poſſint? 99. *ſqq*
Chriſti *nativitatis epocha.* 303. 366
in S. Cœna præſentia qualis? 349
latus apertum. 249
De Chriſti *ſupremo Paſchate diſſertatio Harduini.* 395 *ſqq*
Chriſto regnante *formula unde?* 127
Chriſtus *Hieroſolymis Paſcha non niſi in annis Badu celebrare voluit.* 400
Chronologia *ex nummis ab Harduino illuſtranda.* 375
Philoſophorum veterum. 357
antediluviana difficilis. 519
Cibi *concoctio fit per elixationem.* 453
Ciceronis *locus explicatus.* 382
Cicindelarum *ſpecies.* 189
alatarum deſcriptio. 189
Circumciſionis *uſus apud Coptitas & Abyſſinos.* 548
Civitates *Germaniæ Liberæ, non Imperiales, ſed Regales dicendæ.* 87
Claſſes *inſignium expeditionum.* 258
Claudiani *Mamerti eadem de Anima opinio, quæ Carteſii.* 423
Clemens *quo tempore epiſtolam ad Corinthios ſcripſerit?* 504
Clericus (*Johannes*) *notatus.* 553. 555

Cluverii (*Philippi*) *de Portu Iccio ſententia.* 489
Cochlearum *Hiſtoria.* 248
Cocus *notatus.* 212. 213
De S. Cœna *controverſias componendi ratio.* 348
Colli *muſculi interſpinales novi.* 508
Combefiſii (*Franciſci*) *ſtudium in augenda Bibliotheca Patrum.* 530
Cometæ, *ignes.* 189
Cometarum *motus linea irregularis & tortuoſa.* 452
De Cometarum *præſagiis diſquiſitio Balthaſaris Bekkeri.* 428 ſqq
Cometicarum *caudarum ortus.* 452
Comitum *Pariſienſium munus.* 124
Commerciorum *jus.* 151
Communio *peregrina quid in Can. II. Concilii Agathenſis?* 428
Conchyliorum *Hiſtoria.* 248
Concilii *Tridentini decreta oppugnata.* 82
III. Conſtantinopolitani acta defenſa. 477
Concilium *Epheſinum a Theodoſione conſilio quidem Pontificis Romani convocatum.* 423
Conſtantinopolitanum II. deſcriptum. 428
Nicænum II. deſcriptum. 479
Conciliorum *variorum hiſtoria in Annalibus Hirſaugienſibus Jo. Trithemii.* 89
Galliæ hiſtoria Hiſtoriæ Eccleſiæ Pariſienſis paſſim inſerta. 116 ſqq
Concionum *ſacrarum Theatrum.* 353
Conductio. *vide Locatio.*
Conductor *non poteſt expelli a Domino, licet ipſe domum inhabitare velit, quando in ſecuritatem locationis pignus in ipſa domo conductori conſtitutum.* 285
Conringius *refutatus.* 288
Conſtantini M. *Donatio ſuppoſititia.* 57
patria. 144
Copernicanum *ſyſtema naturæ primordiis conſentaneum.* 452
Coptitæ *cur & quando abrogarint confeſſionem?* 548
Cordiformis *dimenſio ſolidi.* 363
Cordis *ventriculus triplex in teſtudine marina, ejusque deſcriptio* 228
Corona *triplex Romani Pontificis unde?* 147
Corpora *quæ aliis duriora?* 231
Corporum *durities in quo conſiſtat?* 231
Corpus *duriſſimum in vacuo valde molle.* 231
motum, quatenus motus aliquid ab alio corpore recipiat? 440
Coſaccorum *adverſus Polonos bella* 352
Creaturæ *omnes num hominis cauſa condita?* 451

Cromvvellii (*Oliverii*) *Hiſtoria*. 137
vita. 492 ſq
genus. 493
naturale erga Carolum I. *Regem Angliæ odium.* 493 ſqq
ſtudia. 494
conjugium. 495
fortuna. 496
Cteſiæ *diſſenſus ab Herodoto.* 47
Cubiti *maſculi bicipitis principium & finis duplex.* 508
Cucumerum *uſus.* 250
Curvæ *cum Iſochrona non parum affinitatis habentis novum Problema.* 291
Cuticula *glandem penis cingens microſcopio examinata.* 509
Cylindricæ *unguIæ quadratura.* 362
Cymbium *quid?* 371
Cyprianus *explicatus.* 482
Cyrillus *Alexandrinus notatus.* 313
DAgobertus *quot annis regnaverit?* 119
Dallæus *notatus.* 213
refutatus. 535
De Damaſi *vitiis Pontificum judicium.* 40
Danebrogici *Ordinis Equeſtris Hiſtoria.* 302
Decalogi *præceptorum diſpoſitio.* 557
Declamationum *quæ Quintiliano tribui ſolent, quis auctor?* 317
Declinatio *Solis maxima alia hodie a Pytheana.* 200
Decoctor *etiam in diebus feſtis portare debet viridem pileum.* 197
Dei *providentia aſſerta.* 62
molitio, opus & ſabbathum ſyſtema Theologiæ Hulſianum conſtituunt. 401. ſqq
Delinquens *fugitivus per ſententiam ad mortem condemnatus ubi poſtmodum matrimonium iniit, nec uxor, nec liberi ejus ſucceſſionis capaces ſunt.* 197
Deucalion *idem cum Noacho.* 462
Deuteronomium *Moſi aſſertum.* 556
Dextri *Chronicon ſuppoſititium.* 415
Diaboli *formam repræſentans infans.* 473
Diadochus, *cui Victor Vitenſis opus ſuum de Perſecutione Vandalica dedicavit, quis fuerit?* 409
Dianæ *arboris productio.* 363
Ad Digeſtionem *quomodo bilis faciat?* 199
Diluvii *hiſtoria ad omnes fere gentes propagata.* 462
Dimenſio *ſolidi cordiformis.* 363
Dio *collatus cum Joſepho in aſſignando anno mortis Herodis M.* 368 ſqq
Diogenis *Canis, Liber moralis.* 133
Dionyſii *in Gallia geſta & martyrium.* 116
Areopagitæ ſcripta ſuppoſititia. 122. 537
Diplomatum *antiquorum examinandorum regula.* 207
Diſpenſationes *Matrimoniales.* 304
Diſpenſationum *circa Canones Eccleſiaſticos abuſus.* 29

Dona-

Donatio *inter vivos remuneratoria inter virum & uxorem non revocatur per ſupervenientiam liberorum.* 196
a marito in liberos uxoris ex priori matrimonio procreatos collata invalida eſt. 197
concubinæ a Presbytero facta valet, nec ab ejus hæredibus revocari poteſt. 226
reciproca omnium bonorum generaliter a duobus ſuperſtiti futuro facta valida eſt, licet non expreſſe acceptata. 226
mortis cauſa, cui adjecta eſt clauſula de non revocando, adhuc m. c. donatio manet. 226
Dorſi *muſculus latiſſimus in progreſſu aliquot vibrarum manipulos recipit.* 508
Dublinenſis *Academiæ fundatio* 309.312
Dupinius *Curiæ Romanæ parum favens.* 423. ſqq
emendatus. 477
Durities *corporum in quo conſiſtat?* 231

E

EAdmeti *ſcripta.* 155.156
Eccleſiæ *ſtatus in Cantico Canticorum præfiguratus.* 66
periodi quatuor. 404 ſq
ſtatus ſec. VII. & VIII. 474
Eccleſiarum *Orientalium cum Romana conſenſus quibus auctoribus aſſertus?* 545
Eccleſiaſtica *Veteris & Novi Teſtamenti Hiſtoria.* 61
Eccleſiaſtici *Juris totius Index generalis.* 437
Eccleſiaſticorum *ſcriptorum Collectiones variæ.* 527 ſqq
bonorum alienatio ſine urgente cauſa & abſque ſolemnitatibus facta nulla eſt, nec emtor reſtitutionem pretii petere poteſt. 227
præſcriptio non procedit, quando ex ipſo alienationis titulo nullitas apparet. 227
Eclipſes *ſatellitis Jovialis primi anni 1693.* 365
Eclipſis *Lunaris obſervatio.* 363
Veneris a Luna obſervata. 363
Ecſtaticarum *viſionum cauſa.* 13
Edomiticorum *Regum catalogus Moſaicus vindicatus.* 553 ſq
Educatio *liberorum ex parentibus diverſæ religionis natorum.* 227
Egmundanum *Chronicon.* 319 ſqq
Εἰκὼν βασιλικὴ, *libri quis auctor* 171
Elementa *innumerabilia.* 452
Elephanti *Ordo Equeſtris inſtauratus.* 502
Eleutherius & *Ruſticus num martyrium in Gallia paſſi?* 116
Elfricus *Cantuarienſis ab Elfrico Grammatico diverſus.* 109.110
Eliſabetham *Angliæ Reginam quæ cauſa ad Mariæ Stuartæ cædem impulerit?* 461

Eli-

Elixir *proprietatis Paracelſi efficacia.* 15
Ellipticarum *ſphæroidum & ſphærarum ſoliditates &c. communi demonſtratione tradita.* 200
Elyſii *campi qui, & unde dicti?* 283
Emphyteuta *finita emphyteuſi non poteſt repetere impenſas in extructionem novorum ædificiorum ab ipſo erogatas.* 197
Enallage *præteriti pro futuro frequens in ſacris literis* 555
Epheſinum *concilium ne conſilio quidem Pontificis Romani a Theodoſio convocatum.* 423
Epigrammata *Jacobi Lubrani.* 542
Epilepſiæ *idiopathica cauſa.* 8. *ſq.* 13
Contra Epilepſiam *remedia.* 15
In Epilepticis *unde ſpuma circa os?* 10
Epiſcopi *injuſte depoſiti num orthodoxi ſucceſſoris communionem poſſint defugere?* 169
non in urbibus tantum, ſed & villis conſtituti. 408
Epiſcopii (*Simonis*) *Inſtitutiones Theologicæ a Mabillonio laudatæ* 271
Epiſcoporum *defunctorum ſupellex direpta.* 136
injuſte licet depoſitorum ſucceſſores pro legitimis agnoſcendi. 560
Epocha *nativitatis Chriſti ad annum mundi 4000 deducta.* 303
ex nummo Herodis Antipæ demonſtrata. 366. *ſqq.*
Equeſtrium *Ordinum origines.* 497
Equitum *Sodalitates apud Venetos.* 498
Eremita *qui aliquot annis cucullum portavit, tametſi nullum fecerit votum ſequendi certum ordinem religioſum, inhabilis ad ſucceſſionem eſt.* 226
De Euchariſtia *controverſiæ in Gallia agitatæ.* 125
In Euchariſtia *quomodo præſens cenſeri debeat corpus Chriſti?* 349
Euchariſtiæ *participes infantes etiam fiunt in Orientalibus Eccleſiis.* 550
Eugubinus (*Steuchus*) *notatus.* 360
De Euſebii *Emeſeni Homiliis judicium Dupinii.* 422
Euſebius *in anno mortis Herodis M. conſignando Joſephum ſequi ſe profeſſus, ab eo revera diſſenſit.* 366
Eutychianorum *in Oriente diverſæ ſectæ.* 547 *ſq*
Eutychii *Patriarchæ CPani Vita, coævi ſcriptoris opus.* 563
Eutychius *Patriarcha Conſtantinopolitanus cur depoſitus fuerit a Juſtiniano Imperatore?* 563
Exceptionum *forenſium methodica expoſitio.* 256

FAbulis *apud gentiles velata Hiſtoria ſacra.* 465
Facundo *Hermianenſi libri, qui nomen ejus præferunt, vindicati.* 426
Fecialium *in Anglia collegium.* 141

Felicitatis *parandæ ratio.* 60
Fermenta *ſeminalia in corpore animali.* 12
varia in corpore animali. 8
Fermentorum *purgatio.* 13
Ferula *olim inter alia inſignia Romanis Pontificibus tradita.* 91
Feſtorum *in Eccleſia Romana diverſitas & ſolennia.* 71. 72
Fibræ *in pilis.* 437
Fides *aliena num recte dicatur imputari?* 177
Filiationis *jus contra patris & matris teſtimonium aſſertum.* 226
Fiſtularum *in corpore animali cauſa.* 128
In Fiſtulis *in corpore animali curandis unicum a ſectione præſidium.* 129
Flamma, *calor, lux, fumus, particula igneæ varie modificata.* 188
Flatuum *in corpore animali geneſis* 57
educendorum modus. 58
Fluviorum *origo.* 539 *ſq*
Focorum *opticorum vitrorum inventio univerſalis.* 333 *ſq*
In Fœtu *motus ſanguinis qualis?* 229
Fœtus *in utero vivusne an mortuus ſit, quomodo explorandum?* 471
Fontium *origo.* 539 *ſq*
calidorum cauſa. 365
Foſſilia *carent anima.* 452
Franci *gens Germana* 117
Franciæ *Regum antiqua in urbem Romam poteſtas aſſerta.* 37
Franciſci *Andegavenſis conatus Antverpiam occupandi.* 456
Friderici *Barbaroſſæ Imperatoris Majores & geſta.* 76
Friderici *II. Imperatoris ejusque filii Conradi & nepotis Conradini fata.* 77
Friderici *III Imperatoris vita & res geſta.* 73 *ſqq*
Frigus *non eſt poſitivum quid.* 151
Friſiæ *diverſa fata.* 136
Frontonis Ducæi *Bibliotheca Patrum.* 129
Fumus, *calor, flamma, lux, particulæ igneæ varie modificata.* 188
Fungi *extraordinarii productio, ejusque cauſa.* 362. 363
Furtum *apud Hibernos olim honeſtum.* 306
Futura *e Cometis fruſtra prædicuntur.* 428. *ſqq.*

GAleæ *veterum Gothorum.* 166
Gallo-*Brabantiæ Deſcriptio* 258 *ſq*
Garnerius *notatus.* 418. 419
Gaudenus *auctor libri* Εἰκὼν βασιλική. 171
Gelaſius *Papa, non Cyzicenus, auctor tractatus contra Eutychen & Neſtorium.* 423
Genealogia *Familiarum illuſtrium, inprimis Neapolitanarum* 349
Genealogiæ *illuſtrium in Gallia familiarum a Baluzio illuſtratæ.* 394
Genebrardus *notatus.* 391

De Generatione *æternæ Filii Deiparadoxa opinio.* 407
Genius *Socratis, bonus an malus?* 359
Gennadii *de Epiſtolis S. Leonis à Proſpero dictatis narratio num genuina?* 420 *ſq*
S. Genovefæ *geſta ac obitus.* 116
Gentiliacenſis *in Gallia ſynodi hiſtoria.* 120
Geographia *antiqua & moderna Franciſci Deſeine.* 346
Geographiæ *ſacræ veteris & modernæ deſcriptio.* 258
Geometricæ *Exercitationes J. B. Palmæ.* 125
S. Georgii *Societas in Hibernia.* 309
S. Germani *baſilica, quæ Pariſiis eſt, rectius S. Vincentii dicenda.* 117
Germanicarum *rerum ſcriptores varii junctim editi.* 81
Hiſtoria Joannis Trithemii 83. 86
Getæ *& Gothi num idem olim populus?* 3
Giraldi *Cambrenſis ſcripta edita & inedita.* 158 *ſq*
odium adverſus Monachos. 159
Glandulæ *præputii.* 510
Glandularium *vaporum cauſa.* 10
Godofredus *Viterbienſis refutatus* 85
Godvvinus *(Franciſcus) notatus.* 107 108
Gonzagæ *(Aloyſii) Jeſuitæ vita.* 223
Gothi *non alii quam Sarmatæ.* 1. *ſq.*
num monogami, an polygami fuerint? 4
ex Scandinavia profecti. 284
Gothicarum *gentium Hiſtoria.* 1
legum antiquitas aſſerta. 288
Gothorum *antiquorum arma ac diſciplina militaris.* 165
antiquæ leges. 282 *ſq*
Gotteſchalci *hæreſis.* 122
De Graaf *(Ludovici Wilhelmi) methodus inveniendæ locorum longitudinis improbata.* 431 *ſq*
Græci *ab Hebræis ſapientiam hauſerunt.* 463
Grana *rotunda in quercubus unde?* 232
Gratiæ *divinæ impetratio, applicatio, obſignatio.* 403. *ſqq*
Gratitudinis *pallio velata Simonia.* 30
Gravium *deſcenſus ab interno principio.* 452
Gregorii *Albul-Pharaji in Hiſtoria Dynaſtiarum locus dubius.* 46
Grotius *(Hugo) notatus.* 55. 176
Guelforum *& Gibellinorum factiones.* 76. 86
Guilielmi *Malmesburienſis liber de Antiquitatibus Malmesburiæ idem cum libro de Vita Aldhelmi.* 154
Guiſiorum, *ut Galliæ Regnum ſibi aſſererent, molitiones.* 459

I

IN Hæreditate *vendita læſio ultra dimidium non attenditur.* 237
Hæreſium *variarum hiſtoria in Annali-*

nalibus Hirſaugienſibus Io. Trithemii. 89
Halituum elevatio a qua cauſa? 453
Harduini Genealogia Herodiadum collata cum Syſtemate Joſephi. 376
examinata. 377. ſq
Harduinus refutatus. 425. ſq.
Harpsfeildii Hiſtoria Anglorum Eccleſiaſtica notata. 107
Hebræi Ægyptiorum, Chaldaorum, aliarumque gentium magiſtri. 464
Hebraicæ linguæ ſtudium laudatum. 298
Hebraicarum rerum ſcriptores Latini. 303
Henrici III. Regis Franciæ vita. 453
Henrici IV. Regis Franciæ felicitas ſumma. 458
Henrici VII. Imperatoris iter Italicum deſcriptum. 296
Henricus VII Imperator num hoſtia venenata a monacho fuerit interfectus? 87
Herbæ ad canitiem corrigendam adhibita. 251
Hercyniæ ſylvæ amplitudo. 3
Hermæ Paſtor vindicatus. 534
emendatus. 534
Hermenegildi a S. Paulo contentio pro antiquitate ordinis Religioſorum Hieronymiani. 202
De Herode Antipa, varia. 388. ſqq
Herodiadum Genealogia & res geſta. 375. ſq.
patria. 377.
religio. 378
Herodiani Matth. XXII. quinam? 379
Herodiani num iidem cum Sadducais? 379. ſq
Herodis M. mors in quem annum inciderit? 366. 367
Antipæ nummus illuſtratus. 365. ſqq.
Herodoti auctoritas aſſerta. 50
diſſenſus a Cteſia. 49
Heſychii diverſi. 476. ſq
Hiberniæ Hiſtoria. 305. ſqq
Domini quando Regio titulo decorati? 310
Hibernorum ortus, lingua, antiquum regimen, &c. 306
A. 1641. horrenda rebellio. 313
Hierichunticæ roſa in partu uſus unde? 470
Hierombali ſcripta commentitia. 515
Hierombalus idem cum Gideone. 515
Hieronymiani Religioſorum Ordinis antiquitas exploſa. 202
Hieronymus num Religioſum quendam Ordinem inſtituerit? 202
notatus. 215. ſq
Hieroſolyma liberata, carmen inſigne Torquati Taſſi. 21
ab Academia della Cruſca contemptum. 23
Hiobi morbus qualis? 250

Hir-

Hirſaugienſis *Monaſterii fundatio.* 84. *ſq.*
Abbates. 85
Hippocratis *de vaporibus doctrina aſſerta.* 7
Hiſpani *ipſi impediverunt, quo minus Rex eorum Philippus II. Franciæ regno potiretur.* 455
Hiſtoria *hæreſium, conciliorum, ſacrorum ordinum, monaſteriorum, virorum illuſtrium, in Annalibus Hirſaugienſibus Jo. Trithemii.* 89. *ſq.*
Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Angliæ. 105. *ſqq.* 153. *ſqq.*
Pariſienſium. 116. *ſqq.*
rerum Ultrajectinarum. 135
Cromvvelli. 137
rerum Polonicarum ab obitu Uladislai IV. 351
Philoſophica Stanleji. 356. *ſq.*
perſecutionis Vandalicæ. 407. *ſq.*
antiquarum Monarchiarum. 519. *ſq.*
Hiſtorici *profani quomodo Chriſtiano tractandi?* 518
Hiſtoricorum *profanorum veterum Religio.* 521
Philoſophia. 522
Politica. 523
Hiſtricum *diſſectarum obſervationes.* 199
Hobbeſius *refutatus.* 553
Holophanta *quid apud Plautum?* 286
Homeri *Iliados nova editio.* 266
Homerus *militaris ſcientiæ doctor inſignis.* 263. *ſqq.*
Homicidii *reus, ubi vulnera non lethalia fuerunt, ſive vulneratus ante, ſive poſt 40 dies decedat, non criminaliter, ſed civiliter poteſt conveniri.* 198
Hominis *cauſa num omnia condita?* 431
Huetii *(Petri Danielis) elogium.* 98
Humeri *ligamentum latum.* 508
Hugenianæ & *Leibnitianæ Iſochronæ affinis Curvæ problema.* 290
Hydrargyri *uſus in diſſipando lacte puerpera.* 472
Hymni *genuini S. Ambroſii.* 218
Hyperici *vires.* 250
Hyſterica *paſſio a vaporibus.* 12
Contra Hyſtericos *vapores remedia.* 17
Jacobitæ *a quo Jacobo nomen adepti?* 549
Sabellianiſmi falſo accuſantur 547
in Euchariſtia pani oleum & ſalem admiſcent. 548
Jacobitarum *Patriarcha quos ſubjectos habeat Metropolitas?* 542
Iccius *Portus Julii Cæſaris illuſtratus.* 488. *ſq.*
Ignatianæ *Epiſtolæ vindicatæ.* 535
Ignatii *Epiſtola ad Magneſianos illuſtrata.* 536
Ad Ignem & *lucem plurimum confert nitrum.* 190

Ignes *ſubterranei communicantes.* 190
Igni & *luci conſervandis aër & motus neceſſaria.* 189
Ignis *productio a Sole, & quomodo?* 452
natura. 188
ingenerabilis eſt & incorruptibilis. 451
Ignium *ſubterraneorum pabulum.* 190
Ignivomorum *montium pabulum.* 190
deſcriptio. 190
Imperiorum *origo.* 320 ſq.
Imputatio *peccati alieni.* 174. ſqq.
Index *univerſalis totius juris Eccleſiaſtici.* 437
Indictionem *adſcriptam habentia ante Carolum M. diplomata num ſpuria?* 207
Infantem *num liceat occidere, ut mater ſervetur?* 473
Infans *4. menſium cum dimidio ex defunctæ matris utero vivus exciſus, ſed poſtea mortuus, pro non nato habetur.* 226
Diaboli formam referens. 473
Inſectorum *experimenta.* 363
Joannes *XXII Papa num ſutoris filius fuerit?* 293
Joannis Sariſburienſis *ſcripta.* 156.
In Joëlis *Prophetiam Commentarius Pocockii* 45
Johannes *Evangeliſta circa ſupremum Paſcha Chriſti cum reliquis Evangeliſtis conciliatus.* 397
Johannis *Auſtriaci nativitas & educatio.* 455
mors. 459. ſq.
Jornandes *notatus.* 2
Joſephi *ben Gorion Hiſtoria Judaica notata.* 300
Joſepho, *an Euſebio, major fides debeatur de anno mortis Herodis M.?* 366. ſq.
Joſephus *ab Euſebio prave allegatus* 366
adverſus Harduinum defenſus. 376. ſq. 385. ſqq.
Jovialis *ſatellitis primi eclipſes anni 1693.* 365
Irides *Pareliorum formantur ut circuli circa Lunam albi & Halones.* 230
Iſidi *Panis nomen quomodo conveniat?* 370
Iſidis *figura.* 33. 370. ſq.
Iſidori *Peluſiotæ ſcripta.* 416
Iſidoro *Hiſpalenſi libri de Viris illuſtribus & libri Originum vindicati.* 425
ſcripta ſuppoſita. 475
Iſis *Veneris quoque & Cereris nomine culta.* 372
Italicæ *Poëſeos cultus.* 17
exemplum Torquatus Taſſus. 18
Judæi *a Jo. Tritbemio graviſſimorum criminum accuſati.* 89
non eodem cum Galilæis ſeu Iſraelitis die Paſcha celebrarunt. 397. ſqq.

A Judæis

A Judæis *aliqua de Numine notitia ad gentiles profluxit.* 462. ſq.
Judæorum *doli in Chronologia commiſſi.* 300
in deſignanda nativitatis Chriſti epocha dolus an error detectus. 299. 303
de Cromvello Meſſia perſuaſio. 498
De Judæorum *geſtis & doctrina latiſſime propagata fama.* 463
Judex *ſalva conſcientia non poteſt xenia & eſculenta a litigantibus acceptare.* 254
De Juditha *Hiſtoria veritas aſſerta* 49
Judithæ *Hiſtoria num ante an poſt captivitatem Babylonicam contigerit?* 51
Jus *Germanicum ejusque varia ſpecies.* 253
Romanum an aliquis ex Statibus Imperii in ſuo territorio poſſit abrogare? 253
majori autoritate pollet in cauſis Principum, quam in cauſis privatorum. 253
Juſtino *Martyri male adjudicata, quæ nomen ejus præferunt, Apologia.* 426
KUlpiſii (*J. Georgii*) *in Æneæ Silvii Hiſtoria rerum Friderici III Imperatoris edenda ſtudium.* 74
Kunkeliani *phoſphori urentis præparatio.* 232
LAbium *inferius attollentes muſculi novi.* 508
Lachrymarum *vitrearum experimenta.* 434
Laërtius *notatus.* 357. 358
emendatus. 358. 359
Læſio *ultra dimidium in hæreditate vendita non attenditur.* 227
Lapilli *qui augentur ſub conſtanti figura, ad vegetabilia pertinent.* 452
Larroquanus *refutatus.* 535
Latinorum *de Hebraicis rebus ſcriptorum catalogus.* 303
Legatum *filiæ relictum ad illam maritandam vel habitum religioſum ſumendum, purum, nec conditionale eſt.* 197
ſtudiorum cauſa relictum non eſt conditionale, ſed purum & ad hæredes transmiſſibile. 226
indefinitum, arbitrio tertii relictum, invalidum eſt. 227
Lexicon *Philoſophicum Chauvini.* 47
Liberi *num recte ob delicta parentum puniantur?* 176
Lienis *uſus.* 11
Ligamentum *humeri latum.* 508
penis ſuſpenſorium. 510
Linea *motus Cometarii irregularis & tortuoſa.* 452
Liquida *ex anguſtiori canali in anguſtiorem mota num majorem velocitatem acquirant?* 440
Liturgiæ *Apoſtolorum.* 533

Locator *tenetur ad damnum & intereſſe ob mortem conductoris acceleratam ex ruina ædium conductarum.* 198
Lochiorum *in puerperis cura* 474
Logica *ſacra Philippi Zeiſoldi.* 543
Longorum *exempla.* 324
Longobardi *unde dicti?* 4
A Luce & *Lumine calor diverſus.* 452
Ad Lucem & *ignem plurimum confert nitrum.* 190
Lucernæ *veterum.* 34
Lucibrum *quid?* 369
Lucida *effluvia Solis ejusdem cum Sole ſubſtantiæ.* 451
Luci & *igni conſervandis aër & motus neceſſaria.* 189
Ludi *ſeculares.* 94
Lugdunenſis *Eccleſiæ Primatus.* 127
Lugdunum *prima urbium Galliæ Chriſtianam fidem ſuſcepit.* 116
Lumborum *muſculus ſpinalis.* 508
Lumbricalium *muſculorum principium.* 509
Lumen, *corpus.* 451
A Lumine & *luce calor diverſus.* 452
Luminis *reflexio a globo Lunari alia, quam a Tellure.* 451
obſervatio perpendiculariter ſuper horizontem elevati poſt Solis occaſum forma lanceæ. 233
De Luna *(Michaëlis) Hiſtoria Regis Roderici ex Arabico converſa, a nebulone confic̄ta cenſetur.* 209
A Luna *obſervata Veneris eclipſis.* 363
Lunæ & *Martis conjunctionis obſervatio.* 362
A Lunari *globo luminis reflexio alia, quam a Tellure.* 451
Lunaris *eclipſis obſervatio.* 363
atmoſphæra, Æthere denſior, colorum in Eclipſibus a Luna productrix. 451
Lutetiæ *longitudo & latitudo.* 200
Lutherus *a Sorbona ob rejecta Pſeudo-Dionyſii ſcripta reprehenſus.* 537
Lux *quid?* 189
calor, flamma, fumus, particula ignea varie modificata. 188
Lymphatica *penis vaſa.* 509
MAculæ *Solares quid, & unde in orbem rotentur?* 451
Magi *num iidem cum Chaldæis?* 361
Magnetis *experimenta.* 363
Maimonidis *elogium.* 553
Mandatum *ne morte mandantis exſpiret, ſatisdatio efficit.* 254
Manus *ænea votiva.* 35
De Marca *(Petrus) notatus.* 126
Maris *ſalſedo in fundo major.* 453
Maronitarum *religio.* 550
Mars Gothicus, *liber.* 195
Martis *tranſitus per nebuloſam Cancri.* 362
& Lunæ conjunctionis obſervatio. 362
Ex Martialis & *Baſilidis cauſa num recte Romani Pontificis primatus eliciatur?* 40

Mar-

Martialis *epiſtolæ rejectæ.* 537
Maslach *Turcarum quid?* 252
Maſſiliæ *longitudo & latitudo.* 200
Mathematicorum *veterum Opera.* 316
Mathildi *Comitiſſæ ſtatua ab Urbano VIII. erecta.* 148
Matrimoniales *diſpenſationes.* 304
Mauri *quo anno ultimam cladem Hiſpaniæ intulerint?* 209
Maximiliani *I. Imperatoris adverſus Philippum & Rupertum Palatinos bellum, a Jo. Trithemio deſcriptum.* 87
Medioburgum *urbs princeps Zelandiæ a ruſticis expugnata.* 162
Melancholiæ *pathemata a vaporibus.* 11
Contra Melancholiam *remedia.* 16
Melancholici *exemplum Torquatus Taſſus.* 22. ſqq
Melchitarum *doctrina.* 549. ſq
Membranoſi *muſculi terminus.* 509
Mennæ *ætas.* 564
Mercator *proprie non eſt, qui ſocietati navigationem in diſſitas terras exercenti intereſt.* 133
Mercurii *in Sole obſervatio.* 276
diameter apparens. 281. 282
Meſſanenſis *ſeditionis A. 1674. ortæ Hiſtoria.* 326
De Meſſiæ *adventu diſſertatio C. I. Imbonati.* 303
Methodus *reſolvendi æquationes omnium graduum generalibus terminis expreſſas.* 200
Militia *veterum Gothorum.* 166. ſqq.
In Miſſæ *ſacrificio Simonia.* 28
Miſſi *Dominici olim qui?* 121
Monachi *num olim falſa diplomata confinxerint?* 208
Monachis *num licitum ſit incumbere ſtudiis?* 267. ſqq.
quænam ſtudia cumprimis conveniant? 270
Monachorum *olim fraus in confingendis chartis unde?* 154
antiqui ritus explicati. 67. ſq
& Monialium ordines varii deſcripti. 104
Monaſteria *quem in finem condita?* 267. ſq
ſcholarum inſtar fuerunt. 268
regalia quænam? 320
Monaſteriorum *virginibus deſtinatorum origo.* 210
Moneta *ſi augeatur vel minuatur, in commodum & damnum debitoris vergit.* 227
Monialium *origo.* 210
Monophyſitæ *in Oriente ſuperſtites.* 547
Monophyſitarum *diverſæ in Oriente ſectæ.* 547. ſq
Monſtroſus *partus in tantum ſucceſſionis capax æſtimatur, ut ad ſubſtitutionem mater admittatur.* 196
Montium *ignivomorum pabulum.* 190
deſcriptio. 190
Morbi *prægnantium, parturientium, puerperarum.* 471

Morborum *multorum geneſis ex vaporibus.* 7. *ſq.* 57
cauſa generalis. 56
cauſæ variæ. 260
Poſt Morbos *cur defluant pili?* 439
Morbus *craſſus Hippocratis quis?* 251
inſpatatus Plauti quis? 251
Moricelli *inſtrumentum tractorium rejectum.* 473
De Morte *fidelium paradoxa ſententia.* 407
In Mortuorum *cadaveribus quomodo pili & ungues creſcant?* 439
Moſes *Pentateuchi auctor.* 553. 556
Moſis *catalogus Regum Edomiticorum vindicatus.* 553 *ſq*
Motus *regula Varignoniana.* 434
projectorum principia. 452
liquidorum qualis? 440
Motus & *aër neceſſaria igni & luci conſervandis.* 189
Le Moyne (*Stephanus*) *refutatus.* 533 *ſq.* 537
Mulieres *Gethorum bellatrices.* 167 168
Muſculi *labium inferius attollentes novi.* 508
auris internæ quatuor. 508
capitis recti minores. 508
colli interſpinales novi. 508
lumborum, dorſi, cubiti. 508
membranoſi terminus. 509
buccinatoris ſtructura. 507
cubiti bicipitis principium & finis duplex. 508
manus palmaris ortus. 509
membranoſi terminus. 509
Muſculorum *obliquorum abdominis exortus a transverſis lumborum proceſſibus negatus.* 507
penis acceleratorum principium. 507
ani levatorum uſus novus. 507
oculi uſus. 507
pharyngis non niſi par unicum. 508
lumbricalium principium. 509
Muſculus *dorſi latiſſimus in progreſſu aliquot fibrarum manipulos recipit.* 508
pollicem in pede extendens brevis. 509
Muſeum, *Societas Eruditorum Pariſienſis.* 341
Romanum Michaëlis Angeli Cauſei de la Chauſſe. 33 *ſqq*
Mutini *ſimulacra.* 36
De Myſteriis *liber Ambroſio aſſertus* 213

NArdinum *unguentum.* 250
Navigationum 200 *abhinc annis recenſus.* 257
Navigiorum *varia genera delineata.* 257
hodie uſitatorum deſcriptio. 257
Neapolitanæ *Cameræ Regiæ dexteritas aſſerta.* 325

Neapo-

Neapolitanarum *Familiarum illuſtrium Genealogia.* 349
Neapolitanum *Theatrum olim famoſisſimum.* 343
Nectar & *Ambroſia Deorum quid?* 251
Neomenias *computandi ratio apud Judæos.* 397. 400
Nepotismus *improbatus.* 32
Per Nervos *vapores in corpore animali ab una parte in alteram feruntur.* 8
Neſtoriani *etiam hodierni cum Neſtorio ſentiunt.* 546
Neſtorianorum *Patriarchæ duo.* 547
Liturgia. 547
Nicephorus *emendatus.* 563
Nicolaitæ *num a Nicolao Diacono dicti?* 532
Nitrum *ad ignem & lucem plurimum confert.* 190
Nivis *floccorum figura.* 200
Nocturnæ *Monachorum antiquorum vigilia.* 68
Nominum *mutatio num licita?* 179. 180. 246
mutationis exempla. 180
quibus iidem Auctores appellati fuerunt, diverſorum exempla. 234. ſqq
Nothus *petere poteſt ex hæreditate patris alimenta & ſumptus ad opificium addiſcendum.* 196
Nourrii *(Nicolai) in Bibliothecam Patrum ſtudium.* 531
Numismata *Caroli M. & ſucceſſorum auſpiciis Romæ cuſa.* 36. ſq
Nummi *Hiſtoriæ Friderici III. Imperatoris inſervientes.* 81
Nummus *Herodis Antipæ illuſtratus* 365. ſqq
Panis Dei nomen ferens illuſtratus. 369
Philippi Imperatoris imaginem cum arca Noæ referens. 96
Nuptiæ *intra annos tyrocinii contractæ pœna ſtatutaria coërcentur.* 131
OBſervatio *Parelii.* 229
conjunctionis Lunæ & Martis 362
Veneris cum Sole conjunctæ. 198. 435
luminis perpendiculariter ſuper horizontem elevati poſt Solis occaſum forma lanceæ. 233
Mercurii in Sole. 256
eclipſis Lunaris. 363
Oculorum *muſculi quem habeant uſum?* 507
Olympiadum *duplex epocha.* 358
Opticorum *vitrorum, focorum, inventio univerſalis.* 333. ſq.
Oratoriæ *Inſtitutiones Quintiliani.* 318
Ordinum *ſacrorum hiſtoria in Annalibus Hirſaugienſibus Jo. Trithemii.* 89
Orientalium *Eccleſiarum ritus cum Romanæ*

Romanæ Eccleſiæ ritibus comparati. 549. *ſq.*

Origenis *ad Philippum Imperatorem & uxorem ejus literæ num ſuppoſititiæ?* 95. 96.

Homiliæ in Lucam num pſeudepigraphæ? 535

PActum *matris in pactis filiæ dotalibus de ſervanda inter liberos æqualitate circa hæreditatem validum eſt.* 197

Palandrarum *incendiariarum deſcriptio.* 258

Palatinorũ *Comitum genealogia.* 87

Palma *petrefacta.* 363

Pani Lucido, *inſcriptio explicata* 369

Panis *nomen Iſidi aſſertum* 370

Parelius *accurate obſervatus.* 229

Pariſienſis *urbs unde ſic dicta?* 123

Eccleſiæ Hiſtoria. 114

Pathologia *Wedeliana.* 260

Paparum *Avenionenſium Hiſtoria.* 291. *ſq.*

Papebrochii (*Danielis*) *regulæ dignoſcendæ diplomatum ſinceritatis examinatæ.* 206. *ſq.*

Papilionis *prægnandis obſervatio.* 363

Pappi *Alexandrini opus de numeris edendum a I. B. Lantino.* 341

Parelii *obſervatio.* 229

Pareliorum *irides formantur ut circuli circa Lunam albi & Halones.* 230

Ob Parentum *delicta num recte puniantur liberi?* 176

Parkeri (*Matthæi*) *de Epiſcopis Cantuarienſibus liber.* 108

Parturientibus *ſubveniendi praxis.* 470. *ſq.*

Paſcha *ſupremum Chriſtus eodem cum Judæis die comedit.* 396

alio die celebratum ab Iſraëlitis ſeu Galilæis, alio a Judæis. 397. *ſq.*

De Paſchate *ſupremo Chriſti Diſſertatio Harduini.* 395. *ſq.*

Patriarcha *Jacobitarum.* 549

Patriarchæ *Neſtorianorum.* 547

Patricius (*Franciſcus*) *notatus.* 360

Peccati *originalis indoles.* 175

Peccatum *primorum parentum qua ratione imputetur poſteris?* 174. *ſqq.*

Penis *muſculorum acceleratorum principium.* 507

glandem cingens cuticula microſcopio examinata. 509

vaſa lymphatica. 509

ligamentum ſuſpenſorium. 510

quomodo erigatur? 510

Pentateuchi *autor non alius, quam Moſes.* 553

autoritati ejuſdem rei crebra repetitio non obſiſtit. 556. *ſq.*

In Pentateuchum *Commentarius Richardi.* 552. *ſq.*

Peregrinationum *ad baſilicam D. Petri in Vaticano hiſtoria.* 146

Perkinſus *notatus.* 210

Perſecutionis *Vandalicæ Hiſtoria.* 407. *ſq.*

Petavius *notatus.* 51
Philippi *Imperatores num Chriſtiani fuerint?* 94. *ſq.*
Philippus *Tetrarcha Trachonitidis.* 387
Philoſophica *Hiſtoria Stanleji.* 356. *ſq.*
Phlegmatis *in corpore animali generatio.* 57
e corpore educendi modus. 58
Phœoammon *quis, & quando vixerit?* 262
Phoſphori *experimenta.* 362
Boyleani confectio. 433
urentis Kunkeliani præparatio. 232
Photii *liber ineditus.* 562
Photius *Patriarcha Conſtant. reprehenſus.* 122
cur ſede dejectus? 564
Phyſices *ſyſtema.* 449. *ſq.*
Pili *fibroſi.* 437
novi cur ſuccedant evulſis? 439
cur renaſcantur craſſiores? 439
cur in mortuorum etiam cadaveribus creſcant? 439
cur poſt morbos defluant? 439
cur inæqualiter proveniant? 439
cur unica nocte ex affectu animi caneſcant? 439
quomodo eripi poſſint? 440
Pilorum *conformatio.* 430
Piſcaturarum *variarum deſcriptio.* 258
Pitſeus *(Johannes) notatus.* 107. 160
Placci *(Joſua) ſententia de peccato originali.* 175
Placitum *quid?* 322
De Plagiariis *tractatus ab Adriano Baillcto promiſſus.* 179
Planetæ *a Sole lumen mutuantur, ab ejusque corpuſculis pervaduntur.* 189
Planetariorum *ſatellitum cum fixis conjunctionum obſervationes cujus uſus?* 232
Planetarum *atmoſphæra unde?* 189
In Plantis *vaſorum uſus.* 432
Platò *cur creditus nonnullis fuerit Apollinis filius?* 359
Plautus *illuſtratus.* 286
Plicæ *Polonicæ pathemata.* 437
Plinius *emendatus.* 317
Plutarchi *de Herodoto judicium.* 50
Pluviæ *fontium fluviorumque origo.* 539. *ſq.*
Poëmata *Aſcanii Pignatelli, Ducis Biſacciæ.* 296
Poëtici *furoris exemplum in Beronicio.* 161. *ſq.*
Poloniæ *Annales ab obitu Uladislai IV.* 351
Polycarpi *epiſtola vindicata.* 537
Pontifex *Romanus num baculo paſtorali utatur?* 91
Pontifices *Romani, qui Avenione ſedem habuerunt, num exules recte dicantur?* 290
humeris olim geſtati. 147
quas gentes tributarias habuerint? 148

Pontificibus num jam olim Roma fuerit ſubjecta? 374 ſqq
Poſſeſſio juriſdictionis Vaſallo contra Principem non aliter prodeſt, quam ſi titulum poſſit oſtendere. 254
Poſſevinus notatur. 212
Potus calidi & frigidi uſus. 250
Præputii glandulæ. 510
vaſa ſanguifera. 510
Præſcriptio XX. annorum in delictis interrumpitur per executionem in effigie. 197
Problema curvæ iſochronæ, Hugeniana & Leibnitianæ affinis. 291
univerſale inveniendorum focorum, vitrorum opticorum. 333. ſq
æquilibrii per communem geometriam generaliter conſtructi. 290
curva novum Jo. Bernoullii. 291
Prophetæ nomen num ante Samuelem uſurpatum fuerit? 555
Prophetiæ dono inſignes viri ac fœminæ à Jo. Trithemio in Annalibus Hirſaugienſibus nominati. 90
A Protoplaſtis officia non per legem proprie dictam, ſed fœderali modo exacta. 403
Protoplaſtorum peccatum quomodo imputetur poſteris? 174. ſq
Pſeudonymorum ſcriptorum catalogus. 178. ſq. 234. ſq
Puſendorffii (Samuelis) de Demonſtratione Evangelica P. D. Huetii judicium. 98. ſq.
Purgantia ſpecifica fermentorum varii generis. 13
QUadrageſima medica quid? 250
Quadratura ungulæ cylindricæ. 362
Quakenthorpii in libro de Juſtiniano Imperatore errores notati. 563
Quercinorũ granorũ obſervatio 232
Quintiliani Annales a Dodwello edendi. 318
RAbani Archiepiſcopi Moguntini ſententia de Euchariſtia. 125
Rabbinica Bibliotheca Julii Bartoloccii. 297
Radburnus (Thomas) ſcriptor Anglicanus. 111
Raguenetus notatus. 138
Raptus crimen conſentiente virgine commiſſum non purgatur per ſubſequens matrimonium mediante benedictione ſacerdotali contractum. 225
Ratio inter ſuperficiem ſphæræ & maximi in ea circuli, & cylindri nova methodus demonſtrata. 362
Recognitiones, quæ Clementi tribui ſolent, ſuppoſitæ. 536
Reformatorum quorundam Theologorum nova & periculoſa dogmata. 407
Regalia monaſteriis quænam? 320
Regem de jure inter & Regem de facto diſtinctio. 311

Religio *naturalis & revelata aſſerta.* 62. 63
Remedia *contra varios morbos a vaporibus profectos.* 13. ſq
Reſignatio *ſacri beneficii in favorem alterius num licita?* 27
retenta penſione an licita? 28
Reſtitutio in integrum *denegatur minori contra cautionem pro patre præſtitam, ut ex carcere liberaretur.* 196
qui in munere publico conſtitutus pro majorenni fuit habitus. 226
De Ritibus *Eccleſiaſticis opus promiſſum.* 68
Rivetus *notatus.* 212. 215
Roma *num Pontificibus an Imperatoribus ſubjecta fuerit?* 38
Romæ *deſcriptio.* 345
Romanæ *antiquitates illuſtratæ.* 565. ſq
Romanæ *Eccleſiæ harmonia cum Orientalibus Eccleſiis.* 550
Romanduæ, *ſeu Gallo-Brabantiæ deſcriptio.* 258. ſq
Roſcellini *hæreſis* 127
ſcripta. 154
Rudolfinæ *Tabulæ correctæ* 199. 434
Rufinus *notatus.* 216
Ruſticus & *Eleutherius num martyrium in Gallia paſſi?* 116

SAbæorum *Philoſophia.* 361
Sacerdotes *ſummi in Novi Teſtamenti libris quinam?* 561
De Sacramentis *Libri VI. num recte Ambroſio tribuantur?* 213
Sadducæi *num iidem cum Herodianis fuerint?* 379. ſq
quo ſenſu Spiritum negaverint? 379
Salianus *notatus.* 50
Salis *volatilis acidi mineralis in forma ſicca productio.* 437
Salmaſius *refutatus.* 34
Samolxes *primus Getarum legislator.* 282. ſq.
Sanguinis *in fœtu qualis motus?* 229
Sanitatis *abſque medicamentorum uſu conſervandæ modi.* 56. ſq.
Saraceni *an a Sara dicti?* 136
Sarmatia *unde dicta?* 3
Satellitis *Jovialis eclipſes primi anni 1693.* 363
Saturnini quarti conjunctio cum fixa. 232
Satellitum *Planetariorum conjunctiones cum fixis cujus uſus?* 232
Saturni *diameter apparens.* 232
Saturnini *ſatellitis quarti conjunctio cum fixa.* 232
Satyræ *Lucæ Opalenii.* 150
Satyrus *S. Ambroſii frater.* 217
Scaliger *notatus.* 50
Scandinavia *vagina gentium.* 284. ſq
Schabbetai Zevi *Pſeudo-Meſſiæ fata* 299

Schiſma

Schisma *num ob Epiſcopum a Magiſtratu civili injuſte depoſitum in Eccleſia ineundum?* 169. ſq

Schreveliana *Iliados Homeri editio reprehenſa.* 266. ſq

Scriptorum *Pſeudonymorum catalogus.* 178. ſq. 234. ſq

Scriptura *S. male ſtatuitur tota allegorica.* 406

Scripturæ S. loca illuſtrata.

Genes.

XXXVI. 31. ſqq. 553

XLVIII. 12. 557

Exod.

XII. 6. 396

XVI. 35. 554

XX. 5. 176

17. 557

Num.

XXIV. 14. 557. ſq.

XXXIII. 31. 558

Deuter.

X. 6. 558

XX. 16. 177

Jud.

IV. 3. 54

V 7. 54

I. Sam.

IX. 9. 555

II. Reg.

III. 27. 516

Pſalm.

CV. 21. 464

Hoſea.

VI. 7. 175

Amos.

I. 16. 516

Matth.

II. 22. 384

VIII. 6. 251

XVIII. 20. 251

XXII. 16. 379

Marc.

VIII. 15. 379

Luc.

XXII. 7. 399

Joh.

V. 1. 400

VII. 14. 400

Act.

XII. 2. 389. ſqq.

19. 392

XXIII. 8. 379

XXV. 13. 392

Rom.

V. 12. 175

I. Joh.

IV. 3. 537

Scriverius *notatus.* 324

Scuta *veterum Gothorum.* 166

Scythæ *iidem cum Gothis.* 285

unde dicti? 283

Seldenus *refutatus.* 561

Seminis *fœminini & maſculini diſcrimen.* 12

Sententiarum *quæ in Parlamentis Galliæ ſunt latæ, variæ collectiones.* 193

Sibyllina *carmina num genuina?* 538

Simonia *quibus prætextibus velari & excuſari ſoleat?* 26. ſq

Conſi-

confidentiæ quæ? 29
Simoniæ *varia genera.* 27. *ſq*
In Simoniam *graviſſima pœna decreta.* 29
Simoni *Mago erecta ſtatua.* 532
Sirenes *aves primum, non piſces fuerunt.* 341. 345
Sirenum *ortus, numerus, locus, ſymbolum, cantus, mors.* 342. *ſq*
Societas *mercatoria inter patrem & filium recte contrahitur, ut inter patrem & filium mutua reſultet obligatio.* 131
morte unius ſocii ubi diſſoluta eſt, hæredes ejus pro rata in diviſione nomina ſuſcipere tenentur. 132
ex pactis uſurariam pravitatem obtegentibus illicita. 132
Societates *Eruditorum variæ Pariſienſes.* 342
Sociniani *Proteſtantibus minime annumerandi.* 258
Socratis *genius bonus, an malus?* 359
De Socratis *mortis anno ſententia communis fruſtra a Leone Allatio impugnata.* 359
Sol *igneus.* 189
Tropicalis ſub æquinoctiali minimam vim exerit. 333
A Sole *calor aëris productus ad varias latitudines, & modus colligendi.* 328
In Sole *obſervatio Mercurii.* 276
Solis *magnitudo non major Ptolemaica.* 451
cum Venere conjuncti obſervatio. 198. 435
maxima declinatio alia hodie a Pytheana. 200
Somnum *ut arcere in vigiliis ſuis conſueverint Monachi?* 69
Sparvenfeld (*Joannis Gabrielis*) *de Antiquitatibus Gothorum Opus promiſſum.* 284
Sphærarum & ſphæroidum *ellipticarum ſoliditates etc. communi demonſtratione tradita.* 200
Spinoſa *refutatus.* 553
Spiritus *animales quomodo a vaporibus affligantur?* 15
Spiritum *quo ſenſu negaverint Sadducæi?* 379
In Spirituum *animalium tranquillitate conſiſtit ſanitas.* 57
Spiritus vini *abuſus quomodo epilepſiam excitet?* 10
Sponſalia *inter majorennes celebrata ſtipulationem pœnalem admittunt.* 228
ſi ſemel approbavit pater & donationem propter nuptias conſtituit, fruſtra poſtmodum diſſentit. 228
Spuma *circa os in epilepticis unde?* 10
Stellarum *in inferiora operatio, & prædictionum aſtrologicarum poſſibilitas.* 451

Stellæ *fixæ igneæ ſunt, propriaque luce conſtant.* 189

— *incertum an ſphæricæ.* 189

Studia *num conveniant monachis?* 267 ſq

Sudoris *proliciendi modus.* 58. ſq

Sudor *ſanguineus Chriſti Servatoris.* 249

Suecia *num antiquorum Gothorum patria fuerit?* 2

Synodus πρώτη καὶ δευτέρη *in cauſa Photiana, una eademque* 564

Synoviæ *ortus.* 129

TAſſi (*Torquati*) *vita.* 17. ſq

— *ingenioſum dictum.* 25

A Tellure *luminis reflexio alia quam a globo Lunari.* 451

Telluris *ſtrata diverſa.* 539

Templariorum *extinctio.* 88. 259

Tertullianus *notatus.* 298

Teſtamentum *avi, quo nepotem ſuum prodigum exhæredem ſcripſerat, & uſumfructum portionis hæreditariæ ipſi legaverat, ſubſtitutione in favorem liberorum ex hæreditate facta, ſuſtinetur.* 227

— *novum ſingulis annis a Bardeto per octo luſtra conficitur.* 195

In Teſtudine *marina ventriculus cordis triplex.* 228

Tetragonum *Hippocratis quid?* 251

Thaletis *patria.* 357

Theologia *in formam demonſtrationis redigenda.* 98. ſq

Theologiæ *Syſtema Henr. Hulſii.* 401

— *per conciones ſacras exhibitum.* 353

Inter Theologos *Reformatos controverſia nova.* 406

Thermometrorum *accurata diviſio* 434

Thermometrum *proportionem unius caloris ad alium indicans.* 453

In Thuani *Hiſtoriam animadverſiones.* 145

De Transſubſtantiatione *doctrina Orientalium Eccleſiarum.* 551

Tridentini *Concilii decreta oppugnata.* 82

S. Trinitas *aſſerta.* 402

Tritheiſmus *Roſcellini.* 127

Trithemii (*Johannis*) *ſcripta.* 84

— *odium in Venetos & Judæos.* 88. 89

Tutor *ad ceſſionem bonorum non admittitur pro reſiduo ex adminiſtratione debito.* 227

Tyriis *num olim alia quam Græcorum ara fuerit?* 389

VAcui *diſſeminati probatio.* 450

Vandalicæ *Perſecutionis Hiſtoria.* 407. ſq.

Vapores *in corpore animali ab una parte in alteram feruntur per nervos.* 8

— *quot modis affligant ſpiritus animales?* 15

Contra

Digitized by Google

Contra Vapores *remedia.* 13. *ſq.*
De Vaporibus *doctrina veterum aſſerta.* 7
Vaporum *in corpore humano cauſæ & varia genera.* 7
Vaſa *lymphatica penis.* 509
ſanguifera præputii. 510
Vaticani *templi majeſtas & fata.* 146. *ſq.*
Vaticanum *Diarium, liber.* 145. *ſq.*
Vegetationes *metallicæ variæ.* 364
intenſæ & a vegetationibus plantarum diverſæ. 363
Veneris *eclipſis a Luna obſervata.* 363
conjuncta cum Sole obſervatio 198. 435
nodus deſcendens ubi? 199
hoc minimum ſeculo immobilis. 424
Ventriculus *cordis triplex in teſtudine marina.* 228
Verſteganus *notatus.* 287
Victor *Vitenſis Epiſcopus male Uticenſis vulgo dictus.* 408
male inſimulatus Acaciani ſchiſmatis. 409. 410
De Viduis *liber Ambroſio aſſertus.* 211
Viennæ *deſcriptio.* 75
Vigiliæ *nocturnæ veterum Monachorum.* 68
Virgines *quando continentiæ vota emittere & in monaſteriis vitam agere cœperint?* 210
Vitæ Pontificum *Avenionenſium a variis auctoribus deſcripta.* 292
humanæ terminus num fatalis? 192
Vitrorum *opticorum, focorum inventio univerſalis.* 333. *ſq.*
De Ultrajectinis *rebus narratio hiſtorica.* 135
Ulyſſes *num in Britanniam venerit?* 144
Umbilicus *infantis quomodo ligandus?* 472
Ungues *cur etiam in defunctorum cadaveribus creſcant?* 439
Voracia *animalia quæ?* 199
Voſſius *(Iſaacus) notatus.* 51
(Joh. Gerhardus) notatus. 155. 160
Votivæ *manus æneæ.* 35
Urbanus *VI. Pſeudo-Papa.* 293

Wicami *(Guilielmi) vita.* 163
Würtenbergicæ *Domus Genealogia.* 88

Zenodorus *Trachonitidis Tetrarcha.* 384. *ſq.*
Zoroaſtris *oracula illuſtrata.* 360
Zythus, *vox Gothica.* 286

F I N I S.